
JE



Vivit post funera Fama

Longa dies homini docuit parere Leones

Noctes Granzovianæ DE ANTIQUIS TRIUMPHORUM Spectaculis,

Lucubratæ â *Martino de Guichardo.*

AMSTELODAMI,
Apud Ægidium Valckenier.
Aº. cIↄ Iↄ cLXI.

NOCTES GRANZOVIANÆ,

seu

DISCURSUS PANEGYRICUS

DE

ANTIQUIS

TRIUMPHIS,

In

PUBLICUM

tam

ECCLESIARUM

Quàm

POLITIARUM

usum

ELUCUBRATUS

à

MARTINO DE GUICHARDO.

Plato Dialog. I. *de LL.*

Τὸ νικᾶν αὐτὸν πασῶν νικῶν πρώτη καὶ ἀρίστη, τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ, πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον.

AMSTELODAMI,

Apud *Ægidium Janssonium Valckenier.* 1661.

Post illam

Verè

Incomparabilem ac Insuperabilem Victricem atque æternùm Triumphatricem S S. Triada, *& nominatim Præcelsissimum, Serenissimum, Sapientissimum, Præpotentissimum, Invictissimumque Cœli, Terræ atque* Oceani *Monarcham*, Exercituum *cœlestium, terrestrium atque reliquorum omnium* Archiducem *ac Pacis* Principem Jesum Christum, *Filium* Jehovæ *Patris ac* Mariæ *matris Virgineum, Imperatorem Imperatorum, Regem Regum atque Dominum Dominorum per Asiam, Aphricam, Europam & Americam dominantium, Victorem Victorum ac Triumphatorem Triumphatorum &c. &c. &c. Dominum, Deum ac Fratrem suum Clementissimum*, O. D. C.

Generoso Magnificoque Dn. *Cancellario* pariter atque Prænobilibus, Amplissimis Consultissimisque Dnn. *Consiliariis* Electoralibus Brandenburgicis Coloniæ ad Spream conscriptis.

Nec-non

Nobilissimo ac Spectatissimo Dn. *Prætori* æque atque Honorabilissimis, Prudentissimisque Dnn. *Consulibus, Senatoribus, Scabinis* adeóque toti Magistratui *Brilanæ Civitatis* in insula Vorana.

Item

Reverendo & Perdocto *Ministerio Ecclesiastico* inclytarum Hollandiæ Civitatum

Amstelodamensis & *Rotterodamensis* S. P. D. A.

Viri Respectivè *Generosi*, *Magnifici*,

Prænobiles, *Amplissimi*, *Consultissimi*, *Spectabilissimi*, *Honorabilissimi*, *Prudentissimi*, *Reverendi & Perdocti*, *Mecænates ætatèm suspiciendi*,

PRæter cætera præclara præclarè præclarissimus ille Galliarum historiographus *Philippus Comineus* sic exaravit: *Nihil est in hac ærumnosa vita potius, quàm ut metuamus Divinum Judicium, & studeamus in rebus omnibus Æquitati & contenti simus Mediocri vitæ Genere; neque defatigemur iis curis, quales ferè suscipiuntur à multis, nimia quadam cupiditate & ambitione augescendi. Hanc Vitam si possemus ingredi atque tenere, & tranquillius viveremus, & minus affligeremur Valetudine Adversâ, & Mortem non adeò formidaremus. Etenim quanta sit Vitæ nostræ miseria, facilè potest ex eo colligi, quod simul atque mortuus est aliquis, quicunque sit ille, statim omnes abominantur & exhorrescunt ipsum Cadaver: & verò Anima, quæ ex eodem evolavit, sistitur mox Judicio inevitabilis.* Enimverò hujusmodi clangente Tuba, post alios, ego potissimum ad elucubrandam has de Antiquis Triumphis *Noctes Granzovianas* (quas Vestris Honoribus ac Splendoribus ad dissolvendum debiti unius alicujus officiosi nexum, quo Nominibus vestris jamdudum obstringor, offero, dedico, consecro) excitatus sum hac spe fretus: *Si olim Rex ille Persarum Ethnicorum Ethnicus* Artaxerxes Memon (*quum ipsi inter proficiscendum quidam inferiorisque infelicioris que sortis homo aquam utraque volâ è profluente proximo haustam vultu alacri obtulisset pro dono) donatam lætus accepit atque phialam auream mille Daricis oppletam donatori redonari jussit: Quantò magis confidendum erit mihi*, oblatum atque sacratum *vestris* animis Christicolis *hunc Meum* Libellum *non ingratum fore*. Longior essem, nisi nossem, hanc communiter esse alteram gravissimorum Virorum naturam, ut & ipsi studeant breviloquentiæ & gaudeant illorum breviloquentiâ, qui ipsos affari ausint. Pauculis itaque his salvete, in Deo benè valete, favete & in permultos vitæ longævæ annos usque sub cœlesti Pacis aureæ corona magis magisque florete. Datæ Amstelædami ipsis Idib. Sextilis anno CIↃ IↃCLX.

à G. M. P. A. C. S. H. P. R. & P. D. D. V. V.

humillimo

MARTINO de GUICHARDO.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Lectori Candidissimo Autor S.P.D.

QUemadmodum in aliis destinationibus plerumque
— *Trahit sua quemque voluptas:*
Ita quoque ego Tibi, Lector Candidissime, prælocuturus, impræsentiarum cum animo meo dulciter traxi illud fructuosi, quod *Cassiodorus* suam olim Historiam Tripertitam ex Socrate, Sozomeno & Theodorico conscripturus sic præmisit: *Utiliter nimis in capite Libri* Præfatio *ponitur; ubi futuri Operis qualitas indicatur. Quid enim commodius quàm prius per eam aliquid discere, ne dictio possit inopinata confundere.* Confundere enimverò Lectorem facilè potest omnis Liber, qui magis juxta Methodum Crypticã quàm secundùm Syntheticam aut Analyticam est collectus atque confectus. Hinc Proœ-

mium Lectori nonnunquam poteſt præſtare tantum ſubſidii, quantum olim filum *Ariadnes* conducebat *Theſeo* Labyrinthum *Dædali* ingredienti, progredienti, egredientique. Inde potiſſimum eſt, quod variè variant variæ variorum Codicum Præfationes.

§. 1. Alii quippe Autores in præloquiis ſuis ſuas cauſas procatarcticas præmittunt, cur potiſſimum ad ſcribendum inducantur, juxta illud Auguſtini l. 1. de Trin. c. 3. *Utile eſt plures libros à pluribus fieri diverſo ſtylo, non diverſâ fide, etiam de quæſtionibus iiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios verò ſic. Neque enim omnia, quæ ab omnibus ſcribuntur, in omnium manus veniunt: Et fieri etiam poteſt ut nonnulli qui noſtra hæc intelligere valent, illis planiores non inveniant libros & in iſtos ſaltem incidant.*

§. 2. Alii ibidem adverſus quodvis flagitium hominis oriundi è tribu talis Momi (qualis quidem poterat pro ingenio ſuo peſſimo vel optimos quoſque

libros

libros tales virgula ſuâ cenſoriâ accenſere inter ſequiores, qualibus ipſe nequiſſimus cum tota familia ſuâ nequã nequivit unquam conſcribere meliores, juxta illud *Lucretii* ex Iſocrate:

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant;
Sic nos Autorum decerpimus aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſſima vita.)

ſe præmuniunt, æmulando *A. Gellium*, qui l. 20. c. ult. ſuarum Noct. Att. ſcribit: *Erit autem id longè optimum, ut qui in* lectitando, *ſcribendo*, commentando, *nunquam* voluptates *ceperunt*, nullas *hoc genus* Vigilias *vigilarunt*, *ſed intemperiarum negotiorumque pleni ſunt*, *abeant* ab his Noctibus *procul*, atque alia *ſibi* Oblectamenta *quærant*. *Vetus adagium eſt:* Nihil *cum fidibus* graculo, nihil *cum amaracino* ſui.

§. 3. Alii ibidem connituntur ſanare inſanabile illud ſcribendi cacoëthes, quo jamdudum plerique talium fratrum ſcripturientium laborant, quales magis inidonei ſunt ad edendum libros, quàm mula ad pariendum mulos.

Remedia autem illa eximia, quæ ad invalescens illud malum comparant, sunt potissimum deprompta I. ex Chrysostomi hom. 4. in c. 1. Matth. *Si glorificari cupis, gloriam despice, & eris omnibus gloriosior.* II. ex Plinio Juniore: *Proferunt sese ingenia & ostentant.* III. ex Lutheri tom. 1. Jen. Germ. fol. 232. Es will Jederman etwas gesehen werden. IV. ex Erasmi Roterodami l. 1. Apophtegm. ubi super *Agesilao* Magno illo Lacedæmoniorum Rege præter cætera sic commentatur: *Nec minus* excelsi animi *fuit, quod quum* nationes, *quæ id temporis* Græciam *incolebant, decrevissent illi* in clarissimis quibusque civitatibus *honoris causâ* statuas *erigi*, illis *in hunc modum* rescripsit: *Mei nulla sit imago, neque picta neque ficta neque ullo artificio parata.* V. ex vitis Philosophorum, ubi comperias, quod Socrates (qui vel ipso oraculo Apollinis censorio censebatur esse πάντων σοφωτάτων σοφώτερος) nullum unquam librum scripsit, sed id demirantibus dixit: *Quoniam chartæ pluris*

emen-

emendæ ſunt ſcripturo, quàm conſtabunt ipſæ ſcribendæ ſcripturæ. Quaſi reſpondiſſet: *Scripturæ multæ nil ſunt niſi meræ verorum Philoſophorum offuciæ.* VI. è luculentis documentis Chriſtianorum atteſtantium, quod ſponſus Chriſtus ipſe, licet potuerit ſcribere ſapientiores ſapientiſſimis ſapientiſſimi Salomonis libris libros, librum tamen nullum manu ſuâ ſcriptum ſponſæ ſuæ reliquerit. VII. ex Alberto M. qui ad conſcribendum librum non tantùm efflagitat Neceſſitatem inevitabiliter inducentem, Materiam ſingulariter novam, Formam maximè methodicam & Finem inſignitè fructuoſum, juxta illud Q. Horatii Flacci:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.

ſed etiam Perfectionem excellentem, partim ob illud memorabile Ciceronis 1. Tuſc. quæſt. *Mandare quenquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere Lectorem, hominis*

nis est intemperanter abutentis & otio & literis; partim ob illud Poëtæ è laudato Poëta Venusino de Carmine poëtantis:

Omnem conscriptũ Librum *reprehendite quem non*
Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.

VIII. ex eximio illo Lutheranorum Theologo *Selneccero*, qui hæc Teutonica è Græco illo scriptore *Clemente Alexandrino* præscribit: Wer da will durch Bücher oder Schreiben reden / der ist bey Gott an Eydts statt verpflichtet / daß Er nicht vmb Geitzes oder Gewinstes willen / noch vmb Rhumbs vndt Eigen Nahmens / noch auß eigener Bewegung / Affect, Zorn vndt Rachgierigkeit etwas schreibe / auch nicht sich selbst allein erlüstige vndt ihm allein gefalle; sondern sehe allein auff die Besserung / Glauben / Trost vndt Seeligkeit derer / die eß lesen sollen / vndt erwarte die Belohnung seines Fleisses vnd Trewe bey Dem / der da verheissen hat; Er wolle alle Wollthat zu seiner zeit vergelten / ob gleich Jetzt in Gegenwärtigkeit keine Bezahlung noch Vergeltung geschicht. IX. ex ore Christi qui Matth. 12. ℣. 36. graviter asseverat, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, ὃ ἐὰν λαλήσωσιν (& per consequens etiam dissẽminârint semine concionum, disputationum ac scriptionum suarum carnali sine Sp. Sancto) οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως. X. ex com-

commentario Hieronymi in Eccl. 1. ỳ. 9.
„ *Huic quid ſimile ſententiæ & Comicus*
„ *ait:* Nihil eſt dictum quod non ſit
„ dictum prius. *Unde præceptor meus*
„ Donatus, *cum ipſum verſiculum expo-*
„ *neret:* Pereant, *inquit*, qui *ante nos*
„ noſtra *dixerunt*.

§. 4. Alii ibidem ſupplicando ſe excuſant I. ex commemorato Clemente Alexandrino: *Et Verbi prædicationem & utilium librorum editionem eſſe utrumque laborem Angelicum*. II. ex Auguſtino: *Ego ex eorum numero me profiteor, qui ſcribendo proficiunt & proficiendo ſcribunt*. III. ex Plinii II. epiſt. 51. *Quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur*. IV. ex concorde iſthac Theologorum Orthodoxorum prædicatione; *quod omnes atque ſinguli Chriſtiani pro virili tenentur Chariſmata ſua in communem Eccleſiæ Catholicæ uſum ad glorificandum Deum & ædificandum proximum conferre*. V. ex Origene Adamantio in Matth. 25. tract. 33. pag. 163. ubi pro mate-

ria ruminandi de ſervo illo (qui fœnori Talentum ſibi concreditum nihil expoſuerat, ſed in ſterile magnæ matris Terræ gremium ſuffoderat & velut ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, ut Homeri vocibus utar, vitam ſuam inter carnales gaſtrimargos ocioſè traduxerat) ſic eloquitur: *Et apparet in ipſa defenſione, per quam loquitur, quoniam timuit quidem Dominum, habens* Dei Timorem, *ſicut alter* Zelum Dei, *non autem* ſecundùm Conſcientiam, *timens, abſcondit* Talentum ſuum *in terra. Tales autem ſunt qui neque movent, neque diſcutiunt, quæ dicuntur, neque ſeipſos ad prodificandas animas tradunt, ſed latere volunt, quæ acceperunt & crediti ſunt. Si quando ergo videris aliquem, qui* Virtutem *quidem aliquam acquiſivit & habet* dicendi, *& animas* quantumtunque *prodificantem, & hanc* Virtutem *occultat, ut tantummodo tradat* Verbum nudum *quod creditus eſt & accepit &* Depoſitum ejus *Domino ſuo, & vivit* in obſcuro, *multis ignotus*, etiam magna peccata ha-

habentibus, & *non ſe profert* in bono quod à Deo accepit, *quamvis habeat* quandam *Religionem Converſationis* non virtuperabilem multis, *non dubites dicere*; Eum *talem eſſe*, *qui* unum Talentum *accepit & abſcondit id in terra.* V I. ex Crucii lib. 3. epiſt. ad Ludovicum de Dieu: *Sanè eruditiſſimus ille eſt, qui omnibus prodeſt, qui quantum ſibi haurit, aliis promit; & ingenii theſauros optimos cenſet, ſi non lateant. Contra cadavera ſunt hominum, qui ſibi ſolùm ſapiunt, & quorum in umbra ſilentioque omnis vita.* V I I. ex Saluſtio Criſpo: *Omnes homines ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſigant veluti pecora.* V I I I. ex Oecoiatr. Alexis Pedemontani pag. 409. *Les Anciens n'ont tout cogneu, & Dieu garde tousjours quelque choſe au jugement & à l'experience des Poſterieurs.* I X. ex Bione: *Longe meliùs eſt de ſua meſſe cum altero communicare quàm meſſem alterius vellicare.* X. ex Drexelii Argentifodina part. 1. c. 7. pag. 747. *Mea ego EXCERPTA nullo precio ven-*

vendiderim. Isocrates Orationem *unicam* Talentis XX. *seu* 12000 Philippeorum *vendidit*: *Da* alterum tantum, *nil* Excerptorum *vendo. Da* auri *&* gemmarum, *quantum* vel avarissimus *optare potest*; *Da* vel Montes Aureos, *ego* meas *tibi* Chartas *non vendo. Auge* Pretium, *& nescio quos* Favores *adde*, *non vendo.* Cœlum *pollicere*, Christum *licitatorem* appone; *jam vendo. Huic* mea Omnia *sacravi*; hunc *admitto* Emptorem, *cæteris* Omnibus *exclusissimis.* XI. ex Plutarcho, qui enarrat; Civitatem Atticam Oratori suo gloriosissimo post obitum æream posuisse cum hac inscriptione columnam: *Si Tibi*, Demosthenes, *pares* ingenio *vires fuissent*, Græciæ *nunquam apud Macedones imperium extitisset.* XII. ex ipso Batavorum meditullio, ubi ocellus ille literatæ Reip. *Desiderius Erasmus* apud inclytos suos Rotterodamos simulachrum ex ære fusum post mortem invenit, quod in vita non quæsivit. XIII. ex vitis Poëtarum, quod non tantum

Cræ-

Crœsus Lydorum Rex ex ſuo gazophylacio olim *Pindaro* Thebanorum Lyrico tantum auri, quantum aſportare poſſet, ſibi capere, conceſſit; ſed etiam Proceres Veneti *Iacobo Sannazario* Poëtæ (qui *Virgilio* Muſâ proximus, ut tumulo) pro verſiculis Hexaſtichi ſubſequentis honorificis ſingulos centenos aureos rependerunt:

Viderat Hadriacis Venetàm Neptunus in undis
Stare Urbem, & toto ponere Jura mari.
Nunc mihi Tarpejas quantumvis Juppiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait:
Si pelago Tybrim præfers, Urbem adſpice utramque,
Illam Homines dicas, hanc poſuiſſe Deum.

§. 5. Alii ibidem ſuis ſe purgant rationibus non aſpernandis, cur præter phraſes Tullianas ἐκ προαιρέσεως abuſi ſint vocibus Theologicis, Technologicis & id genus aliis, quæ cujuſvis Critici Labeonis aut Ariſtarchi palato non arrident.

§. 6. Alii ibidem παῤῥησίαν ſuam (quâ nonnullibi in ſuis ſcriptis non tam poſſeſſores vitioſos, quàm poſſeſſos vitiorum theſauros ſalsè perſtrinxerunt)

runt) ſic excuſant I. ex Clementis Alexandrini l. 1. Pædag. c. 9. *Speculum non eſt malum deformi, eò quod ipſum deformi oſtendat;* Qualis ſit: *Ita nec is qui reprehendit, ei malè vult, qui laborat animo; nec enim ei delicta adjungit, ſed ea quæ adſunt, peccata oſtendit.* II. ex Hieronymi epiſt. ad Nepotianum: *Non adverſariis, ſed ut amicis ſcripſimus; nec invecti ſumus in eos qui peccant, ſed ne peccent, monuimus. Neque in illos tantùm, ſed in noſmetipſos ſeveri Judices ſumus. Nullum læſimus; nullius nomen de mea ſcriptura vel ſermone ſignatum eſt. Neminem ſermo noſter ſpecialis pulſavit. Generalis de vitiis diſputatio fuit. Sed qui mihi iraſci voluerit, ipſe de ſe, quod talis ſit, confitetur.* III. ex illo Gregorii notorio: *Defectiva & manca eſt cognitio, quæ Affectum non excitat, & Odium Mali atque Amorem Boni non ingenerat.* IV. ex Academia Philoſophorum, qui filios ſuos condocefaciunt, ut quoſvis adulatores, qui ad perſpecta ipſorum vitia connivent, ex animo averſentur,
&

& verò omnem ingenuè reprehendentem Scriptorem aut Oratorem amplexentur, exoſculentur & cum tanta gratiarum actione remunerentur, ut ipſum è Plauto ſic interpellent: *Quæ in nos dicis, aurum & argentum merum ſunt.*

§. 7. Alii ibidem variis proſæ ligatæque blandiloquentiæ applauſibus triumphant, quorum ſumma ferè hæc eſt: *Bellè, pulchrè, ſcitè, eruditè, acutè, ingeniosè, nervosè, divinè, rectè, perfectè.*

§. 8. Alii ibidem expectorant, ſe plures annos, menſes & dies in ſua edenda inſumſiſſe Opera, quàm olim vel *Homerus* in Iliada, vel *Virgilius* in Æneida, vel *Drexelius* in Orbis Phaëtonta.

§. 9. Alii ibidem omnes variarum linguarum materiarumque autores, quibus in compilandis Codicibus ſuis uſi ſunt, ordine longo enumerant.

§. 10. Alii denique ibidem conqueruntur de talibus inſatiabilibus lucubrationum præclariorum helluonibus, qualibus longè minus ſatisfacias quàm olim *Sigiſmundus III.* Polonorum Rex

illis

illis ſuis è bello Moſcovico reducibus militibus, de quibus apud Præcellentiſſimum illum πολυΐστορα Dn. *Andream Cellarium* in noviſſima Poloniæ deſcriptione ſic legas p.116.*Rex* Sigiſmundus *ut ſtipendia debita exſolveret*, Theſaurum Moſcoviticū *militibus ſeditioſis loco ſolutionis conceſſerat. Conſtabat is ex Livoniæ divitiis olim Livonibus ereptis, & urbis Novogardiæ magnæ auro & argento*, *quem* Baſilius *Magnus Moſcoviæ Dux annis ſuperioribus, trecentis curribus, in urbem* Moſcuam *advehendum curaverat. Erant in eo ex puro auro conflatæ imagines, & menſæ, ingens margaritarum copia, aurea & argentea vaſa, aureæ cruces, lapidibus precioſis ornatæ, unicornua & aliæ grandes Moſcovici Imperii divitiæ & theſauri longo temporis ſpacio congeſti. Nec tamen ſufficiebant tantæ divitiæ exercitui ſeditioſo, qui, poſt Moſcuam amiſſam, Poloniæ Regnum invaſit, & diverſis in locis depopulatus eſt. Ea de cauſa anno* CIↃ IↃC XIII. *Warſoviæ Comitia celebrare, & pecuniam colligere Rex coactus eſt,*

est, quâ seditiosorum militum rabiem sedavit. Ultra XX. milliones, *si censum in singula jugera impositum adjicias, accepere pauci seditiosi &c.*

Ego verò ferè nihil habeo quod præloquar, nisi forte magis opus quàm necesse fuerit, ut pauculas aliquot publicas de instituto meo reddam rationes.

§. 1. Liber inscribitur *Noctes*. Quia illum conscribens plures horas nocturnas ad minórem lucem lucernæ elucubravi, quàm ad majorem lucem Solis diurnam. A potiori autem assolet fieri sua cujusque rei denominatio.

. 2. *Granzovianæ*, ob Exod. 20. ℣. 12. juxta illud Homeri:

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Notum est illud *Sabellici* protrepticum: *Debet sua cuiq; patria, quæcunq; ei contigit, commendatissima & jucundissima esse*, ob illud Platonis: *Patria magis amanda est quàm mater, quia est quiddam divinum.* Indignus autem est patriâ, à quocunque pro virili non honoratur, & condecoratur patria. Patria autem mea civitas sita est sub Comitatu Ruppinensi.

§. 3. Diſcurſum autem hunc Panegyricum conſecrando nuncupavi *Politicis Eccleſiaſticiſque Perſonis*, ut innuam, Triumphalem iſtiuſmodi Materiam (quæ hactenus à pleriſque ſcriptoribus ita fuit pertractata, ut nemini propemodum emolumento majori eſſe potuerit quàm acutiſſimo cuique Romanarum Antiquitatum ſcrutatori) poſſe taliter in publicum promulgari, ut communiter inſigni poſſit eſſe uſui generi etiam humano reliquo, quod *illæ* gloriosè gubernant, & *hæ* operosè informant atque ad imaginem Dei reformant; prout facilè illi conſtabit, qui præter Elenchum Rerum præmiſſum Noctes noſtras perluſtrabit atque illud Bathonis Comicum ruminabit:

ἓν καινὸν ἐγχείρημα, κἂν τολμηρὸν ῇ,
πολλῶν παλαιῶν ἐστι χρησιμώτερον.

Hoc eſt:

Unus aliquis novus conatus, etſi temerarius fuerit,
Multis veteribus (præſtantior) *conducibilior eſt.*

Eſt autem hoc inter cætera facile cognitu ex Servilio, qui lib. 3. de numer. vet. æv. exerc. fol. 132. ait: *Difficilius aliquantò fuit Romæ ſeipſum quàm hoſtem vincere.*

§. 4. Stylus eſt *ferè* ubique difficultatis obſcuræ expers atque æmulus illi Apoſtolico 1. Joh. 2. verſ. 14. & ſeqqq. *Scribo vobis*, Pueruli, *quoniam noſtis Patrem. Scribo vobis*, Patres, *quoniam noſtis Eum, qui eſt à prin-*

cipio. Scripsi vobis, Adoleſcentes; *quia validi eſtis*, & *Improbum illum viciſtis*. Ne *diligite* Mundum, *neque Ea quæ* in Mundo *ſunt*. *Si quis* Mundum *diligit*, *in eo* charitas Patris *non exiſtit*. *Quoniam quicquid* in Mundo *eſt*, Cupiditas Carnis, & Libido Oculorum, & Faſtus Vitæ, *non eſt* ex Patre, *ſed* ex Mundo *eſt*. *Porrò* Mundus *præterit atque* Ipſius Cupiditas: *Qui verò* Voluntatem Dei *præſtat*, in æternum *manet*. Quapropter quemadmodum neutiquam vino vendibili neu ulli probæ merci ſuſpenſa opus hedera eſt: ita nihil eſt quod ullis verborum ampullantium lenociniis cuipiam perſuadeamus, ut ratione utilitatis maximæ, quæ ex lectione paucorum aliquot librorum capi aſſolet, hunc legere dignetur libellum. Libellus quippe hic nunquam non erit fructuoſus illis Lectoribus, qui eundem tam dextrè perlegent relegentque, ut ex eo pro ſua quiſque ætate ſibi talia eligat qualia in patentia indigentiæ ſuæ horrea colligat. Colligat igitur ſibi ex eo *puer* puerilia, *juvenis* juvenalia, & *ſenex* ſenilia, non autem puerilia, niſi tali repueraſcenti tritavo ſe æquiparatum velit, qualis ita delirat, ut neſciat quid dicat aut agat. Dixi, *ferè*. Quia non ſcripſi *Dies*, ſed *Noctes*. Noctium autem natura hæc eſt, ut vel ſub ipſis Pleniluniis nonnuſquã involvant nonnihil obſcuritatis. Quid? quod fermè ne-

mo mortalium est tam lynceus seu oculatus Argus; ut simul & semel omnia atque singula videnda videat & possit lucubrare lucubrationem tam perfectam atque numeris omnibus absolutam, quin eidem adjici possit illa recepta ICtorum protestantium clausula: *Salvo Jure addendi, minuendi, corrigendi.* Corrigendi autem avidus, si modò literis est tinctus, facilè inter σφάλματα illa rariora (quæ ante meos ad prelum chalcographicum accessus alternos in nonnulla prima primæ hujus Editionis exemplaria irrepserunt) conspiciet p.5.l.ult. legendum esse *emaculare.* p.39. l.9.*Concidet.* p.179. l.19. Stygias. & p.480. l.5. *quoddam.* Supersedeo adscribere, quod *magister discipuli diei prioris posterior dies esse assolet* juxta illud Pindari: αἱ φροντίδες δεύτεραι σοφώτεραι. Taceo quod propter ingruentes nundinas Francofurtanas caput ultimum paragraphis gaudet paucioribus quod alioqui valuisset ovare pluribus. Sedenim gratificandum nonnunquam est amicis interpellantibus: *Manum de tabula.* Plura non commonefacio, sed Te, benevole Lector, in Christo φιλοσοφεῖν, benè valere, avere & Noctibus his nostris Granzovianis uti fruique jubeo. Atenim,

Mi fautor, si tu melius quid noveris istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

Iterum vale, & in amore CHRISTI cale.

INDEX

Rerum & Verborum

Elucidatorius.

A.

Abrahami Patriarchæ corona triumphalis. fol. 71
Adulatio regnat, ubi παῤῥησία exulat. 350. 351
Additione & Subtractione morbos medicantur Medici. 548
Æsculapius in numismate percussus. 177. quis 178. 179. 181. 182
Æternitatis admiratio 259. meditatio 366. sabbatismus. 393
Alphonsus Tostatus παντοδαής. 2
Albanus Dux. 93
Alaricus Gothorum Rex quo instinctu evertat Romam. 140
Alaricus Visigothorum Rex à Ludovico I. Gall. R. victus interimitur. 354
Alphonsus Rex 14. vicibus accuratè pervolvit Biblia. 408
Albi Panis filii qui Aristophani. 502
Alexandri M. inclementia. 520
Albertus II. Imp. colit diligens tria. 510. 511
Alas duas Aquilæ magnas sortitur Ecclesia. 538
Alumni Fortunæ. 533
Alphabetum Dei & Diaboli. 421
Ambstelodami Encomion. 38
Amici fidi rari. 103
Ambstelodamensis Magistratus edit ludos Curules. 342
Amici fidi æstimatio vera. 103
Animus defessus renovatur quomodo. 63
Anima humana quanti æstimanda. 99
Anima tribus ad Regenerationem indiget. 133
Angelorum spectaculum. 345
Antiocho filio amoribus saucio ægroque pater Seleucus Syriæ Rex tradit partem concupitam. 401
Antichristus quomodo à Christo internoscatur. 479. 480. ad 486

** Anti-

Antichriftus quid fit Catharino 490. quis Oecolampadio. 256. Athanafio. 164
Animæ ornamenta funt infignia documenta. 541
αἰπςίας θάνατος. 214
Appius Claudius Pulcher triumphat primus fumptibus privatis. 279
Apologia optima. 290
Arriani philofophi vox de fcholæ miniftris. 368
Arma Magiftratus. 407. 411
Arfenii precatio quotidiana in aula. 498
Arithmetica Sanctorum numerat dies vitæ paucos. 130
Affeffores in Curru Triumphali Diaboli qui. 320
Apoftoli *Matthiæ* vox de vincenda libidine. 337
Afinus Reatinus quanto vendatur. 391
Afclepiadis 3. Adverbia. 548
Avaritia Dynaftarum improborum non curat confcientiam. 54
Auguftus Octavianus triumphat. 96. 97. & feqq.
Auguftini libri 22. de Civitate Dei. 140
Avaritiæ Terminus fatalis. 281
Aulici defcriptio. 351
αὐτόχειρες fiunt plerique pridie triumphatus. 371. 372
Aulicus favor inconftans infidufque. 436. 437
Avaritia Radix Omnium Malorum. 479
Aulæ Romanæ Papalis Simonia. 517
Aurelius Valerius Probus creditur plerifque ultimus Triumphator Romanorum. 543
Aulicus favor Magnatum qualis. 436. 538
Avibus cœli paratur à Deo convivium Triumphale. 85. 530
Avaritiæ prætextus parfimonia. 533

B.

Baptifmum fuum abnegant indigneque ad S. Cœnam advolant, qui fe totos Mundo conformant. 275
Bellatoris virtutes 20. 241. is vincit omnia duobus. 76
Bombardici pulveris inventio. 77
Bombardarum coriacearum inventor quis. 78
B ni Principes perpauci. 120
Bacchus triumphat primus in Græcia. 139

Bella

Bella civilia perniciosissima. 149. 150
Bugenhagii effatum de Cœna Domini. 225. ad 227
Bella quænam censeantur Justa. 240. non temerè suscipienda 241. & 242. vitiorum plena. 242. ad 245. dissuadentur 246. 247. limitantur. 248. epithetis variis deformantur 249. quantocyus finienda 248. eorum origo fontana. 249. 384
Bona verè sua omnia homo moriens animæ suæ secum ferenda committit & præmittit. 260
Beatum faciunt solæ Virtutes. 270. ad 273
Bellum minus conducit Europæ quàm Pax. 294. ad 301. ejus origo. 249
Bohemi Lusati judicium de bellis Christianorum. 301. 302. 303
Bonifacius Ultrajectinus Episcopus à Frisiis trucidatur. 305
Belli intestini natura. 315. 316. 317
Bonorum est sua promptè communicare. 331
Bellatores Europæi præliaturi sollicitant Deum precibus contrariis. 337
Bestiarii olim Christiani. 344
Belgii honesta gloriatio de tribus 365
Belgicæ Aristocratiæ laus. 466
Bono bonus Princeps Patri æquiparatur. 376
Bos simplex animal. 369
Bajazethen I. Turc. Imp. vincit capitque Tamerlanes. 446
Bestia pulchra quis *Clementi* VII. Papæ. 307
Bello captorum status miserrimus. 520
Bello, Confederata Provinciarum Belgicarum Unio efflorescit, alia territoria interarescunt. cur. 466
Bonorum omnium radix Liberalitas. 533
Blanda & molli educatione parentes plerique liberos offerunt Diabolo. 308

C.

Cæleſtini III. P. P. vox. 22
Chrysopœia Chymica. 23
Carolus Gustavus Suecorum Rex. 39
Constantinopolis expugnatur. 61
Castrensis Triumphus gynæcii Israëlitici 72. Frideric.

Henrici Princ. Auriaci Bredam expugnantis. 62
Condonare nolens proximo frustra veniam apud Deum quærit. 68
Cn. Fulvius Flaccus victor abnuit Triumphum decretum. 93. punitur- *ibid.*
Corona Magna 139. Coronarum autor. 184
Corona symbolum perfectionis & exhilarationis. 168
Coronæ Triumphatorum laureæ adhibentur gemmæ aurumque 171. Coronæ variæ. 184. Corona Triumphatoris incredibili pondere 185. Corona Civica cui donata. 187. Ciceroni decernitur & Demostheni adjudicatur 187. Muralis qualis. 189. Muralis corona qualibus debeatur Christianis. 190. custodiatur 278
Castrensis qualis, & cui data 198. Rostrata qualis & cui concessa. 200
Obsidionalis qualis & cui concessa 202. 203. Corona Contumeliosa 116. Corona Christi triplex 269
Christi currus Triumphalis. 285.286
Christianorum Currus Triumphalis benedictus 324 eorum dissidia dant Turcico Imperio incrementa. 447
Conscientiæ Cura 183. Conscientia emaculata qualis. 185
Catonis Censorii Triumphus Innocentiæ. 286. 287
Carolus II. Magnæ Britanniæ Rex. 291. 343. quantus ei debeatur Triumphus. 365
Cura paterna circa liberorum educationem. 307
Corani Mahometici mendacia. 310
Curiositas alia licita, alia illicita. 311 312
Conscientia Pharisaica Papalium animalium. 192
Columna militaris in Templo Dei Victrix Triumphatrixque. 338
Causæ optimæ possessor nonnunquam ab improbo vincitur. 338
Cæca Papistarum Obedientia. 339
Christianorum Ornamentum perfectum quid. 375
Castitas Michaëlis Verini. 403
Christi purpura qualis. 440
Causæ Turcicarum victoriarũ contra Christianos. 447. ad 452
Caveatur Mundus dolosus & perniciosus. 463. ob diaboli-

bolicum ingenium 464. & sacram suam Triada. 464
Causæ multorum bellorum, *Meum* & *Tuum*. 477
Constantinus M. triumphat 546. ejus labarum. 424
Communis Homo, Antichristus. 524. & omnium Vitiorum servus diabolique filius. *ibid.* actus Spiritu Cain. 55
Castrensius Christianorum vincentium Corona quæ. 536
Cynosura Jurisconsultorum triplex. 584
Carcer Satanæ, Bestiæ & Pseudoprophetæ æternus qualis. 531. 531
Concordia Paxque Christianos maximè decent. 301
Calantica Minervæ. 521
Columnis quot sit Aristocratiæ Belgicæ fundamentum superstructum. 466
Confidens carnalibus præsidiis maledictus. 437
Cadere in prælio terrestri humanius videtur quàm perire in aquis. 440. 442
Canes olim erunt multi, qui jam volunt esse homines primarii. 515
Claudicantia animalia in aula. 507
Coronam Anastasii donatam donat templo Lateranensi Ludovicus I. Gallorum Rex. 354. 355
Christus fuis triplex signaculum. 348

D.

Deus vel Impiis dat Regnum terrenum Dominis. 261
Dona Triumphalia quomodo distributa. 279
Differunt inter se Currus Triumphales. 282
Diabolus Princeps Martiæ facis. 33. Ejus Currus Triumphalis. 319. Vigilantia insidiosa. 549
Deus est lectissimum Sanctorum suorum aurum. 362
Denarius est Campi Mareschallus. 362
Duci in Triumpho, ignominiosum. 371. 372. 373
Dei longanimitas serò vindicat. 377
Diocletianus Imp. triumphat de Persis. 372. 521. 558
Deceptores sunt nonnulli præceptores. 505
Dominus regit Me, non est vox Papæ, neu cujusvis mun-

mundani Dynastæ. 496
Duellis plerique diabolo animas suas offerunt. 90. 91
Dormitantium Christianorum plures quàm Vigilantium. 549
Diabolus in quibus Scholis & Academiis evadat victor & Triumphator. 549
Deificatio finis vitæ humanæ. 541
Discenda duo potissimum à Christo. 551
Deorum semen Anomia. 522. Eos eorum Academia docet, quam rarò perdiscunt Justitiam. 523
Δωροφαγία & προσωποληψία apud Mortem & Martem divinæ iracundiæ nulla. 524
Deus *Venter* multos habet ubique cultores. 262. 507. 515. 464
Discenda est Pietas & optima quæque documenta ab ipsa ineunte ætate. 504
Deo Oblationes & Eleemosynæ hypocriticæ sunt abominabiles. 169. 418
Deus taliter Principes tractat qualiter à Principibus tractatur, sive glorificando sive despectando. 120
Dei judicia justificant Justitiæ & Sapientiæ filii soli. 152
Discant Principes Mexicanorum Philosophiam. 417
Δοκησισοφία noxia possessori. 1

E.

Eucharistica sacrificia. 128
εὐθανασία. 130. 235
Epitaphium Cerberi ludimagistri. 219. Probi Imp. 345
Extremo die Turba Immisericordiæ magna vendetur sub corona. 220
Explicatio S. Scripturæ Politica. 239. 440
Ecclesiæ Minister quandoque Diabolus. 240
Effatum Calvini de Translatione Henochi. 254
Effatum Lutheri de animabus defunctorum. 255
Ecclesiæ Corona summa quæ. 269
Ecclesia habet sua quoque Strategemata. 274
Extremi judicii præsignificans nota, Bellum. 303
Elisabetha Angliæ Regina. 304
Encomium Annæ Mariæ Schurman. 304

Effatum Alphonsi Regis de Alvaro Luna ingrato. 326
Emissarii Papistarum aranei cavendi. 340
Epitaphium Ambrosii Lobwasser. 374
Ecclesia ubi sit. 349. 350
Encomium Vitaliani 419. Virgilii 365. Sulpitii. 49
Epitaphium Judicis. 418
Ecclesia quandoque triumphat magnificentius Mundo. 418. 419
Ecclesiæ Trophæa. 424. 425. 426. 428
Educandis liberis præficiantur idonei præceptores. 412. 508
Ecclesiæ hostes ultimi qui. 530
Exercitus Tyllii Cæsareus cæditur ad Lipsiam. 337
Ennii epitaphium. 112
Empedoclis Philosophia in spectando cælo. 195. ejus lethum stultum. 111
Eumenides dicuntur Furiæ infernales. 243
Educatio liberorum fida à parentibus exigitur. 366
Equitatus in Myrteto insuparabilis propugnat Ecclesiam. 34
Exitium unde Civitatibus. 417
Egregius Concionator Ecclesiasticus est divinus Reip. Thesaurus. 548
Ecclesia non caret experimentis Tentationum. 72. deprecatur autem ne ab illis vincatur. 431
Ecclesiarum Belgicarum Reformatarum laus. 163

F.

Fabius Chisius fit Alexander VII. Papa 135. 136
Florentiæ encomium. 13
Ferdinandus II. Imp. 36. ejus vox. 150
Fridericus III. Danorum Rex. 39
Flavianus fallit fidem magnam Ecclesiæ. 136. 137
Fidei Potentia & laus. 148. 149
Fama ubi sepulta. 177
Fabio Maximo datur Corona Obsidionalis. 203
Fortuna quomodo consideretur. 221. 222. 223
Fidei Christianæ regula est S S. Scriptura. 231
Friderici Wilhelmi Elect. Brand. encomium. 250. 291
Ferdinandus Rex ad mortem paratus 259. 260. reddit

resignans Deo feudum Regale. 260
Fugâ vincitur libido carnalis. 274. fugiendo Joseph in Ægypto Victor triumphat. 274
Fugiendæ juvenum cupiditates tales qualibus baptismum suum abnegant, & in S. Cœna Christum denuò crucifigunt. 257
Fortia agere & pati pro Christo Christianorum Victorum & Triumphatorum est. 278
Famæ laus. 309. eâ contemtâ, contemnuntur Virtutes. 309
Favor Mundi inconstantissimus. 323. 324
Favet insigniter peregrinis Stephanus I. Ungariæ Rex. 327
Fama bona curæ sit Ministerio Ecclesiastico. 381
Fundamentum Reip. est educatio adolescentum. 503
Franciscus Spira ante tempus damnatur. 305
Fridlandiæ Dux Albertus miserè internecatur. 538
Forma Triumphandi. 342. 346. 348. 349. 351. 352. 353. 359. 360. 361. 362. 363. 369. 370. 371. 374. 375. 377. 379. 382. 384. 386. 398. 399. 404. 418. 420
Fundamentum omnis veræ Literaturæ quod. 552
Fidelis famulus Dei quis. 551
Fortunæ mortuæ idolum à quibus adoretur. 437
Fraterna Charitas ubi exulat, ibi Injustitia triumphat.

Furum plenus Mundus. 401
Favor parasitorũ quantillum conferat Principibus. 117
Fallacia sunt pleraque Mundi promissa. 104
Fugâ obtinetur Victoria, ubi in Christi castris non obtinetur pugnâ. 274
Fulmen super pulvillum. 416

G.

Galliæ laus. 16
Gustavus Adolphus Suecorum Rex. 78. 337. occumbit. 532
Gynæcii Israëlitici tria Cantica. 75
Gloria Jul. Cæsaris poterat Triumphos contemnere 94. ejus Triumphi permulti. 95

Gloriâ vexantur etiam Philosophi 111. ejus differenti 111, eâ ducuntur Principes, Poëtæ, pictores, artificesque alii. 112
Grex talis, Rex qualis. 134
Gloriæ inanis concupiscentia homines facit gehennæ mancipia. 147
Gratia Mundi somno fallacior. 321
Gloria & Magistratu quantocyus possessores dejiciuntur. 324
Gregorius XIII. Papa triumphat de occisis Euangelicis in Gallia sub Carolo IX. Rege. 527
Græca cum Latinis conjungantur in scholis. 506
Gagneji Pontificii Theologi ingenuus candor. 491
Gothofredus à Boüillon capit terram Sanctam. 445
Gloriæ pars è Victoriis debetur militibus. 243
Gallorum natura. 463
Grammatica Mundi Pseudopolitica rectum vertit in obliquum. 462
Georgius *Moncus* Britannicus Hercules suâ prudentiâ & industriâ ex undecennali exilio Regem Carolum II. in Regnum restituit Victor Triumphatorem. 207
Grammatica humanæ vitæ continenter conjugat Imperfectum. 71
Gloriam in tempore spernens quid lucretur. 154
Gabellis novis pecus populare non deglubere, sed parcè tondere, laus Principis antiquis vectigalibus contenti. 119
Gratulatur in Capitolio Triumphator Jovi. 418
H.
Haddingus Strategemate capit urbem Lunam. 454
Hæretici an omnes sint quos Papistæ Hæreticos vocant. 187. an comburendi. 197
Habitare secum scire, paucorum est. 197
Hannibalis victoria memorabilis. 474
Honorandi in Principum aulis Concionatores Veritatis sunt auro & argento multo. 113
Hispaniæ laus. 16
Hostia jubilationis. 86
Hieronymus Pragensis perit. 94
Hieronymus Savonarola perit sub Alexandro VI. P. R. 157

157. 158. ejus vox. 158
Hominis calcaneo antiquus insidiatur Draco. 199
Heliogabalus Imp. qualiter triumphat. 220
Homines coronas quas possunt conferre, possunt auferre. 278
Humana Corona suspecta quandoque. 278
Honorificentiæ Corona 277. Grammatica 220. Arithmetica 221. Logica 221. quam ambit Spangenbergius 225. Rhetorica 227. 228. Cabalistica. 229. E-teologica. 229
Horologium divinæ Providentiæ est semper expers erroris. 289
Henricus II. Pacificus Galliarum Rex pacem 400. Trophæis è bello partis præfert. 295. 295
Hegesiæ eloquentia incredibilis. 334
Heshusius conc. ignominiosè Magdeburgo evehitur. 377
Historiæ encomium. 518
Hodierna Mundi ætas non triumphat Triumphos justos. cur. 542
Humilitatis honoratæ Candidat. rarus quo gaudeat. 395
Homo à divitiis in vitia ferè proclivis. 19
Hetrusca Corona. 84
Homerus & Plato Reges Mundi. 506
Henrici IV. Galliarum Regis vox. 365
Humilitatis compendium. 67
Homo ex humo ortus humo inhumari gaudet. 441

I. J.

Ignatius Leopoldus Imp. inauguratur. 10. laudatur. 250
Juniperi ridiculum confusionis ferculum. 58
Ingratitudo quantum vitium. 86
Johannes Hus perit. 94
Imitandi Magnatibus. 113. ad 122. & 412. 413. 414.
Judicium cæli effugit quotidianus sui ipsius judex. 129
India Orientalis hodie non ita invicta ut olim. 140
Judæi raró convertuntur, ubi Politici & Ecclesiastici discordant. quomodo tractandi in Europa Christiana. 158. ad 163
Jesuitarum alii generosi, alii degeneres 157. 196. eorum indocilitas ad formandum Syllogismum Logicæ Christianæ optimum. 357

Josuæ Stegmanni effatum de collapsa Disciplina Ecclesiastica. 237
Johannis Casimiri Polonorum Regis encomium. 250
Idola Christianonymorum & Judæorum qualia. 259
Imperatorum depositorum exempla. 278
Joseph in Ægypto triumphat fratrum invidiam. 287
Innocentiæ & salvæ Conscientiæ Triumphus. 287
Justitiâ & Religione nititur populi Salus & Reip. fortuna. 292
Impiis adest Deus per vindictam, piis per Gratiam. 319
Insanabilis Triga. 334
Injuriæ aliæ vindicantur, aliæ dissimulantur. 377
Infelicitas summa quæ. 430
Judæi contra Christianos quotidie precantur. 526
Incruenta Martyria. 547
Imperiti rei scholasticæ se abstineant à scholastico sceptro. 512
Jul. Cæsar in Curia Romana confoditur. 358. ejus tria verba. 386
Indigni Magistratu permulti. 364
Interitus Manlii Capitolini. 385
Justus vir quis Philemoni Comico. 19
Idem bene dictum iterare licet. 7
Ibi maxima grassatur Injustitia, ubi Injustissimus quisque volt videri & haberi Justitiæ Patronus. 56
Inexpugnabilia omnia quibus duobus vincantur. 76
Judæis terrori Christiani quales. 162
Incurabilis est Babylon. 39
Judicium antiquum de Intellectu Apocalypsis. 525
Ingenium humanum proclive ad fallendum semetipsum. 497
Justitia Romanorum pollutissima. 469
Job verus Typus Patris Patriæ. 409. 410
Jura Triumphandi. 143
Illuminatio illuminationi majori minor cedat. 478
Intentio Caroli Magni fundantis Monasteria. 145
Jure duplici obtinent credentes Regnum cœlorum. 209
Imperativus tam in schola Grammaticorum quàm in aula Politicorum caret primâ personâ. 153
Insidiatur Romana Ecclesia Protestantibus non secus ac hære-

hæreticis. 55
Inhonoratiora principia sæpè excipit gloriosa rerum inventarum magnificentia. 80
Juventus Belgica. 413
Judæis usus Pecuniæ obstaculum conversionis. 158. ad 161

L.

Laus P. Scip. Æmiliani. 365
Leges *silent inter arma* 241. earum duo capita. 18. 411
Lapis Macrosophorum baccatus. 54. 253
L. Sicinii Dentati Coronæ. 70
Luxuria ab exercitu ex Asia in Urbem invehitur. 102.
Liber Animæ è corpore evolantis. 131
Literæ laureatæ. 141
Laurea Triumphatorum unde desumpta. 170
Laurea cælitus datur perseveranti 174. 175. eâ se munit Caligula Imp. contra fulmina. 185
Libri Orthodoxorum à Papistis indignum in modum comburuntur. 201
Libri Hæresiarcharum myoparones Satanarum. 201
Lutherus combussit Juris Canonici Corpus. 201
Luciani impia vox de Servatore nostro crucifixo. 217
Licinius Licinianus Imp. *literas literatorum* vocat *venenum & pestem Reip.* 218
Leontini Gorgiæ gloriatio. 257
Lingua in adversis agens Deo gratias coronatur. 270
L. Cæcili Metelli laus ob conservatum ex incendio Palladium. 291
Libertas Christianorum vera. 307
Linguâ Eleonoræ conjugis curatur venenatus Eduardus I. Angliæ Rex. 335
Logicæ Christianæ Syllogismus optimus 357. ægerrimè condiscitur ab ignavis Jesuitis. 357
Laureæ pietatis, Justitiæ & Sapientiæ unde? 367
Linguæ humanæ injuriam ne summi quidem Monarchæ effugere valent. 534
Ludovicus XIV. ducit in matrimonium Mariam Teresam filiam Regis Hispaniæ Philippi IV. 229
Laus Jurisconsultorum. 548

Liber

Liber de *Natura Persuasionum Humanarum* nondum evulgatus. 531
L. Manilius Alcidinus vetatur ovare. 7
Laurus Apollini sacra. 35
Librorum παῤῥησία à Regibus Philosophicis facilè toleratur, quam δεισιδαίμονοι cæteri exilio mulctant. 509
Licentia Poëtarum. 38
Leo III. Papa coronat Carolum M. Imp. 37

M.

Mare mortuum, ubi olim Sodoma & Gomorrha. 58
408
Monarchiæ Mundi quatuor jam olim interierunt. 542
Mundi stultitia 53. risus fletum habet pedisequum. 290
Martyres triumphant, dum eos Tyranni necant. 108
Mons Albanus Triumphatorem primum habet C. Papyrium. 110
Magnates non omnia possunt. 123
Medici laus. 124. 209. 210. 548
Miracula Jurisconsultorum. 125. 126
Musica animæ Christianæ quæ. 127. 128. 395
Moriuntur multi, quia nihil fecerunt. 141
Mysterium Politicum de Cæsare Pontificio. 141
Monachorum pars maxima qualis. 145
Mors beata indiget præparatione 172. 173. 174. exemplo Michaëlis Paphlagonis Imp. 174
Mors non respicit sexum, ætatem, dignitatem, fortunasque hominum. 199. inexsaturabilis est. 200
Merendi vox Juridica. 221
Magistratui Depositario quid concreditum. 252
Miracula Mundi quot. 258
Militiæ Christianæ Corona datur variè. 270
Magistratus insigne encomium. 276. 277
Magistratus est *Facere* & *Credere*, *Punire* & *Audire*. 292
Mundus stipendium militibus suis solvit Tragicum. 306
M. Curtius devovet se aris infernis pro patria. 306
Maculæ juventutis postea rebus præclarè gestis eluuntur. 308

Modus Triumphandi formalis. 312. 313. 314
Medius locus apud bonos optimus, inter malos pessimus. 314
Monoceros peregrinantium magister ductorque. 333
Magistratus sit melior subditis. 364
Ministri scholarum idonei non facilè dimitendi. 367. 368
Musæ subserviunt Marti. 378
Miles mortis stipendiarius. 398
Militia vita. 429
Ministris Ecclesiæ num competat nomen Deorum. 532
Mundus totus in quali jaceat lecto 400. ejus *Trinitas* sacra passim adoratur. 464

N.

Natura difficulter mutatur. 55
Natandi ars Delia opus est pertransituro hunc Mundum marinum. 131
Nominum specioso colore Papa illudit cæcis. 349
Novus vindicandarum Injuriarum Modus. 355. 356
Nobilitas quintuplex. 291
Navalem Triumphum primus triumphat Duilius Consul. 442. L. Æmilius Regillus. 443
Numerus 666. Apocalypticus falsò detorquetur. 491
Necessaria tantum sunt in Scholis & Academiis discenda ante omnia utilia atque jucunda. 548
Nili & Euripi gratiarum omnium unde. 550
Numismata sunt Antiquitatis documenta. 175. 176. 178
Nihil novi sub sole. 40
Notabilis reputatur annus 1660. à Christo nato. 229
Novum facinoris præclari decus, quo Jesuitæ possint laceratam famam suam insigniter resarcire. 197
Noxia bella. 141. 294. 225. 297

O.

Ovationis Originatio 26. 27. Definitio 28. à Triumpho differt 24. quibus decreta. 30. 31
Ovant primus Posthumius Tubertus. 30. Perperna Imp. 30. L. Cornelius Lentulus 31. Helvius, Terentius, Manilius 31. L. Septim. Sever. Pertinax Imp. 32.

Eccle-

Ecclesia intereunte Juliano Apostata. 34
Occasionis captandæ utilitas. 82. 83
Officia conferunt beneficia. 105
Ovicula dicitur Fabius Maximus. 151
Oliva Minervæ sacra. 170
Origenes Adamantius obmutescit inter concionandum. ratio. 189
Obsidionalis Corona summa debetur Christo. 203. ad 206. Christianis secundaria. 207. 208. Georgio Monkio Britannorum Imperatori bellico. 207. Medico. 209
Ostracismo Athenienses mulctant viros insigniores. 219
Origenis Adamantii opinio de animabus defunctorum. 255
Oecolampadii effatum de Antichristo 256. ejus modesta censura in Papas. 359
Opulentiæ corona. 277
Olympiæ Fulviæ Moratæ sententia de Cœna Domini. 303
Oblectamenta vulgi sunt Triumphalia spectacula. 342
Ornamenta Triumphalia. 435. 436. 439
Origo Turcarum paupertina. 445
Origo Papatus. 489
Orci Triumphantis catenæ duæ quæ. 536
Otia dant vitia. 545
Orthochristiani non ferunt fructus letho, sed Deo, nesciuntque placere sibimetipsis. 154. 323
Occasio qualis Aquila 83. capillata arripiatur. 83
Odiis mutuis immori animabus periculosissimum. 87
Officium Magistratus. 91
Optimis pessimos non semel Babylon præfert. 514
Optimi *pessimos* non rarò vident parentes *filios*. 106. 513
Occasio inclarescendi per egregia facinora studiaque amittitur procrastinando. 95. 386
Orthochristiani *Reges* 145. non nisi duo metuunt. 68

P.

Papa puerpera. 518. 519.
Papales tituli fallaces. 497
Papa, Imperator, aliique Magnates plerique num sint

Oviculæ. 496
Papa non semper & ubique mentitur, cur. 276
παῤῥησία Macedonii adversus emissarios Theodosii Imp. 516
Pacis veræ encomia 250. ejus amica. 250. tres species. 257
Patres plerunque censentur tales, quales videntur filii. 208
Patrum Heroum vestigia filii rarò calcant. 501. 106
Persei Triumphus Castrensis. 60
Peregrinantium mos. 82
Promotiones mundi variæ in suos ocellos. 100. 104. 105
Promotio Abdalonymi 107. promovet suos Deus mirè. 107
Prosopopœia Principis egregii 113. de Papa. 195. 498 de bellatoribus mortuis. 318
Perseverantia in cruce. 134
Pii V. Papæ epitaphium. 144
Pythagoræ μετεμψύχωσις. 44
Pueris Belgicis scholasticis Christianonymi similes. 154. ad 157
Pax vera quæ. 165. de ea numisma. 183
Piscis captus testis antiquitatis. 171. longævus. 172
Pisces maris & volucres cœli *Arnobio* qui. 215
Pharisæi apud & inter Pontificios Clericos hodiernos. 191. 192. 193. 106
P. Decius Mus accipit Coronam Obsidionalem. 203
Publicis triumphabatur sumptibus. 279
Plinii Junioris dictum de custodia pecuniæ. 280
Pernoscenda quatuor. 290
Prætextati filii cum patribus triumphant. 314
Prægustat gehennam in hac vita *Copronymus* Imp. 324
Peregrinationes aliis prosunt, aliis obsunt. 328. 329 330. 393. 394
P. Æmylio mittuntur Coronæ triumphanti. 353. 354
Pecuniæ usus quotuplex. 361
Philosophia *Paupertatis* ævo nostro avaro invisa. 362
Purpuram induant, qui pro Lege & Grege ad sanguinem pugnant. 370
P. Æmylius triumphat de Perseo. 372

Perfectissimus quis vir. 487
Pompæ Mundi magnificentissimæ ad tempus saltem durant. 541
Perdifficilia parantur labore. 28
Possunt & servi quandoque triumphare. 383

Q.

Quanta fides, tantum charisma. 53
Q. Fulvio Triumphus denegatur. 95
Q. Lutatio Consuli decernitur honor Triumphi. 143
Q. Metelli felicitas rara. 231
Q. Scævolæ integritas rara. 335
Q. Curtium historicum extollit Alphonsus Rex. 506. 507
Quadrigarum inventrix Minerva 546 iis Valerius Publicola primus triumphavit. *ibid.*
Quinquennale certamen Domitiani Imp. 9

R.

Religionis prætextu multa maleficia perpetrantur. 306
Reprehensio inculpata quænam. 340. 350
Rector Argentoratensis Academiæ primus quis? 359
Radices saluberrimæ Pietas & Sobrietas. 362
Romanæ Monarchiæ ingenium. 465. 468. 470. 471. 472. 473. ejus limites 476. ejus fatalis periodus. 475
Roma capitur prima à Gallis incendiariis. 524
Reverentia Jehovæ radix Sapientiæ. 504
Regnum Christi perstabit & durabit in æternum post interitum quatuor Monarchiarum. 542
Roma Mercurii mercatoris hodierna quas Merces cælestes vendat. 517
Rhadamanthi Jus. 405. 525
Rex puer est terræ infelicitas miserrima. 513
Resp. abundat *juvenibus* malis, *viris* pejoribus, *senibus* pessimis, ibi parentes malos præficiunt liberis præceptores. 505
Rex Mundanarum animarum blasphemarum fornicantium, mentientium, vorantium, potantium, frustrantiumque Diabolus 436. ejus artes & operationes. 463
Regum origo è servis. 38

Raro

Rarò in asperis, crebrò in prosperis laudatur Deus. 419
Romana Monarchia qualis Bestia. 49
Romulus necat fratrem Remum 50. 55. sub qua constellatione concipiatur & nascatur. 51. 52. ejus nutrix Lupa 56. ovat 73. jacet fundamenta Triumphi justi 80. 81. ejus triumphalis Corona 186. obtruncat victum Acronem. 77
Romani fraudulenti 56. raptores Orbis *ibid.* insatiabilis eorum avaritia 56. quibus gaudeant imperare 46 quibus parcant. 45
Romæ encomium 57. 352. hodierna expers Monarchiæ. 61
Romæ Majestas sub *Probo* Imp. 511
Reges humiliare conatus plerorumq; Paparum. 483. 486
Ratione Status cæcâ sine oculis Veritatis & Justitiæ gaudent Pseudopolitici. 54
Reus succumbit, ubi actor est judex in sua ipsius causa. 93
Roderici Gothorum Regis Epitaphium. 217
Resurrectione atq; adscensione Christi fiunt Electi credentes certissimè possessores paradisi. 207
Regum Thronus duplici nititur firmamento. 113
Ratiocinatione & Numero indiget Vita humana. 130
Reip. & Ecclesiæ quales præficiendi. 118
Regnum Dei quantæ sit excellentiæ. 186
Regalia Majora non facilè communicantur. 547
Rectoribus scholarum quantus debeatur honos. 116
Romanorum Dynastarum plures improbi quàm probi. 469
Religionum omnium una saltem vera. 184
Reprobationis divinæ signum non est omnis afflictio. 211. cur. 212. 213
Roborantia Cor tria. 228

S.

Sapientes se sæpè accensent inter insipientes. 63. ad 67
Stultitiæ confessione rarò triumphant Philosophi. ibid.
Sapricius recusat remittere Nicephoro. 88. 89
Σχῆμα Mundi velociter transit. 324
Stephanus Batorius Poloniæ Rex imitandus. 123

Somnus Mortis Symbolum. 131
Suos Deus facit Patientiæ perpetuæ alumnos sæpè in hac vita. 168
Saulis Mors in prælio minùs gloriosa quàm Davidis in lecto. 169
Serarius Petrus. 164
Sapientiæ Corona. 277
Sumtus Triumphales limitati. 280
Signis Imperatori quando decertandum. 307
Sejani casus quantus. 320. unde. 321
Sanus homo non eget Medico. 359
Simon Thuruaius privatur memoriâ doctâ. cur. 424
Scipionis Asiatici triumphantis Victoris præda. 457
Studeant studiosi studio Historico. 509
Sestertius quid. 532
Stephani I. Hung. Reg. favor in Peregrinos. 327
Sapientis artificis est, paucis multa complecti. 282
Studiosi Scholastici Academicive laus. 548
Stipendium serpentinum militibus suis solvit Mundus. 545
Sublunaria ferè omnia Mutationi obnoxia & interitui mancipata. 541
Spectaculum Triumphale Probi Imp. 544
Spiritu Mundi plures Magnates aguntur quàm Spiritu Christi. 496. 539
Signa lætitiæ reducum navigantium duo. 555
Solem comedens, luce pinguescit. 25
Scrutinium Conscientiæ vespertinum fiat ante indormendum semel quotidiè, si non sæpius fiat. 129
Sensus hominum recti quibus 4. pervertantur. 185
Servitutis plena sunt omnia. 519
Sanctio *Theodosii* Imp. *l. un. C. si quis Imp. maled.* in illis terris observatur, ubi non exterminatur. 518
Stella *Absinthium* cœlo excidit. 384
Spectacula quis primus instituerit. 8
Succuba *Phryne* meretrix Attica. 336
Salomonis prodigalitas. 43
Sapiens Stultitia seu *Stulta Sapientia* Liber. 76
Sebastiani Castellionis judicium de Antichristo. 42
Solus Christianus Magistratus potest mirificè ædificare divi-

divinum Xenodochium sine architecto, cæmento, calce, aqua & arena. 119
Soli Germaniæ equites & pedites possent cum Deo vincere Turcam. 446
Sacramentum Eucharistiæ externum indignè absque fide non est sumendum. 227
Sapientiæ professores plures habet Mundus quàm Sapientes. 48. 551
Stultitia Regum Gregibus noxia. 384

T.

Triumphi Orthographia 4. epitheta 21. 22. Origo 59. 5. Divisio. 24. Etymologia 4. 6. 7. summus honos. 21. 84. 20
Triumphandi vox dupliciter sumitur 8. 10. autoribus multis grata 13. ad 16. ignota Veteri Testamento. 11, 12
Triumphant Octav. August. 97. 98. 99. Domitianus 8. Tarquinius Priscus. 73. Gordianus 11. Misitheus 10. M. Valerius Corvus 59. Christus 13. 15. 25. Deus. 13. P. Decius 60. Vespasianus cum Tito filio pater. 63
Triumphale epulum Dei 85. Triumphalis Victima. 86
Triumphus justus & verus 95. negatur variis 143. Venereus & Martius quid differant. 35
Triumphi quot triumphati à Romuli ætate usque ad Imp. Justinianum. 546
Tormenta damnatorum ad gehennam. 523
Themistoclis φιλοτιμία ambitiosa. 127
Trophæa duo. 129. alia. 427
Turca an possit esse Ecclesiæ Pontificiæ membrum. 149
Triumphare prohibitorum exempla. 152. 153
Triumphus L. Lucretii Consulis dilatus. 166
Tribulatio purgat, illuminat, coronat. 290
Tacendo & sperando triumphat Victrix Ecclesia. 289
Turcarum studium ad conciliandos discordantium animos 326. eorum Victoriæ contra Christianos quandiu durabunt. 452
Temporis filia Veritas. 358
Theologi laus. 113. 381. 548
Terminus Vitæ. 9. 37

Triumphus Sanctorum rarus sub Philosophica Moriæ levideensâ. 63. ad 68
Tillius Ferdinandi II. Imp. Dux generalis. 337
Tyri πανωλεθρία 19
Thesaur. Antichrist. 43
Topazii inventio. 26
Torquati Prognosticon. 454
Trophæophoræ pompæ autor Romulus. 76
Typographiæ inventio 79. 80. abusus. 80
Torques elephanti testis antiquitatis. 171
Titi Vespasiani elogium. 513
Tituli insolentes. 72. 100. 171. 210
Tintinnaculum. 384
Thesaurus Messeniorum. 214. falsæ Pacis. 251. 397
Timet pius in vita Dei Justitiam, ut in Morte speret faventis Dei Misericordiam. 214
Tympanum ex carne humana. 232
Thomæ Mori Distichon de Principe bono & malo. 233
Themistocles lyram recusans excusatur. 363
Triumphantium mos. 433
Triumphat Scipio Major. 434
Turcarum ludimoderatores majorem merentur laudem quàm plerique Christianorum. 512
Turcæ (qui est Atticus παροῖκος) vicinia ingeneret Christianis concordiam. 552
Tyrannorum Victor Probus Imp. 445
Templum Memoriæ. 550
Triumphus Mundi Tragicus. 530
Thomas Henrici Pontificius quid credat de salute Turcæ. 149
Triumphus amoris 14. misericordiæ 15. bonæ Causæ. 16. Veritatis. 493. Pennæ Scholasticæ. 364
Trophæa Apostolorum. 425
Triumphalis Materia qualis Regina. 17
Triumphi Davidici de Goliathe Hypotyposis. 73. 74. 75
Territorium mancipiorum non elargitur privilegia loquendi & scribendi publicè Veritatem. 518
Trinitas sacra quam Mundus adorat. 464

Turcas

Turcas vincendi Modum è Turcis ipsis Christiani condiscant, nisi cæcitate laborant. 448. 449. 451. 452
Turcici Imperii Periodus fatalis. 454
Tondentius Gerhardus. 504

V. U.

Vatis egregii nota. 39
Varietas est delectabilis. 22
Val. Alex. Severus Imp. imitandus. 120
Vita humana indiget duobus 129. prosperis asperisque miscetur. 215
Versiculus Catonis præstantissimus. 130
Versatilis gladius. 407
Vocem Marsilii Ficini defuncti videtur sibi audire Michaël Mercatus. 138
Vitæ Æternæ hæredes pauci. 139
Villa ad Gallinas. 433
Vindictæ privatæ effigies. 146
Vigilantia decet Magistratum. 281
Vox Bonosi 365. Athanasii de Constantio Imp. 164
Victimæ coronatæ cur? 169
Vivacior hominibus plerisque piscis. 172
Voluptas maxima quæ. 478
Vox Varronis 48. 528. Euphemi Pseudopolitici. 176. Philonis Judæi de Religione. 183. Musæi 300. Eusebii Pamphili 189. Petri Aldobrandini Cardinalis. 410. Alphonsi X. Hisp. Regis. 217. Friderici II. Imp. 217. M. Antonini Imp. de fama post mortem. 230. Nazianzeni de Episcopatu. 231. Ambrosii de eodem 232. Hugonis Grotii de Schismate. 238. Davidis 36. Campanellæ de Aristotelibus, Lycurgis, Solonibus nostri seculi. 239. Theopompi Spartæ Regis. 274. Sturmii 359. Marcelli II. P. R. de sede Papali. 262
Virtus sola coronat 270. ejus cinis. 550
Vitia vincuntur resistendo. 270
Virtus vera sola conciliat Gloriæ constantiam. 282
Virtutis æternum Theatrum quomodo fieri queat aulicus. 286
Virtuti quantopere studendum. 307

Vani-

Vanitatis ichnographia. 310
Vita humana militia 429. Vigilantium somnium. 322
Victores in prælio Mystico evadunt sperantes in Deum. 337
Victoria incruenti exercitus laudatur. 338
Victoria soli Deo adscribenda. 360. 521
Victus, Amictus & Salus subditorum unde. 406
Vittati tauri. 369
Veritas Mundo gravis auditu. 400
Vitia Galli peregrinantes ex Italia ad suos adduxerunt. 503
Vindicta privata gaudent homines carnales. 535
Vindictam seram Tyranni haud effugiunt. 539
Vitæ humanæ imperatrix quæ. 552
Vulgus est ingrati, perfidi, levis & inconstantissimi ingenii. 354 537
Vita militum vita mancipiorum. 461
Umbra divinarum alarum propugnatrix est potentissimum aulici pii asylum. 540
Vestis *Discordiæ* lacera. 158
Vespertinæ mundi Ecclesiæ infeliciores matutinis. 536
Vindictæ privatæ imago. 146
Vita Angelica, Humana, Brutorum. 29
Vita Morosophorum in aulis. 351
Unitas quadruplex in Conjugio qualis. 402
Uticensis ille M. Cato ad tempus Martiam conjugem Hortensio amico communicat incommunicabilem. 402
Veritatis sale Mundus recusat condiri verminosus. 430. 350
Variis ex terris conquiritur Prudentia. 394
Vita militaris qualis. 389
Vitæ æternæ Trinitas quæ. 395

X.

Xenocrates Philosophus Ethnicus Christianos plerosque castimoniâ vincit. 336

Z.

Zonas Christianorum quomodo Turcæ emungant ære. 444

in quadam Belgica suæ Catechef. Oeconomicæ dedicatione præter alia excerptu, lectu relectuque digna commemorat; *quod in insula* „ Florida *ad ædiculæ cujusdam fo-* „ *res adscriptum sit nomen* JESU „ *cum hisce :*

DISCE, AGE, CREDE.

Quibus cum tribus si quis adspirante Sp. S. conjunxerit veram veri DEI Cognitionem Practicam, procul dubio è carnali Mundo ad spiritualem perveniat vitam, cujus raræ beneficio promissam Triumphalem paradisi æterni accipiat Victor pugnax Coronam.

NOCTIUM GRANZOVIANARUM
Seu
DISCURSUS PANEGYRICI
DE
ANTIQUIS
TRIUMPHORUM
SPECTACULIS,

Ξὺν Χριστῷ τῷ τοῦ Θεοῦ υἱῷ τῷ ἀκλιστοσυμπλαστουργοσυνθρόνῳ, προοίμιον.



INter cæteras argumentoſas ſententias, quas Lucianus Samoſatenſis poſteritati reliquit, iſthæc ſibi cumprimis palmarium ambit: *Καὶ ἄλλα δέ σοι πολλὰ ὑπάρχει μανθάνειν, ἕως μὴ αὐτὸν εἰδέναι οὐκ εἰδὼς δόξει.* Multis quippe Minervæ alumnis perſuaſio comparatæ ſcientiæ ſufficientis ſuperciliosa tam noſtra ætate, quàm omnibus retrò ſeculis notabili fuit obſtaculo, quominus ad ulteriorem permultarum rerum præclararum cognitionem progredi conniterentur, prout Quintilianus atteſtatur.

Atteſtatur quoque Hippocrates; *Vitam* eſſe *brevem*, *longam* autem *artem*; uſqueadeò ut vix Sextum in omni omnium ævorum hiſtoria comperias, cui honos τοῦ *παντοδαοῦς* ſit tributus poſt hos V. quorum I. eſt Hippias Eleus. II. Democritus Abderita Gelaſinus Pentathlus. III. Hieronymus Stridonenſis, de quo plerique ſuſpicantur Auguſtinum dixiſſe: *Nemo hominum ſcivit quod Hieronymus neſcivit.* IV. Toſtatus Abulenſis de quo non nemo poëtatur:

Hic ſtupor eſt Mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

V. Scaliger ille Joſephus, quem Hieronymus Wolphius *πανεπιστήμονα* appellitat; juxta illud Vatis:

Hic ſolus ſcivit ſcibile quicquid erat.

Quid? quod Juſtus Lipſius Epiſt. Cent. 2. epiſt. 48. ſcribit: *Tres ſunt quos admirari unicè ſoleo, & qui in hominibus exceſſiſſe humanum faſtigium videntur*, Homerus, Hippocrates, Ariſtoteles: *ſed addo hunc Quartum*, Scaligerum, *qui natus in miraculum & gloriam noſtri ævi.*

Quapropter non eſt illorum causâ deſudandum, lucubrandum atque exarandum, quorum nemo unus in loco occentat illud Hipponis:

Πουλυμαθημοσύνης τοῦ οὐ κενεώτερον οὐδέν,

ſed horum gratiâ potiſſimum, qui à teneris (quod Græci dicunt) unguiculis combibe-

biberunt vetus illud Jambicum è M. Tullio: οὐδὲν γλυκύτερόν ἐστιν ἢ πάντ' εἰδέναι. Quotusquisque autem hodiernorum Cosmopolitarum est tantus Apollo aut Mercurius incomparabilis, ut præcelsum illius Pansophiæ (quam Apostolus vocat Σύνεσιν ἐν πᾶσι. 2. Tim. 2. v. 7.) Olympum è propinquo conspectum polleat dextrè conscendere cùm ad avidos novitatis, tum maximè ad perstudiosos antiquitatis.

Nostra quidem Pace adhinniant alii ad quodvis Novitatis raræ genus; Nobis autem impræsentiarum non minus arridet Antiquitas, quàm olim delicato illorum convivarum palato, quibus, *teste* post alios Mizaldo *in memorab.* inter cœnandum *Julius Pomponius* magnificè generosissimum C L X. annorum vinum propinabat.

Propinabimus itaque Venerandis Lectoribus ex ultima Antiquitate illustrissimam illam de TRIUMPHIS Hypothesin, utpote quæ apud auctores rerum tantum non cunctum fert punctum, dum summam Ducis Victoris adoream oculis perlegendam proponit, juxta illud Justini: *Nihil Victores præter gloriam concupiscunt.*

CAPUT I.

VEro maximè consentaneum est, TRIUMPHI nomenclaturam non fuisse Latinis vernaculam, sed per Enallagen Symbolicam è Græca voce fontana Θρίαμβος sic derivatam, ut adspiratio ex syllaba antepenultima in ultimam sit translata & permutatio permutandarum reliquarum literarum figurata, teste Prisciano & plerisque Grammaticis Hebraicis super Matribus Lectionis.

§. 1. Nos nondum dedidicimus reminisci versiculi cujusdam Hiantæi, cunctas Alphabeti Latini literas sic comprehendentis:

Gaza frequens Lybicos duxit Karthago Triumphos.

Sectantibus verò Orthographiam sine adspiratione, patrocinetur M. Tull. Cicero, utpote qui jamdudum in Oratore ad Brutum p. 188. col. 1. præscribit: *Quin ego ipse, quum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali adspiratione uterentur, loquebar sic, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem dicerem: aliquando, idque serò, convitio aurium, cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.*

§. 2. Θρίαμβος, ut Varro, Passeratius & id

id genus alii Scriptores claſſici condocefaciunt, erat cognomentum *Liberi* Patris; utpote quo apud Thebanos ſympatriotas de Indis in Græcia primo omnium triumphante, milites comitantes foliis ficulnis quæ *θρία* appellantur, perhibentur vultus ſuos cooperuiſſe & ingenti vocis feſtæ contentione applauſiſſe: *Io Thriambe Bacche Io.*

§. 3. Multis in ſtudio hiſtorico evigilantibus Virgilius lucem ingenii ſui porrigit, dum ipſis Æn. 4. præcinit:

Ductoreſque alii, quos Africa terra Triumphis
Dives alit.

Namque Servius ad iſthæc Maronis verba ſic ſcribit: *Quidam dicunt Afros nunquam triumphaſſe. Plinius autem ſecundo Hiſtoriæ Naturalis, & Pompejus Trogus Aphros dicunt* Pompam Triumphi *primos inveniſſe, quam ſibi Romani poſtea vindicaverunt.* Livius *autem Andronicus refert, eos de Romanis ſæpius triumphâſſe, ſuaſque porticus Romanis ſpoliis adornaſſe.*

§. 4. Ab his haud longè abludere videtur illud Livii Lib. XLV. *Milites laureati Triumphum nomine cient.* Ciebant autem pompoſam illam ſolemnitatem milites, dum è pugna victrice reduces Imperatoribus ſuis Triumphando in Capitolium ſe conferentibus acclamabant: *Io Triumphe! Io Triumphe*, prout effulget ex illo Naſo-

 nis

nis ad Cæſarem ſuper devicta Germania 4. Triſt. eleg. 2.

Crinibus en etiam fertur Germania paſſis,
Et Ducis invicti ſub pede mœſta ſedet:
Collaque Romanæ præbens animoſa ſecuri
Vincula fert illâ, quâ tulit arma, manu.
Hos ſuper in Curru Cæſar Victore veheris
Purpureus populi rite per ora tui.
Quaque ibis, manibus circumplaudêre tuorum,
Undique jactato flore tegente vias.
Tempora Phœbea lauro cingentur: IO*que*
Miles IO *magnâ voce* TRIUMPHE
canet.
Ipſe ſono plauſuque ſimul, fremituque calentes
Quadrijugos cernis ſæpe reſiſtere equos:
Inde petes arcem, & delubra faventia votis:
Et dabitur merito laurea vota Jovi.

Tantum autem abeſt, ut Romani Germaniam totam expugnarint, ut ne ſemel quidem ullo die aut nocte ſe in penitiora Regionis iſtius Auguſtæ viſcera penetrârint.

§. 5. Quo collineaſſe illi Germaniæ advocati & legati præter cæteros videntur, qui exiſtimant, Triumphum ἐκ τῶν τριῶν dictum eſſe, quippe quem ſua decernentium judiciorum celebritate cohoneſtabant *Ordo Senatorius*, *Popularis* & *Militaris*, ut apparet ex Suetonio Tranquillo & Pomponio Læto. Frequenter equidem ſe militari ſocietati aſſociaverant tot Patri-

tii Romani suo ipsorum sumptu gratis militantes, ut ex *Livii* lib. 2. & prisco *Pinachidio Leidano* colliqueat; Aliquando à Vejentibus ad Cremeram Thusciæ flumen CCCVI. Fabios tam miserè cæsos esse, ut memoratus Ovidius super hujusmodi funesta ac mœsta strage hoc Epicedion canat:

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit una dies.

Veruntamen Votum militare erat duntaxat suffragium servile usqueadeò uti conscriptus stipendiosus Romanorum exercitus Victorem quidem potuerit Triumphatorem denominare, sed non authoritate dominicâ confirmare, prout inferas ex illo Livii dec. 4. lib. 3. *Lucius Manilius Alcidinus ex Hispania decedens, prohibitus à M. Porcio Lecca, ne ovans rediret, cùm à Senatu impetrasset.*

§. 6. Hinc Matthias Martinius in Lexico suo Philologico Triumphum deducit ex θρίον *frons* & ἀμβαίνω, *adscendo.* Adscendebat namque Victor propter *Magnum Diem* festa fronde coronatus in locum Triumphatui consummando destinatum, qui erat Capitolium, ut antea audivimus & postea audiemus. Δὶς γὰρ τόγε καλῶς ῥηθὲν, ὐδὲν βλάπτει, ut 5. de LL. Plato profatur, & variis Israëlitici Psalterii, Ethnici

Homeri & Virgilii versibus probatur.

§. 7. Verbum Θριαμβεύω Latinis est *Triumpho*, & effertur de eo

1. Qui Triumphum agit. Sic de *Titi Vespasiani* fratre *Domitiano* legitur: *De Dacis Cattisque duplicem Triumphum triumphavit; de Sarmatis autem solùm Lauream usurpavit, quàm Jovi Capitolino retulit. Sumptuosissima spectacula edidit & tales ludos septimos seculares fecit, quales singulis centum annis celebrabantur, postea quam horum primos instituerat Publicola anno ab Urbe condita* CCXLIV. *in quibus per tres dies atque noctes sacris totus populus operabatur* ad aras Jovis & Apollinis, *quibus candidus mactabatur taurus, & huic Palatino Vatum* DEO *canebatur carmen à pueris puellisque patrimis atque matrimis: deinde* Junonis, *cui juvenca itidem candida, & hæc quidem interdiu, noctu verò* Dianæ Proserpinæ, Terræ & Parcarum, *quibus furvæ hostiæ, luminaque accendebantur.* Quintos *fecisse Augustum & Agrippam, Furnio & Syllano Coss. proditum est, in quibus cantabatur in Capitolio à Virginibus puerisque carmen Horatianum, quod* Seculare *inscribitur. Præco autem ad istiusmodi solemnitates populum sic convocabat*: Ad eos convenite ludos, quos nemo vestrûm antehac spectavit, nemo est posthac spectaturus. *Quia paucissimi mortalium sunt peculiari cælestis gratiæ privilegio tam vivaces, ut omnem Tempestatem climactericam transiliant & vel centesi-*

tesi-

tesimum vel ulteriorem quemvis annum sortiantur emortualem vitæ suæ Terminum, ob illud Mosis Psalm. 90. 10. In ipsis annorum nostrorum diebus sunt *septuageni anni*, aut (ut simus valentissimi) *octogeni anni.* Annorum horum mire prædestinatorum ratione nolim adscribere, quod *in isthoc Macrocosmo plures conspexeris vivaciores rusticos, servos & mendicos, quàm Magnates, Imperatores & Pontifices Romanensium animarum Maximos.* Malim pergere, quòd *memoratus Domitianus quoque quinquennale Capitolino Jovi certamen instituit*, Musicum, Equestre *&* Gymnicum: *quod fuit autor* Capitolinorum agonum, *per quos* Annus Magnus *&* Lustrum *diligentius servabatur: quod omnibus certaminibus præsedit* habitu Deorum *vestitus, Germanicam gestans coronam, cum effigie* Jovis & Junonis, Minervæque: *quod post hæc spectacula* Jovi Capitolino *dicata, procedente tempore, more* Caligulæ *se &* Dominum *&* Deum *appellari jusserit.* Vah arrogantiam & gloriam nimis immensam & pene inauditam! *utpote qui non modò sibi aureas argenteasque statuas, &* Arcus Triumphales *constitui jussit: sed & assumpto* Germanici *nomine*, Septembrem ac Decembrem *menses à se denominavit; congiarium Populo, Epulum Senatui Equestrique Ordini dedit, multa publica ædificia exædificavit, &* Jovi *custodi ingens Templum in Ca-*

pitolio erexit, ſeque in ſinu illius ſui Dei conſecravit. Ita etiam Verbum noſtrum intellexiſſe videtur ſtrenuiſſimus ille Phœbicola *Johannes Aloyſius Buchorſt*, quando in ſua *Germania Exultante* ſeu *Plauſu Gratulatorio* electum illum Imperatorem Romano-Teutonicum *Ignatium Leopoldum* feſto Coronationis inauguralis die anno CIↃIↃCLVIII. inter cætera his votivis verſibus Heroicis allocutus eſt:

IGNATI LEOPOLDE *Veni, Rege, Vince, Triumpha!*
Vive diu terris terrarum gloria! CŒLI
DIGNE LEO! LEO DIGNE SOLI! *Virtutibus Orbem*
AUSTRIACOSQUE *Atavos factis ſuperantibus imple!*

2. Qui Victorem reddit Triumphatorem, ſeu efficit, ut Victor hoſtes in Triumpho ducat, ſeu exhibitos publicè ſpectaculo triumphali pudefaciat. Sic eloquaris: *Gordianum Juniorem Imp. triumphavit ſocer Miſitheus. Miſithei namque viri doctiſſimi filia prius ipſi nupſerat, quàm ad Bellum Perſicum cum ingenti exercitu per Mœſiam proficiſceretur, ac quicquid hoſtium in Thraciis offenderat, delebat vel expellebat. Inde per Syriam ad Antiochiam devenit à Perſis occupatam, ibique frequentibus prælis ſecundioribus ſic pugnavit, ut vinceret, & Sapore Perſarum Rege ſubmoto, Antiochiam, Carras*

&

& Nisibin, quibus Persica jam gaudebat Jurisdictio, reciperet. Quæ omnia Senatui scribens Victor, Misitheo socero accepta retulit, usqueadeò uti Senatus mox tantam ταπεινοφροσύνην *demirans Diis supplicationes decreverit,* Gordiano *quadrigas elephantorum, Triumphalem autem* Misitheo *Currum equorum & Titulum magnorum honorum sic:* MISITHEO EMINENTI VIRO, PARENTI PRINCIPUM, PRÆTORI TOTIUS URBIS, TUTORI REIPUB. S. P. Q. R. VICEM REDDIT. *Reddit istiusmodi Triumphum hodieque revirescentem Triumphale illud Numisma, in quo Triumphatoris* Gordiani *statua conspicitur paludata, thorace picto induta, ocreata, redimita quoque tempora lauro, stans in suggestu, sinistrâ schedam tenens, dextrâ gestu quasi alloquentis milites. Milites loricati & hastati coram eo stant, signa gestantes militaria, quibus Aquila, imago Imperatoris, velabrum & Delphinus sunt imposita; subscriptum autem:* EXERC. PERS. Cæterùm in tali significatu verbum *Triumphandi* sonat potius Hellenismum, quàm Latinismum.

§. 8. Est quidem hæc dictio in Novo Testamento peculiaris Apostolico illi gentium præputiatarum doctori Paulo: sed verò in Veteri Testamento à LXX. non usurpatur. Enimverò ubi illud Ezech. 22. vers. 5. יִתְקַלְּסוּ בָךְ Versio Hieronymo

vulgò adſcripta interpretatur: *Triumphabit de te*; LXX. interpretati ſunt, ἐμπαίξονταί σοι, Gall. *ſe mocqueront de toy*, Belg. **zullen u beſpotten.** Nec non Habacuc 1. v. 10. יִתְקַלָּס à LXX. redditur ἐντρυφήσει, Gall. *aura les Princes en mocquerie*, Belg. **de Princen zullen hem een belacchinge zyn**; ubi in vulgata illa Tranſlatione legitur: *Triumphabit. Triumphalis* quoque *fornix* ſeu *Arcus* à Saule primo Iſraëlitarum Rege in Carmelo monte erectus, eadem errandi viâ ab Atlante Coſmographico traditur, cum tamen 1. Sam. 15. 12. in fonte legatur יָד & intelligatur *ſtatio*, quam Targum vocat

אתר לפלגא בה בזתא

h. e. *Locum ad dividendum in eo ſpolia.* Vulgus gregariorum militum Gallicum καταχρηστικῶς vocat *Rendez-vous*; Belgæ autem doctè verterunt **een Pilaer.** Excuſet itaque vulgata iſtiuſmodi interpretamenta, quicunque Triumphali Chriſtianæ Philadelphiæ curru invehitur, ob illud Apoſtoli: *Etiamſi habeam Prophetiam, & noverim Myſteria omnia, omnemque cognitionem: & licet fidem habeam totam, adeò ut montes transferam; Charitate autem caream, Nihil ſum.* 1. Cor. 13. v. 2.

§. 9. Enimverò quemadmodum olim *Ferdinandi I.* Imperatoris filio *Carolo* Auſtriæ Archi-

Archiduci adeò complacuit Hetruriæ caput, ut hanc Encomii vocem de eo honorificè protulerit; *Civitatem Florentiam præ dignitate suâ magnificâ emereri, ut nunquam nisi solis diebus festis & solemnibus monstranda esset*: Ita augustum Argumenti nostri vocabulum adeò arrisit perinde sacris atque profanis plerisque scriptoribus, ut ex illo permultas eximias elocutionum Allegoricarum & Tropicarum formulas pergraphicè formârint.

§. 10. Formavit quippe ex illo laudatus Apostolus Col. 2. 15. de Imperatore nostro Generalissimo Christo Jesu *Crucifixo*, ex mortuis resurgente, & cœlos conscendente, atque ita se Victorem omnium hostium suorum ac nostrorum gloriosum exhibente, hanc loquendi formulam I.Cor.11.7. *Exspoliata Imperia, & Potestates traduxit palam*, θριαμβεύσας αὐτοὺς, *Triumphatis illis, per Crucem*.

§. 11. Formavit ex illo Hieronymus ep. 150. ad Hibidam, hanc loquendi formulam: *Triumphus Dei est passio Martyrum, pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia.*

§. 12. Formavit ex illo Ambrosius t. 5. l. 4. in c. 4. Lucæ hoc consilii in palæstra psychomachica consolatorii ad agonem fortiter subeundum: *Diabolus veræ virtuti solet cedere. Etsi invidere non desinat, tamen in-*

ſtare formidat, quia frequenter refugit triumphari.

§. 12. Formavit ex illo philoſtephanicum hoc Auguſtinus in enarration. II. Pſalm. 29. *Ad coronam permiſſi ſunt perſecutores in Martyres. Occiſi ſunt Martyres, quaſi viciſſe ſe arbitrati ſunt perſecutores. Illi in manifeſto falsò triumpharunt, iſti in occulto verè coronati ſunt.*

§. 13. Formavit ex illo Bernhardus ſerm. 64. in Cant. *de Chriſto Theanthropo* hoc acroama: *O amoris vim! Itane ſummus omnium, imus factus eſt omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione dives, adſpectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo Amor.*

§. 14. Formavit ex illo Euſebius Emiſſenus hom. 8. de Paſch. hoc ſuper quovis pio mortali moriente ſolatium: *Dejectio proſtrati, Occaſio fit Triumphi.*

§. 15. Formavit ex illo de Rege noſtro Victorioſo hoc encomium Leo ſerm. 2. de Adſcenſ. Dom. *Infirmitas in Virtutem, Mortalitas in Immortalitatem, Contumelia tranſivit in Gloriam, quam Dominus Jeſus in multis manifeſtiſque documentis, multorum declaravit adſpectibus, donec Triumphum Victoriæ, quem reportârat à mortuis, inferret & cælis.*

§. 16. Formavit ex illo *Fulgentius* hoc ſuæ allocutionis epiſtolicæ frontiſpicium ad *Thraſimundum* Vandalorum Regem

in

in Africa de Myſterio Mediatoris Chriſti, duas Naturas in una Perſona retinentis: *Triumphalibus tuis ſenſibus, Piiſſime Rex, &c.*

§. 17. Formavit ex illo ſuum ſibi hoc *Carolus Magnus* Imp. ſymbolum: *Chriſtus Regnat, Vincit, Triumphat.*

§. 18. Formavit ex illo ſic ſuum ſibi Metrum de Chriſto Exaltato, (de quo Proſper elocutus eſt: *Veſpere Dominus in Cruce, Mane in Reſurrectione, Meridie in Adſcenſione*) Eccleſiaſticus vates:

Aurora cælum purpurat,
Reſultat æther laudibus,
Mundus Triumphans jubilat,
Infernus horrens infremit:
Rex ille dum fortiſſimus,
De mortis inferno ſpecu
Victor triumphat, & ſuo
Mortem ſepulchro funerat.

§. 19. Formavit ex illo Epiphanius ſerm. de Adſcenſ. Dom. hoc enunciatum: *Chriſtus ingenti gaudio triumphans, ovem humanæ naturæ humeris impoſitam Patri obtulit, atque pro tali munere, munus Spiritus Sancti quod redderet, impetravit.*

§. 20. Formavit ex illo fulgentiſſimus ille Jeſuitarum heſperus Drexelius hunc aphoriſmum: *Miſericordia una omnium maximè fatali Orbis die triumphabit.*

§. 21. Formavit denique ex illo hoc ſuum

suum sibi vates Politicus afflictatus solamen ac levamen:

Ad Tempus Patiar; Tandem Bona Causa Triumphat.

§. 22. Adde quod καὶ' ἀντονομασίαν ipse bos, qui in ara triumphali mactabatur, quoque Θρίαμβος dicebatur, ut *Pomponius Lætus* commemoratus commemorat.

§. 23. Commemorare de Margarita illa Mundi Francia Occidentali *Laurentius Medices* solebat; *Galliam, si suarum esset gnara virium, posse totum Orbem Christianum in angustias cogere.*

§. 24. Cogere ratione videbatur florentissima Iberorum terra mater insignem illum ingenui pectoris Gallici scriptorem Latinum *Pacatum* eo horæ curriculo, quo sic exarabat: *Hispania terris omnibus terra felicior, cui excolendæ atque adeò dicandæ, impensius quàm cæteris gentibus supremus ille rerum fabricator indulsit: quæ nec Austrinis obnoxia æstibus, nec Arctois subjecta frigoribus, mediâ fovetur axis utriusque temperie, quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æstibus, inde Tyrrheni maris litoribus coronata, Naturæ solertis ingenio, velut alter Orbis includitur. Adde tot egregias Civitates: adde culta incultaque omnia vel fructibus plena, vel gregibus: adde auriferorum opes fluminum: adde radiantium metalla gemmarum.* Hæc ille juxta illud Claudiani Poëtæ:

Quid

Quid dignum memorare tuis Hispania terris
Vox humana valet? Primo lavat æquore solem
India, tu fessas exactâ luce jugales
Proluis, inque tuo respirant sidera fluctu:
Dives equis, frugum facilis, preciosa metallis.

§. 25. Ego verò commemorare supersedebo, quod hæc Materia Triumphalis sit æmula Malo Punico, quippe quod est pomum pomariorum præstabilissimum. Licet enim corticis sit sicci asperique; in eo tamen rubicundula pariter atque succulenta granula certo miroque ordine in suis gurgustiolis disposita, velut in præsidiis excubant. Quid? quod minus pomum non paucioribus gaudet granis quàm grandius, sed utraque Malus Punica tam æquabilem distributionis Legem tenet, ut major minorque juxta CCCCLXIV. granis omne ramusculorum suorum pomum participet. Parvum, sed magnificum receptaculum medicum, præsertim malè habentibus ac siti languentibus, juxta examen illud Eriphi Comici: αὕται δὲ ῥοιαὶ ὡς εὐχλοεῖς. Ita quicunque Triumphalen hanc Hypothesin accuratè rimabitur, ingentem eruditionis fructuosæ Thesaurum inveniet, & tam gloriosum operæ precium lucrifaciet, ut inter cætera confessurus sit: *Triumphalis Materia est talis bella Regina, qualem quò magis contemplator contemplatur, eò magis eâ oblectatur.*

CA-

Caput II.

FAmosissimus ille Spartanorum legislator Lycurgus non minus Philosophicè quàm Laconicè dixit; *Duabus potissimum Legum capitibus conservari Respublicas, Præmiis atque Pœnis.* Enimverò hoc egregium ac regium effatum tam Corpus Juris Divini cæleste, quàm Utrumque Corpus Juris Humani terrestre comprobat. Ubi autem Boni nullis unquam honorariis ad assiduum ingeniorum cultum & pertinax quarumvis virtutum officiosarum studium, certamen ac æmulationem invitantur, & Mali nullis pœnis condignis mulctantur, ibi Respublicæ non conservantur, neu exornantur, sed domi bellique pessundantur & evastantur, prout inter cætera nos fatale condocet excidium Tyri.

§. 1. Tyrus enim incredibili quidem prudentiâ, opulentia & potentiâ terra marique florebat, ut ex *Ezechiele* Propheta liquido liquidius liquet; sed propter intestinam Injustitiam, quæ procul ulla humili divini Oculi vindicis reverentiâ clam & occultè in illo augustissimo Phœniciæ Emporio gliscebat & invalescebat, isthæc Metropolis se occæcatam oculato cœli Monarchici sceptro tam invisam reddebat, ut

eam

eam Pantopticus ille Regum Rex atque Judicum Judex Deus ex inexpugnabili expugnabilem per accersitum suum Diaconum Martium sanctum *Alexandrum M.* toti terrarum Orbi prostitueret, & in eam tanta inclementiæ exempla ederet, quanta cuivis hodiernæ Reip. peccatrici fatalem ejus πανωλεθρίαν apud *Q.Curtium* legenti possit esse emendationi, quæ non est inemendabilis perinde atque olim illa Medamnis immedicabilis, de qua jamdudum dispalescit unanimis illa Archiatrorum Mysticorum querela è libro Vatis: *Nos voluimus Babylonem medicari, sed illa noluit curari.* Curari autem nolenti injuria nulla fit, si corpore & anima in æternum perit. Quid quæris? Ubi divitiæ charæ ac claræ habentur, ibi sæpè omnia bona venalia sunt: Fides, Probitas, Pudor, Justitia; juxta illud Sulpitii Severi: *Hic fere semper rerum humanarum ordo spectatur, ut homo à divitiis in vitia prolabatur.* Plutus namque Mammonicus est talis ignis fatuus, qualis ab omni ævo multas quidem animas seducit in gehennam, sed ipsemet semper remanet vagabundus extra gehennam.

§. 2. Hinc Romani (qui Imperium, quod sanguinolentis parmis ac armis occupaverant, Religione atque Justitiâ gubernare videri volebant) ex suis L L. Victori

pro

pro ipsius merito decernebant Triumphum usqueadeò uti collatus amplissimus publicæ congratulationis honos exæquare videretur exantlatum Herculeum militaris patientiæ onus, utpote quod tantum est, ut ille archistrategus, cujus auspiciis, consilio, felicitati, fidei, ductui, gravitati, magnanimitati atque constantiæ tota Rei Bellicæ summa commissa est, sufferendâ sub pellibus inedia, algore, sudore, vigiliâ & quavis alia cæli terræque injuria atque molestiâ vel cum ultimis militum gregariorum certare necesse habeat, prout nominatim apparet ex illo M. Tullii in Orat. pro C. Rabirio Postumo: *Multas equidem C. Cæsaris virtutes magnas incredibilesque cognovi; sed sunt ceteræ majoribus quasi theatris propositæ, & penè populares: castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes, aciem hostium profligare: hanc vim frigorum, hyememque, quàm nos vix hujus Urbis tectis sustinemus, excipere, his ipsis diebus hostem persequi, tum cum etiam feræ latibulis se tegant, atque omnia bella Jure Gentium conquiescant.*

§. 3. Habebat autem nulla res apud S.P.Q.R. tantam admirationem, autoritatem, celebritatem, pompam ac gloriam, quantam Triumphus: quandoquidem Triumphator omnibus Jovis Panomphæi insignibus, sceptro, tunica palmata, ni-

niveis quadrigis albis equis enitescebat.

§.4. Enimvero Triumphus erat summus Romanæ Urbis honos, quo ille decorabatur Imperator, qui talem consecutus erat Victoriam, qualis ipsi steterat rarâ suorum internecione, & multo hostium cæsorum sanguine captivorumque vulnere, juxta illud Valerii Maximi lib. 2. c. 3. de Jure Triumphandi: *Ob levia prælia quidam Imperatores Triumphos sibi decerni desiderabant: quibus ut occurreretur, Lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi* VCIↃ. *hostium unâ acie cecidisset. Non enim numero, sed gloria Triumphorum excelsius Urbis nostræ decus Majores existimabant. Cæterùm ne tam præclara Lex cupiditate Laureæ obliteraretur, Legis alterius adjutorio fulta est, quam L. Marius & M. Cato Trib. pleb. tulerunt. Pœnam enim Imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum literis Senatui ausi essent referre. Jubetque eos, quum primùm Urbem intrâssent, apud Quæstores Urbanos jurare utroque numero verè ab his Senatui esse scriptum.*

§. 5. Ad commendandum, cantandum & ebuccinandum gloriosam illam Ducis Victoris venerationem solemnemque recreationem, præcellentissimi Poëtarum quique ordine longo suos intendisse credas animos, oculos atque calamos, dum *Triumphum* Valerandus Varanius salutat *Nobilem*,

lem, Claudianus *Laurigerum*, Calphurnius *Auguſtum*, Ovidius *Magnificum*, Horatius *Superbum*, Sillius *Sublimem*, Mantuanus *Illuſtrem* & *Pompalem.*

§. 6. Quod quum breviſſima hæc vita noſtra humana modò non in plura ſe induat πάρεργα quàm ἔργα, adlubeſcit jam recordari illud Euripidis: Μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Subnecto itaque, quod quum olim Bellovacenſis illius Epiſcopi (qui contra ſuam Clerici vocationem arma tractare caſtrenſia cœperat, poſteaquam gratis ſibi ipſemet Triumphum Pomposum ante tubam & Victoriam decreverat) lorica ab Anglis, à quibus paulò poſt inter præliandum captus erat, ad Pontificem Romanenſium animarum Maximum *Cæleſtinum III.* tranſmitteretur, & interrogaretur: *Videſis, utrum hæc ſit filii tui tunica, nec ne?* reſpondebatur: *Non Meus, nec Eccleſiæ, nec Chriſti, ſed Martis eſt filius.* O cœleſtiſſimam Cæleſtini vocem! Sic aliquando alicubi prophetantem inaudias Cajapham. Nam cum qualibus mortalibus animalibus rationalibus quiſque frequenter converſatur, talibus communiter conformatur, juxta illud Sophoclis: βεβαρβάρωται, χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις. Hinc ſæpè qualitatem magiſtri prodit ſtylus, elocutio & diſpoſitio diſcipuli, prout inter cætera con-

conteſtatur his pauculis character mentis Drexelii in ſuo Salomone c. 18. §. 1. num.7. *Num Salomon Aurificinam Theoricam ſeu Chryſopœiam ſcierit, incertum. Mihi veroſimilius eſt ſciſſe, ſed non uſurpâſſe. Quid enim quod in Sapientiæ Humanæ arcanis eſſet, neſciit? Eſſe Artem conficiendi auri, meus me Magiſter in Philoſophia docuit; quis eam unquam calluerit, non docuit.* Docti igitur præceptoris beneficio unus diſcipulus olim poterit Curruli gloriâ triumphare; alter verò ſemidocti Epiſcopi clericus poſtridie ejus diei ita ovabit ut aſinus ad lyram ſaltabit. Hodierna namque ætate tantum diſtat magiſter perdoctus imperito, quantum Bucephalus *Alexandri M.* olim quovis aſino Macedonis ruſtici. Ruſtici itaqūe infauſti non ſunt, ſed urbani beati audiunt tales parentes omnes, quales procul ulla pecuniæ parſimoniâ filios ſuos in diſciplinam egregiorum Pædagogorum tradunt, donec idoneè ac dignè vel Eccleſiæ vel Reip. vel Spartæ cuivis alii præfici poſſint.

CAPUT III.

MAgnus ille Iſraëlitarum Dux Joſua olim talem benedictum gerebat gladium Jehovæ, quali poterat regios dividere campos Palæſtinæ; ubi propemodum nemo

nemo condidicerat ſanctis pietatis exercitiis ſemet ipſum triumphare, juxta illud Ariſtidæ Adrianæi: Πάντα λῆρος πρὸς τὸ πείθεσθαι τῷ Θεῷ, Quicunque verò noſtrâ ætate de TRIUMPHATU ex profeſſo res cognitione digniſſimas tradunt, *Triumphos* diſpeſcunt in *Minores* & *Majores*.

§. 1. *Majores* autem ſubdividunt in *Navales* & *Terreſtres*.

§. 2. *Terreſtres* denique conſubdividunt in *Caſtrenſes*, in *actos in Vrbe* & in *frequentatos in monte Albano*.

§. 3. Quod ſi quis ſit avidus ſciendi diſcrimen inter Triumphum Minorem & Majorem, evolvat Perottum, qui in ſuo Cornucopiæ fol. 74. col. 1. deſcribit; *quod* Ovatio *minor eſt Triumphus; & qui ovando Vrbem ingrediuntur, uno utuntur equo; & à Plebeiis ſive Equitibus deducuntur ad Capitolium; atque ex ove ſacrificabant; propter quod* ab ovibus *quidam* Ovare *dictum falſo exiſtimarunt. Qui autem* Triumphat, *& albis utuntur* IV. *equis, & Senatu præeunte ducuntur in Capitolium, & ex tauris ſacrificium faciunt.*

§. 4. Si quis denique amat auguſtum tempus ſuum utiliter tranſmittere, ille poterit hîc Triumphatorem illum Apoc. 19. ℣. 11. 12. 13. 14. 16. accurato mentis meditabundæ acumine vigilanter perſpicere, quem *Johannes* Theologus ſic confitetur in Path-

Pathmo suo se vidisse: *Vidi cœlum apertum, & ecce apparuit equus albus, & qui ei insidebat, audiebat* VERAX & FIDELIS, & *Justè judicans* & *pugnans. Oculi autem ejus erant tanquam flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habebatque* Nomen *scriptum quod nemo novit nisi Ipse: & amictus erat Veste tinctâ sanguine, vocaturque* Nomen *ejus* SERMO *ille* DEI. *Exercitus autem qui sunt in cœlo, sequebantur eum equis albis, vestiti bysso alba & mundâ: & ex ore ejus prodibat gladius acutus, ut eo percuteret Gentes. Ipse enim reget eas Virgâ ferreâ, & is est qui Lacum vini excandescentiæ & iræ Dei Omnipotentis calcabit. Habebatque in vestimento & in fœmore suo* Nomen *scriptum*; REX REGUM ET DOMINUS DOMINANTIUM. Nihil adscribo, nisi præmonitum illud Philosophicum, quod Philosophus ille Teutonicus *David Schramus* in frontispicio suæ Hecatombes Partitionum Logicarum anno CIↃ IↃ LXXXIX. posuit:

Comede Solem,
Pinguesce Luce.

CAPUT IV.

INgeniosissimus ille Mathematicus *Archimedes* adinventâ adulterati, in corona

ab *Hierone* Syracuſano Rege Apollini Delphico dicatâ, auri ratione, tanto perfundebatur gaudio, ut nudus à balneo domum excurreret vociferans: εὕρηκα, εὕρηκα. Mirè etiam eo die ſibi *Berenice* Ægypti Regina gratulabatur, quo ipſi *Philemon* Ptolemæi Regis præfectus *Topazium* gemmam donabat, quam antea nemo Ægyptiorum unus oculis ſuis viderat, ſed ipſe primus ad inſulam *Topazion* in mari rubro invenerat. Quanta autem lætitiâ perfuſi fuerint illi, quibus olim Roma *Triumphum pedeſtrem* (ut Dionyſii voce utar) decernebat, colligas ex Livio, Plutarcho & Philologorum hypomnematibus ad illud Virg. Æn. 3.

——— *Cuncti dictis paremus ovantes.*

Ubi Servius annotat: *Hoc tractum eſt ab iis, qui de Pugna venientes cum multitudine populi obviam ad Numina Minora ibant; & ibi oves Diis immolabant, fugatis hoſtibus; unde dicuntur* Ovantes.

§. 1. Qui hanc Nominis Definitionem ſufflaminant atque confutant, reſpondent è Sexto Pompejo & Dionyſio, *Ovationem* ſibi nomen inveniſſe ex læta illa acclamatione, quâ redeuntes à Victoria Duces ſuos exercitus excipiebant, ingeminatâ O litera; cui deinceps *V* epentheticum interjectum eſt pro H euphoniæ gratiâ.

§. 2. A quibus non magnopere diſcordant

dant, qui arbitrantur Etymologiam esse per Antistœchon tractam à Græco εὐοῖ, quæ est vox bacchantium & exultantium. Perinde si de *Ovante* Victore dicatur: εὖ οἱ, id est, *Bene illi*.

§. 3. Præclarè quidem dicunt, qui Originationem vel ab Hebraico הוֹפִיעַ id est, *manifestavit se*, cujus Kal est יָפַע, hoc est, *illustravit*, vel à Chaldaico אוֹפָע deducunt, quod *effulgere* denotat; quandoquidem talis Mater est claritas, ut ex ea facile progignatur hilaritas: Veruntamen *Ovatio* censetur esse vox solis Latinis à cælestibus Charitibus tam peculiariter donata, ut (quod præfiscini dixerim) conformem nesciant sibi exactè effingere reliquæ facundissimæ quorumvis Præputiatorum & Recutitorum linguæ, sed malint in isthac arena herbam porrigere, prout bona Rabbinorum pars per

רַן, הֵרִיעַ, אִתְלַעַב & יַבָּבוּרת

jamdudum porrigit.

§. 3. Germanorum, Hispanorum & Italorum eloquentiæ inest multum potentiæ. Quod ad Belgas attinet, nullus dubitarim, quin inter illos vivant aliquammulti *Deorum filii* afflati tali cælesti Spiritu interpretandi, ut *Ovationem* secundiore dexteritate

poſſint efferre Belgicè, quàm Plutarchus & Dionyſius Halicarn. potuerunt Græcè, dum eam appellârunt Θρίαμβον ἐλάττονα. Si enim inter Belgas vixerunt, qui *Triumphum* potuerunt popularibus ſuis generatim interpretari Zeghe-prael; quidni credamus, inter illos tanta dari ingenia, quanta, ſi maximopere conniterentur, unâ aliquâ egregiâ inventionis novæ voce vocem *Ovandi* non ſine ingenti quorumvis prudentiorum Cenſorum applauſu & gratulatione nominatim redderent. ἄμαχον γὰρ τὸ ἐνδελεχές, inquit Plutarchus juxta illud Philemonis: ἐκ τοῦ φιλοπονεῖν γίνεθ' ὧν θέλεις κρατεῖν. Quippe quoniam non omnia perdifficilia ſunt impoſſibilia, ſed, ut Poëta canit,

Omnia conando docilis ſolertia vincit
Victori poſſibilia forti.

§. 5. Eſt ex ſuperioribus jam aliquatenus perſpicuum, Ovationem eſſe talem Triumphum Minorem, qualis habebatur, quum Belli Duces Urbem repetebant, rebus quidem proſperè geſtis, non tamen ita momentoſis, ut Triumpho juſto ſeu Curruli cenſerentur dignæ.

§. 6. Dignus tali Ovatione Triumphali in almo Verſificatorum Regno cenſeatur literatiſſimus ille Belgarum Reformatorum ICtus *Neuhuſius*, quippe qui Spiritu ζαπεινοφροσύνης afflatus in honorem *Virgilii*

Par-

Parthenia sic cecinit:

Majus Opus nunquam mortalis dextera vidit,
Quod cerebro exsculpsit Juppiter ipse suo.
Nos fungi sumus: Et tanti fastigia Vatis
Non nisi de longo cernere mente licet.

§. 7. Licet denique tali Dei Homini in Regno cælorum Catholico Ovationem Triumphalem decernere, qualis ita pugnans Victor pertransit terrestria, ut nullus amittat cælestia.

CAPUT V.

VIxerunt qui post Musonium l. 1. de Aliment. tradiderunt; *Fundamentum Sapientiæ esse continentiam circa cibum & potum;* tum ob illud Bernhardi l. de persecution. sustinend. c. 12. *Voluptas gutturis vix duorum obtinet latitudinem digitorum, & ejus tam modicæ partis tam exigua delectatio quanta paratur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit?* tum ob illud *Hugonis* Cardinalis: Semel *in die comedere quasi vita Angelica est*; Bis, *Vita humana*; Pluries, *vita jumentorum seu brutorum.* Nos autem pro nostri Subjecti ratione & continuatione de Causis Ovandi ex A. Gellio, Plinio, Plutarcho, Pomponio Læto & id fastigium aliis condocefacimus; Belli Duci triumphaturo *Ovationem* decretam fuisse,

§. 1. Quum bella non ritè indicta, neu cum justo hoste gesta erant.

§. 2. Quum nomen hostium fuerat nimium inidoneum, seu humile, velut servorum privatorumque. Hinc Florus l. 3. c. 19. de servili Syri Euni bello in hanc sententiam eloquitur: *Perperna Imperator fuit de servis* Ovatione *contentus, ne dignitatem Triumphi servili inscriptione violaret.*

§. 3. Cum deditione repente factâ, Victoria sine pulvere (ut dici solet) obvenerat incruentaque. Hinc B. Rhenanus ad Tertulliani librum de Corona Militis mihi p. 470. annotat: *Myrtus bellicis quoque se rebus inseruit, triumphansque de Sabinis* Posthumius Tubertus *in Consulatu (qui primus omnium* Ovans *ingressus Vrbem est, quoniam rem leviter sine cruore gesserat) myrto Veneris Victricis coronatus incessit, optabilemque arborem etiam hostibus fecit. Hæc postea* Ovantium *fuit* Corona.

§. 4. Quum initæ erant induciæ.

§. 5. Quum Imperator non hostili armorum oppugnatione, sed amicabili verborum conventione vicerat.

§. 6. Quum vel in aliena provincia, vel alienis auspiciis, vel alieno exercitu, vel sine Magistratu res gesta erat. Hinc exstat apud Liv. dec. 4. l. 1. mihi pag. 20. *Per idem tempus L. Cornelius Lentulus proconsul ex Hispania rediit, qui cum in Senatu res ab se per multos annos*

annos fortiter, feliciterque gestas exposuisset, postulaßetque, ut Triumphanti sibi invehi liceret in Vrbem: res Triumpho dignas esse censebat Senatus: sed exemplum à majoribus non accepisse, ut qui neque Dictator, neque Consul, neque Prætor gessisset, triumpharet: Proconsulem illum Hispaniam provinciam, non Consulem aut Prætorem obtinuiße. Decurrebatur tamen eo, ut Ovans Vrbem iniret: intercedente T. Sempronio Longo Tribuno pl. qui nihilo magis id more majorum, aut ullo exemplo futurum diceret. Postremò victus consensu Patrum Tribunus cessit: & ex SC. L. Lentulus Ovans Vrbem est ingreßus. Argenti tulit ex præda 44000 pondo: auri 2450. militibus ex præda 120 aßes distribuit.

§. 7. Quum & bella parva erant profligata, & verò magnus militum, civium atque sociorum numerus desideratus. Hinc non triumphârunt, sed ovârunt M. Helvius, C. Terentius, L. Manilius Proconsul. Hinc per simulationem Triumphi quoque Druso post afflictos & devictos Transrhenanos Usipetas, Tenchteros, Sicambros, Cheruscos & Suevos non nisi Triumphales honores cum Ovatione sunt decreti: quem tamen ante mors præmatura intercepit quàm ovans Urbem inire potuit.

§. 8. Hinc denique non semel usu venit, ut qui ratione Victoriæ unius majoris triumphasset, ratione alterius minoris

ovaret, quemadmodum inter cætera patet ex epitom. Thesaur. Antiquitat. Jacobi de Strada p. 96. ubi de L. *Septimio Severo Pertinace* Imp. recensetur: *Cum Parthos, Arabes, Adiabenosque deviciſset, Triumphum, quod pedibus consiſtere in Curru ob articularem morbum nequiret, filio conceſſit. Tum iterum in Orientem profectus, Arabiam & Armeniam pervagatus, Parthos superavit. Recognitis exercitibus, Vrbem* Ovans *ingreſſus eſt. Sacrificia, ſpectacula & ludos edidit; magnum dedit congiarium, tum jus dixit, civilibus negociis, liberiſque erudiendis intentus.* Quippe quia Patribus Magnatibus longe longéque honorificentius eſt, liberos liberaliter educâſſe quàm naturaliter generâſſe, prout Politici ad unum omnes ex Ariſtotele Stagirita Philoſopho philoſophantur.

§. 9. Proinde omnino omnis ſolidæ veritatis expers eſt illa aſſertio Onuphrii Panvinii & complurium, quotquot ſunt, ſequacium aliorum; Hunc Ovandi Uſum non diutius niſi uſq; ad *Neronis Claudii* Imp. tempeſtatem floruiſſe & viguiſſe. Quid dicam? Tametſi Cicero ad Atticum ſcribit: *Vnus Cato mihi eſt pro centum millibus*: ego tamen nunquam unum intermittam diem quin præter humanam Mortalitatem & divinam Æternitatem ruminem illud Benevenuti Stracchæ ICti in tract. de aſſecurationib.

tionib. gloſſ.11. ex Auguſtino Anconitano & clariſſimo illo Rotæ Romanæ auditore Jacobo à Macciarellis: *Non valet hæc Conſequentia: Talis doctor eſt canonizatus; Ergo prohibitum eſt aliter opinari quàm ille ſcripſerit. Nec etiam valet hæc Conſequentia: Talis non eſt canonizatus; Ergo dicta ejus non ſunt recipienda. Sed benè valet hæc Conſequentia: Talis eſt canonizatus; Ergo licitè leguntur & tenentur ejus Opera*, juxta Dd. ad l.2. §. ſed neque ex multitudine, C. de Vet. Jur. enucl. Quippe quia ferè in nullo Mundi Regno major idololatria ſpectatur, quàm ubi inſana Autoritas victa adoratur & ſana Veritas invicta Triumpho privatur. Privatur enim Veritas nunquam ſolidâ ratione, ſed Autoritas ſæpè inflatur ſtolida opinatione.

§. 10. Quod autem aliquando Romam incredibilis facilitas decernendi pro Ovatione Triumphum inceſſerit, velut admirabundus ſic memoriæ poſteritatique tradidit Livius dec. 4. l. 10. pag. 561. *Alter Conſulum Q. Fulvius ex Liguribus triumphavit. quem Triumphum magis gratiæ, quàm rerum geſtarum magnitudini datum conſtabat. Armorum hoſtilium magnam vim tranſtulit: nullam pecuniam admodum. Diviſit tamen in ſingulos milites tricenos æris, duplex centurionibus, triplex equiti. Nihil in eo Triumpho magis inſigne fuit, quàm quod ſortè evenit, ut eodem die triumpharet, quo*

priore anno ex Prætura triumphaverat. Pro corollario adſcribere collubitum eſt, quod Deus nonnunquam Eccleſiam ſuam ejulantem ſubitò reddat ovantem. Cum etenim *Julianus* Apoſtata interemptus eſſet in Perſia, ſic ipſi, teſte *Caſſiodoro* hiſt. trip. l. 6. c. 48. parentabat ovans Epiſynagoga: *Maxime ſatue! ubi ſunt tua vaticinia? Vicit Deus & Chriſtus ejus.* Hæc quippe eſt perpetua Eccleſiæ conſolatio ex Zach. 1. ℣. 8. *Stat unus vir in profundo Myrteto cum Triplici Equitatu omnium inviĉtiſſimo.* Iſte autem Victorioſiſſimus & Præpotentiſſimus Vir Imperator eſt talis in opportunitate auxiliator, ut ſuam cuique ſuorum patientium & vincentium coronam myrteam præparet, quâ donata ovet.

CAPUT VI.

CAntent alii *Nauplium* Eubœæ Regem, qui *Palamedem* ſortitus erat filium tantâ ſapientiâ imbutum, ut ab Euripide & Philoſtrato πάνσοφος ἀνὴρ cognominatus ſit: Nos porrò deſcribemus, quod vir ille Triumphalis *M. Valerius Voluſius* quidem duabus utebatur coronis, Laurea & Myrtea; Myrteam tamen *Licinius Craſſus* Spartaco fugitivorum bello confecto, quum ovans rediret, inſolenter adſpernatus eſt,

Se-

Senatusque Consultum per gratiam faciendum curavit, ut coronaretur non myrto, sed lauro, *quæ Apollini sacra Triumphis propriè dicatur, vel gratissima domibus, janitrix Cæsarum Pontificumque sola, & domos ornat, & ante limina excubat*, ut scribit Plin. l. 15. c. ult.

§. 1. Mearum jam non est partium perquirere, numquidnam huc Tullius respexerit qui dixit: *Non timeo Crassos, sed Flaccos.* Malim his paucis explicatius explicare explicata: Ovans Romanæ militiæ Dux cum suo exercitu victore non Triumphali, sed Ovali coronâ coronabatur, quæ è myrteâ Veneris fronde contexebatur; ut innueretur, quod non Martius, sed tanquam unus Venereus Triumphus foret, qui quietem ab armis ostenderet: neque quadrigis invehebatur, sed sine ulla ferculorum pompa pediti æmulus Urbem ingrediebatur; neque sceptrum manu tenens, neque togam pictam indutus conspiciebatur; neque clangore tubarum Martio, sed concentu tibiarum Venereo stipante Ovalis solemnitas sic celebrabatur, ut milites ovantes ovantem Imperatorem præcederent.

§. 2. Hoc Triumphandi genus primitus anno ab Urbe condita CCLI. *P. Posthumio Tuberto II.* & *Agrippa Menenio* Coss. in-

ſtitutum fuiſſe, ex Licinii annalibus comprobatur. Comprobatur etiam ex Pomponio Læto ſic tradente: *Prima Ovatio data eſt P. Poſthumio Tuberio, qui fuit conlega Menenii Aggrippæ Lanati, & huic Triumphus datus. Ille primum contra Sabinos re malè geſtâ, liberatus eſt ab Agrippa, in altero prælio cauſa Victoriæ fuit. Ita cum ambobus honos haberetur, Senatus hujus laudis decus excogitavit, ut non ſella curruli, ſed pedes cum exercitu exciperetur. Verùm ſanguis in ea Victoria & noſtrorum & hoſtium effuſus eſt.* Ita certè ſæpenumerò in ſanguinolento Martis campo evenit, quemadmodum olim David inter peccandum dixit: *Hujuſmodi & hujuſmodi ratione ſolet Enſis homines conſumere.* Hinc tum Imperator ille Auſtriacus *Ferdinandus* II. genialiter accubuit domi, ubi Rex ille Suecicus *Guſtaphus Adolphus* lethaliter occubuit belli.

§. 3. Per me oppandat hic quis unum aliquod μορμολύκειον τῶν ἐναντιοφανῶν, quoad ejus fieri poterit; ego nodum in ſcirpo quæritare nolim, ſed tales Prætores æmulari malim, qualium cura de minimis non eſt ſcrupulosè ſollicita. Quid enim? Officio ſuo æque perfunctus eſt ſatisfaciens *Implicitè* atque ſatisfaciens *Explicitè*, ut Philoſophi philoſophantur.

§. 4. Sed tamenetſi *Carolus* M. Imp. Germanorum Gallicus Sarracenos Hiſpaniam

ferè

ferè omnem evaſtantes perdomuit, Sclavos, Danos, Bavaros, Bohemos tumultuantes tranquillavit; captum Longobardorum Regem *Deſiderium* ſibi ſubjugavit; Beneventanorum Ducem *Aragiſum* reliquias Longobardorum foventem ad officium redegit; Hunnicum bellum feliciſſimè confecit; Saxones uſque & uſque rebellantes triennali tandem bello expugnavit, & ad Chriſtianam Religionem aſſumendam invitavit; & comparia præclara alia patravit: tamen Trophæa nuſquam gentium poſt ſe oſtentavit, atq; Romæ neque Ovavit neque Triumphavit, ſed ſuam animi mentem ſedavit, poſteaquam ibidem Leo III. Pontifex Romanenſium animarum Maximus ipſum anno Regni ſui Gallici XXXIII. coronavit & univerſus Pop. Rom. *Imperatorem* & *Auguſtum* (abolito *Patritii* nomine, quo antea gaudebat) appellavit. Nam *Severianus* Lucanus à Jacobo de Strada enumeratur Imperatorum Auguſtorum ultimus, qui lauream Romæ meruit, poſteaquam *Biorgum* Alanorum Regem ſuperaverat. Porrò autem quisnam Imperatorum Conſtantinopoli omnium poſtremus triumphârit, poſterius videbimus Cap. XXVI. §. 5.

§. 5. Deinceps non quin Noctes noſtras obnubilent,ſed quod ſtellante ingeniorum

suorum lumini illuminent, commeminerint Propertius de *Curribus Ovantibus* & Claudianus de *Equis Ovantibus*. Et Poëtæ enim

β. I. παῤῥησίαν pictorum eatenus sibi arrogant, ut non moribundo *olori* modò fatidicum *carmen* affingant & variis Hyperbolis, Tropis & Schematibus intumescant; verumetiam insuper *Taurum Ovantem* parturientes pariant. Proinde excusandus veniret, si quis sic florentissimum Leonis Hollandici Emporium introduceret Ovans & Triumphans, ut sub auspicia anni cIↄ Iↄ clx. introductum est à Roberti Keuchenii Jc. Panegyri de Majestate Augustissimæ Amstelodamensium Reip. Quippe quia Poëtæ laudati (quibus licet ἀκυρολογεῖν, ubi non licet ἀκριβολογεῖν)

γ. II. non raro Ovandi & Triumphandi vocabula velut ἰσοδυναμοῦντα confundunt, dum non modò de *Stephano* Protomartyre canunt:

Ibat ovans animo, & spe sua damna levabat.

Verum etiam de *Dionysio* concinunt:

Thebanus juvenis superatis fit Deus Indis,
Successu dum Victor ovans lascivit & aurum
Captivæ gentis revehit, spoliisque superbus
Diffluit in luxum cum semiviro comitatu,
Atque avidus vini, multo se proluit haustu
Gemmantis pateræ spumis, multoque Falerno
Perfundens bijugum rorantia terga ferarum.

Atque

Atque in evulgato illo præcocis vatis fratris sui Tetrasticho ad bellicosum illum Regem Septentrionalem *Carolum Gustavum* ipsis idibus Aprilis anni cIɔ Iɔ c LVIII. succinunt:

Qui Christo & Musis Christinæ *Regia debes*
Sceptra, sacro tutus Numine Victor ovas.
Polonos Danosque domas: Te vindice tandem
Concidit Austriacæ Missa superba Domus.

Namque insulsè desipit, qui prius vaticinari præsumit, quàm principalem Spiritum prophetandi è cælo adeptus sit. *Vates enim egregius est, qui benè considerat*, ut inquit Cassiodorus l. 7. c. 2. Prænoscere quippe debuisset, qui prophetare voluisset, tam *Friderici* III. Regis Danorum Victoriosi Victoriam Funensem anno cIɔ Iɔ c LIX. sub auspiciis *Reuteri*, *Ebersteinii* & *Schachii* Heroum fortissimorum, quàm memorati Suecici Regis obitum 7. Cal. Martii cIɔ Iɔ c LX. Interea loci ille in portu navigat beatus, qui tantâ animi in Deum suum Eucharistici fide perseverante est præditus, ut ex una cælesti victoria victorias complures sperando speret spei vivæ plenus.

§. III. consentaneum esse innuunt, talium aliquos postea equo vectos Urbem ingredi consuevisse, quales antea, ut *Massurius Sabinus* prodidit, pedibus ingrediebantur, sequen-

ſequentibus eos non militibus,ſed univerſo Senatu. Enimverò in Ampliſſimo decrepiti hujus Mundi Theatro ſub luna variabili nihil tam facile inter peragendas Comicas Tragicaſque vitæ humanæ fabulas adſciſcitur quàm viciſſitudo tranſlatitiarum ſcenarum , ſuppoſititiarum perſonarum & profectitiarum pomparum in choro , foro & thoro , juxta illud Eccleſiaſtæ Salomonis: *Sub ſole nihil novi cernitur.*

§. 6. Cernas quidem in Academia Phyſica permultos Coſmopoliticos hodiernæ ætatis colonos, quibus (dum quovis novo victus & amictus genere ſibi jam luxuriari, & inaudito Venerearum tibiarum concentu in quibuſvis culinis, popinis , compitis atque circulis modulari videntur , juxta illud Ciceronis de tanta plerorumque mortalium animalium rationalium inconſtantia : *Stultorum plena ſunt omnia*) ægerrimè perſuadeas; *Unius corruptionem eſſe alterius generationem* ; juxta illud Politicum *Ulrici* Ducis Wirtenbergici experimentum particulare: *Novos novus veſtitus introducit mores ; mores novi novos introducunt homines ; homines denique novi ſolent expellere veteres.* Veruntamen longa multorum emunctiorum experientia Naſonem fecit Prophetam , dum ipſe ipſis has tres voces præcinuit: *Tempus edax rerum* , juxta illud Pla-

Platonis: Γενομένα πανὶ φθορά ἐστι.

§. 7. Ille verò Sanctus Dei homo, cui religio est discere ab Ethnico Poëta Ovidio, perdiscat à summo Propheta Christo, qui in sua Apocalysi de Regina illa scortatrice Babylone Magna ultricibus Vulcani flammis damnata & propediem inflammanda amanuensem suum Johannem Theol. jubet perscribere ad militiam Electorum suorum Triumphalem: *Exulta super Ea cælum, & sancti Apostoli & Prophetæ, quoniam Deus nostras de illa sumpsit pœnas.* Namque interea, dum illa Idololatrica Flora famosa ignibus fumabit, & exercitus Electorum Triumphalis super ea ἐπινίκιον cantabit, Turba corrivalium tripartitorum Magna fumum incendii immanem eminus stando spectabit, præ luctuoso terrore complorabit, & injecto capitibus pulvere suum quisque Epicedion ferale cantabit. Apoc. 18. ℣. 10. 16. 19. Quamobrem judiciosissimus Lectorum candidorum quisque cognoscat, numquidnam cælestis Spiritus prophetandi verè afflârit Gregorium eâ horâ, quâ dial. l 2. c. 15. sic scripsit: *Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus & turbinibus ac terræ motu marcescet in semetipsa.* Equidem Oracula sæpius vanescunt & vaticinia evilescunt, quæ jamdudum prædicunt, Romanos *Ctesiphontem* Parthorum non esse auspicatò transgres-

greſſuros, prout demonſtrat Pomponius Lætus l. 1. Rom. hiſt. fol. 13. Super illis tamen (quæ nos infra cap. 25. §. 3. num. 11. de miſerabili Romæ triumphatricis triumphatæ vaſtatione perſcripſimus) hoc oraculum Sibyllinum nihil falſi prænunciavit:

Καὶ σὺ Θρίαμβος ἔσῃ κόσμῳ, καὶ ὄνειδος ἁπάντων.

Tuque Triumphus eris Mundoque & fabula vulgi.

Mihi equidem non vacat, hîc ventilare, quâ viâ ex Auguſtinis Septicollibus prodierit Belias ille Magnus, quem Apocalypſis *Pſeudoprophetam* nuncupat: *Eſt autem* (ut anno CIↃIↃXLVI. ad *Maurum Muſæum* Franciſci I. Galliarum Regis apud Helvetios legatum *Sebaſtianus* **Caſtellio** in ſuis ad Oracula Sibyllina annotationibus pag. 118. ſcripſit) *diligenter advertendum: quemadmodum Chriſtus cum jam adeſſet, tamen exſpectabatur, idem etiam in Antichriſto accidere. Et ſicut prædictum erat, fore ut Meſſiæ temporibus Lupi, Pardi, Viperæ, & cæteræ feræ manſueſcerent, quæ res erat vaticiniorum more intelligenda, id quod Judæos fallit: Ita quod dicitur Antichriſtus Miracula facturus, in eo magnopere videndum eſt ne fallamur. Non enim vera erunt Miracula: quæ res eos fallit, qui tales ſunt in Jeſum Deum, quales fuere Judæi in Jeſum hominem.*

nem. Hominem omninò omnem nondum oblitum esse credo, quod ille Liber, qui abhinc aliquot annis è Scotia evulgabatur & *Judicium Oxoniense* inscribebatur, inter cætera pag. 17. hoc edisserebat: *Antichristi Jugum si à Legitimis Potestatibus impositum Subditorum cervicibus fuerit, non vi & armis & divinæ Ordinationi resistendo excutiendum esse censemus, sed Christianâ Fortitudine (quæ in Veritatis intrepida Confessione & Tolerantia Crucis consistit) perferendam.* Exstat passim unum aliquod Vaticinium antiquum, in quo præ cæteris duo revelantur Antichristi Charagmata, quorum est

ϕ. I. *Variè se quidem in Externam Christi figuram transfigurare attentabit; sed ex corde inimicos non amabit.*

ψ. II. *Thesauros terræ magnificos quidem reperiet, subditos tamen exsugere non desinet.*

Ad quorum posterius, ut pereruditus ille Jesuitarum Daduchus *Drexelius* illud intellexit, ita eo die respexit, quo hæc paucula somniosa somniculosè scripsit in suo Salomone Fatuo cap. 3. §. 1. pag. 904. *Hanc Salomonis prodigalitatem obstupescens Malvenda eam cum iniquissimis Antichristi & parsimoniis & profusionibus confert. Nam licet Thesauros Antichristus sit habiturus, Christianos nihilominus extremè fortunis omnibus emunget.* O proximum cæcis cæcorum Ducibus Ducem!

Dux

Dux autem longè illuminantior evasisset, si apertè perscripsisset: *Antichristus jam in medio nostrûm apparuit, sed Turba Magna eum nihildum cognovit*, idque ob tales *in muris Ecclesiasticis* vigiles, de qualibus exstat hæc divina Prophetæ Esaiæ Hypotyposis: *Speculatores istius cæci, quotquot sunt, non agnoscunt, quotquot sunt, canes muti existunt, latrare non possunt, tempori serviunt, jacent, dormitationem amant &c.* Sedenim qui inhospitam eremum crucis contristantis exhorret, myrteam coronam lucis ovantis non accipiet Es. 41. ℣. 19. Cætera excusetur homo, utpote qui rarius foris mentiatur & domi blandiatur quàm reliquum Jesuitarum vulgus ignobile plurimorum. Rari quippe Boni. *Boni* enim (prout *Quadrigarius* loquitur) *non diurnant*, sed ex terra viventium vel alienâ vel sua ipsorum sponte velut aves gregales beatè ad triumphalia paradisiacorum gaudiorum nidamenta præparata hinc avolant. Veniâ itaq; censeatur dignus, ad quam aliis donandam fuit tam pronus, ut part. 3. c. 9. de Christo resurg. §. 1. col. 1. scribat: *Donandus veniâ præ aliis Pythagoras, qui non interire, sed transire animum de corpore in corpus voluit vaga quadam peregrinatione.* Plura de Triumpho Minore adscriberem; sed Victrix Regina *Brevitas* jamdudum vociferatione sua scriptionem cœptam sic inter pel-

pellat: *Hîc ego meâ Coronâ Ovali ovabo.*

CAPUT VII.

EXcipiunt Triumphum Minorem Majores, qui propter merita majora Victoribus præclaris deferendi sæpius ab invita quàm à voluntaria Urbe decernebantur.

§. 1. Enimverò Romanos fuisse nimium quantum avaros decernendi & dandi amplissimos honores, inter cætera collucet ex illo Augustini: *Honores quos petivit Cato, petere non debuit, sed Civitas ob ejus virtutem non petenti dare.*

§. 2. Laudat laudatus Augustinus de Civ. Dei l. 1. c. 6. Romanos ex illo Virgilii, quo innuitur; Eos consciviſſe & consuevisse

Parcere subjectis & debellare superbos.

§. 3. Laudat Boëtius Romanorum Consulem Fabritium, quod tantæ Virtutis fuit, ut Pyrrho Epirotarum Regi per Cyneam legatum magnam auri vim offerenti contra Remp. ad redimendum bellum responderit; *Romanos aurum nolle, sed aurum possidentibus imperare malle.*

§. 4. Laudat Florus l. 2. c. 6. de bell. Punico secundo pag. 60. singularem castissimi illius Ducis Romani Scipionis Africani

ni sanctitatem: *Quippe qui captivos pueros puellasque præcipuæ pulchritudinis, barbaris restituerit, ne in conspectum quidem suum passus adduci; ne quid de Virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur.*

§. 5. Laudat post Livium & alios complures Erasmus Roterodamorum Phœnix & Philippus Melanchthon sic animosam legationem Romanam: *C. Popilius missus erat ad* Antiochum Epiphanem *Syriæ Regem, epistolam ferens à Senatu, quâ jubebatur, ut Ægypto abstineret & inde præsidia abduceret & nullatenus Ptolemæi filios orphanos Regno spoliaret. Quum verò Rex illum per medium exercitum ad se accedentem, eminus humaniter salutâsset, non resalutato Rege literas tradidit. Quibus perlectis quum* Antiochus legationem responso ambiguo elusurus *oppanderet*; *Se post præviam super isthoc jussu consultationem responsurum, legatus caduceo, quem tenebat, ductâ tergiversantem lineâ circumscripsit, interloquendo*: Hîc consultans planè responde, antequàm hoc egrediaris circulo. *Omnibus viri spiritum admirantibus, posteaquam Antiochus spopondisset*, se facturum, quæ Romanis rata ac grata viderentur, *ita demum salutavit illum & amplexus est Pompilius.*

§. 6. Laudat Quirites carptim his paucis Johannes Salesberiensis in Policrat. l.8. c. 14. *Cum Romanorum vitia percurruntur, gens nulla*

nulla deterior; cum virtus, nulla potior, alias gentes mansueto subjugaverunt imperio. Imperiosa quippe autoritate tantoperè gaudebant, ut memoratissimi Pyrrhi Epirotarum Regis victoris legationi Pacem offerenti magnanimum hujusmodi darent responsum: *Pyrrhus Italiâ cum copiis excedito; ubi excesserit, de Pace, si volet, agito; ni excesserit, arma & viros, & aciem exspectato; neque destituros ab incepto se, etiamsi sexcentos Levinos pugnâ vicisset.* Hinc Cyneas legatus redux, vir nec mentis, nec oris egens, Regi interroganti, *Quid de hostium sede sentiret?* respondit: *Urbs mihi esse Templum videbatur, Senatus verò Regum consessus.* Quid multa? Aliusmodi Senatores Censura hujus Urbis disciplinosa nunquam ferebat, sed tanto severitatis rigore supercilium in mores omnium circumagebat, ut nemini uni in officium ac verecundiam impingere licuerit. Quocirca *M. Cato* Censor ad Senatoris scandalum non connivebat, sed eum Senatu expungebat, simulatque uxorem coram filia nubili exosculatus esset. Neque Fabricius Lucinus Corn. Rufino duobus jam Consulatibus & Dictaturâ speciosissimè perfuncto parcebat, sed eum Senatu movebat, *quod X. pondo vasa argentea comparâsset*, atque ita temporibus illis exemplum luxuriæ invexisset. Quippe

In vulgus facilè manant exempla Regentum, nisi in tempore illis occurset evigilans Hypercritica Censura. Censurâ namque istiusmodi exsulante & exspirante, multi surgunt Pseudoprophetæ, Matt. 13. ℣. 25. Sardanapalistæ, Machiavellistæ & Sophistæ, in quos dicas è Francisco Petrarcha l. 1. de vir. fort. c.12. *Bene irent res, si tot essent Sapientes, quot Sapientiæ professores.* Professores autem Mundus Apostaticus qui est maximus de illoto Epicuri Fabulosi grege porcus, juxta novissimum quemque aurium suarum titillatarum pruritum 1. Tim. 4 ℣. 1. 2. plerumque sibi eligit & adsciscit, etiamsi inter cæteras absurdissimas absurdissimarum absurditatum absurtates & corde & ore plus quàm Sadducæo pernegarent & ejurarent, quà Deum in cælis, quà Diabolum in infernis, juxta illud Varronis: *Non est tam absurdum deliramentum, quod defensorem non inveniat.* Væ autem homini, per cujus ἀποστασίαν scandala insinuantur! Satius erat medio innatare Oceano quàm proximum pravo depravare exemplo. Exemplo autem pravo ibi minus nocetur, ubi constituti in Tziionis muris custodes advigilant, quàm ubi dormitant. Dormitant autem hodie plurimi; invigilant paucissimi, Matt. 25. ℣. 5.

§. 7. Quapropter quemadmodum Romana

mana Monarchia progenuit Attilium Regulum, Catonem Seniorem, Genitium Cippum Prætorem, Lucium Junium Brutum, L. Quintium Cincinnatum, Attilium Calatinum, Terentium Varronem, T. Quintum Flaminium, M. Marcellum, Q. Metellum, Q. Fabium Maximum, & complures tales raros alios, inter quales agmen ducit Sulpitius, ad quem quondam Cicero ſic ſcripſit: *Et Cæſar ipſe ita de te judicat, & omnes cives ſic exiſtimant, quaſi lumen aliquod extinctis cæteris, elucere ſanctitatem, prudentiam & dignitatem tuam.* Ita permultos ſub illa vixiſſe credas, de quibus eloqui licuiſſet illud Plauti: *Ad faciem cum adſpicias eorum, haud mali videntur, opera fallunt.*

§. 8. Fallere autem perſpicientiſſimos Divinæ Providentiæ oculos Romana Monarchia nequivit, dum ipſa in una aliqua noctis Viſione Danieli ſub monſtroſa Quartæ ſine nomine Beſtiæ imagine ſic commonſtratur, ut prodigioſa eaque germana ejus indoles inſimul vivis quaſi coloribus depingatur, quippe quæ (ut uberius infra cap. XXVI. cognoſcemus) Dan. 7. ℣. 7. *erat terribilis atque admirabilis, & totam molem à ſuperioribus diſſimilis, ceu habens magnos dentes ferreos, comedens atque comminuens, & reſiduum pedibus ſuis conculcans.* Quæ pauca paucis his illuſtravit olim Hiſtoria Scholaſtica:

Regnum Romanorum Daniel nulli comparavit bestiæ, ut quicquid ferocius in beſtiis cogitamus, intelligamus in Romanis.

§. 9. Pleraque animantia famoſo immanitatis crimine damnata communiter congenita morum ſimilitudo tam tuta præſtat, ut à ſuo quodque genere temperet, & talem Theriographiam dictet, in quali nuſquam legas, Tigrem Tigres devorâſſe in eremo, vel leonem leones in antro, vel lupum lupos in campo: ſed apud Oroſium l. 2. de Orcheſtra Mundi c. 4. reperias: *Romulus interſecto avo Numitore, dehinc Remo fratre, arripuit Imperium, Urbemque conſtituit; Regnum avi, muros fratris, Templum ſoceri ſanguine dedicavit, ſceleratorum manum promiſſa impunitate collegit*, juxta illud Lucani:

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Valeat igitur & ſibi ſoli, aſſentiens famæ, Ennius canat:

Romulus in cælo ſemper cum Diis agit ævum.

Ævi enim noſtri moderni pariter atque antiqui lumina longè aliud quid de iſtiuſmodi Adelphoctono Notho (qui inter graſſandum ad Coronam Regiam ſuâ ætate præter cætera jam callidè callebat; quod *Plinius* ſuâ ſpeciosè præſcribebat: *Decipere pro moribus temporum, Prudentia eſt*) ex Inſtitutionibus Mathematicorum genethlia-

thliacis ſibi perſuaſerunt.

Hem igitur admirandam *Romuli* ex Albanis oriundi conceptionem & nativitatem juxta ambas ſubſequentes Uraniæ figuras à magno illo Mathematicorum Phœnice *Tarrutio Firmano* ex Aſtronomicis *Hipparchi* Tabulis collectas & erectas!



Loca Planetarum.	*Sol* 28 ♓ *Ptol.*	*Luna à Sole diſtabat*
Saturnus 28 ♓	*Venus* 28 ♈	*Grad.* 83. *min.* 40.
Iupiter 30 ♏	*Mercurius* 4 ♓	*Mora in utero*
Mars 10 ♊	*Luna* 21 ♊	*dierum* 273.



Loca Planetarum. Mars 8 ♈ Mercurius 19 ♋
Saturnus 25 ♓ Sol 26 ♊ Ptol. Luna 26 ♊
Jupiter 25 ♌ Venus 19 ♉.

Facit huc illud *Nicol. Muleri* in sua Isago-ge in Tab. Fris. cap. XIV. pag. 380. *Cum Romulus Martis seminio conciperetur, Phœbu[s] faciem suam subduxisse fertur, ac sub sororis pepl[o] latuisse, ne forte tanti spectator facinoris foret.*

Ego quidem neminem neque vivum ne-que mortuum dijudico, sed ex Drexeli[o] Salomone duntaxat adscribo: *Inferorum carcer Plutonicus est refertissimus stultorum, [&] cœlum solum occupatur Heroibus Philosophici[s]*

Phi

Philoſophici autem Heroës ſunt tales humiles oves, quales Chriſti Crucifixi vocem audiunt & ejuſdem veſtigia legunt, ritu Apoſtoli qui de ſuo prænobili in Chriſtiana profeſſione progreſſu ſic profitetur: *Ego crucifixus ſum Mundo, Mundusque crucifixus eſt mihi.* Quinque autem Sophias rectè cognoſcens, cognoſcit facile Quinq; Morias, quippe quarum frater primogenitus ſic deſcribitur Syr. 27. v. 12. *Stultus mutatur ut Luna.* Quia non victitat niſi ſolo fluxo Paupertini Mundi Favorini Auro & Aura. His enim geminis Herculis columnis cordi ſuo impoſitis inſculpſit: *Non Plus Vltra.* Hi namque ſunt ambo illi Poli antiqui, quibus totus vertitur Stultorum Orbis. Chriſtianæ autem Philoſophiæ Candidatus in quotidiano converſationis ſuæ curriculo ſpectatur adhærens ſoli Divinæ gratiæ Oceano inexhauſto tam immutabilis quàm Sol illuſtris, qui in dies ſingulos æſtatem hyememque juxta irradiat alterutri Orbis hemiſphærio per ſuam ſibi notam Eclipticam ab aurora uſque ad veſperam Pſalm. 19. v. 6. 7. ob illud Chryſoſtomi: *Dei gratia Terminum non novit.* Hinc capaciſſimum quodque vas animæ ad illam hauriendam affert, juxta illud Auguſtini epiſt. 2. ad Donatum: *Quantum illuc capacis Fidei afferimus, tantum inundantis Gratiæ haurimus.*

§. 11. Legas apud Auguſtinum l. 5. de Civ. Dei. c. 22. *Bellum Samniticum eſſe tractum annis fermè 50. in quo bello Romani ita victi ſunt, ut ſub jugum etiam mitterentur, ſed quia non diligebant gloriam propter Juſtitiam, ſed Juſtitiam propter gloriam, videbantur diligere Pacem factam, fœduſque ruperunt.* Rumpendorum autem fœderum flagitium cuivis filio gehennæ impio pium eſt artificium, dum (ut Machiavelliſtæ loquuntur) magis amat ſemitam Expedientiæ quàm viam Juſtitiæ, juxta illud Ciceronis: *Animi Conſcientiam non curat improbus.* Ubi autem illa Internæ Domus lucerna exſtinguitur; ibi hoc Tenebrarum Brocardicum à fatua Mortalium Pſychicorum opinatione Pſ. 82. 5. & 94. 8. fingitur: *Ille Politicus populi Paſtor deſipit, qui vel contra Rationem Status ſemper & ubique Veritatem & Juſtitiam colere præſumit*, juxta Pſalm. 15. 2. & ſeqq. *more Dei* Pſal. 111. 7. *& David.* Pſal. 101. 2. *& ſeqqqq.* Difficilius autem eſt talia & alia conſimilia perſcribere quàm vel Tetragoniſmum Circuli ex Archimede elicere, vel illud Raymundi Lullii intelligere: *Lapis Philoſophorum precioſus conſtat Corpore, Anima & Spiritu.*

§. 12. Legas apud *Florum* compluresque alios autores graves de primo Romanorum ruſticorum ruſtico Rege, quod montem Palatinum occupans XII. vultures vi-

vidit, atque ex iſtis ſanguine & prædâ aſſuetis avibus ſibi præſagiit, Romam fore talem bellatricem, qualis rapax neque ſuperiorem neque parem eſſet latura. Namque Urbs iſthæc ambitioſâ arte juxta atque avaro Marte evaſit tale caput Orbis terrarum, ut ſic plurimos ejus filios interpellare potuiſſes:

Vos documenta datis, quâ ſitis origine nati.

Nati enim eſtis non ſancto *Patre* Dei & Pietatis cultore, ſed tali profano anteceſſore *Romulo Silvio Quirino* Martigena, qualis internecavit *Remum* fratrem ut *Cain Abelem*. Abelem autem Proteſtantem (nullus dixerim, ſemper *effectu*, ſed continenter *affectu*, corde, ore Anathematiſmorum pleno, conſultatione, inquiſitione & quavis alia inſidioſa machinatione, juxta querimoniam Lutheranorum Teutonicam: Sie ſtellen uns wie Ketzern nach / Nach unſerm Bluth ſie trachten) contrucidat hodieque *Cain* Romanus. Roma quippe facere non poteſt quin antiqua ſuæ ſanguinolentæ ſuperbiæ & violentæ avaritiæ primordia ſapiat, juxta illud Poëtæ:

Naturam expellas furcâ, tamen uſque recurret

Niſi fortè malimus oblatrare Prophetæ prophetanti: *Numquidnam Æthiops pellem ſuam poteſt immutare, aut Pardus ſuas maculas maculare?* Nolim itaque referre, quod

Tarquinii Superbi conjux *Tullia*, ut virum Regem ſalutaret ſuper cruentum patrem *Servium Tullium*, vecta carpento, conſternatos equos egit. Nolim enarrare, quod Conſul *Brutus* favori civium etiam domus ſuæ clade & parricidio velificatus eſt. Nolim recenſere, quod in bello Hetruſco à Romanis exſpoliati, rapti funditus, deletique ſunt Vejentes. Malim adſcribere unam unicam illam Ciceronis confeſſionem è lib. 3. de Rep. de ſuis fraudulentis popularibus: *Noſter populus, ſociis defendendis, terrarum jam omnium potitus eſt.* Eſt igitur aliquantâ fortaſſis veniâ dignus, qui in Romanum populum jactat illud Platonis: ἐσχάτη ἀδικία, δοκεῖν δίκαιον εἶναι μὴ ὄντα. Hinc apud Livium 3. 66. 5. Romani à Volſcis Æquiſque ducibus cognominantur *Lupi* ob Romulum à *Lupa* lactatum & lupinum ingenium ei inſtillatum: à Britannico autem illo Galgaco apud Tacitum in Agric. c. 23. *Raptores Orbis, quos non Oriens, non Occidens ſatiaverit.* Taceo quod Mithridates Ponti Rex de illis ſic olim ad Arſacen ſcripſit inter cætera: *Romanis cum nationibus, populis, Regibus cunctis, una & ea vetus cauſa bellandi eſt*, Cupido *profundi Imperii & Divitiarum.* Nimirum non delicta Regum, ut prætexebant, perſequebantur, ſed Regiam cujuſque perſonam ipſam & majeſtatem

tem insequebantur. Pastore namque victo, vincit & triumphat lupus gregem facilè omnem.

§. 13. Quod commeminimus, idem suboluisse videtur Lactantio Firmiano, qui transsumptivè lib. aceph. epit. mihi pag. 395. sic scribit: *Quod si omnes populi, penes quos sit imperium; ipsique Romani, qui Orbem Totum possedere, Justitiam sequi velint, ac suum cuique restituere, quod vi & armis occupaverunt ad casas & egestatem reverterentur.*

Revertamur illuc, unde eum in finem digressi sumus, ut Lectori benevolo facem quampiam præferremus, quæ sic alluceret ipsi mente perambulaturo per residua Noctium nostrarum capita ut unà nobiscum de Roma Vetere coloratis titulis divite hodierno Orbi commonstrare possit sapientissimum Triumphantis Togæ ferculum. De Roma autem moderna Julium Cæsarem Scaligerum his pauculis ingeniosè perorandum relinquimus: *Urbem illam esse novum acetum pessimum veteris vini optimi.* Quapropter nobis impræsentiarum non vacat auscultare Propertium occinentem:

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hîc posuit, quicquid ubique fuit.

Fuit etenim vel ipsa *Sodoma* & *Gomorrha*, teste Mose Gen. 13. ℣. 10. *similis horto Jehovæ & terræ Ægypti irriguæ* antequam ita

 ever-

everteretur à flammivomo cœlestis Vindictæ sulphure cum damnatis Injustis suis Regibus & Gregibus ad unum omnibus, ut nullum jam amplius aliud fastuosissimarum, voluptuosissimarum & immisericordissimarum civitatum Regiarum Ez. 16. ℣. 49. vestigium exstet nisi surrogatum *Mare Mortuum*, cui Deus adstituit talem monitricem salis columnam, qualis nos reliquos insulsos jam reddat salsos, juxta illud Christi Luc. 17. ℣. 32. *Recordamini uxoris Lothi.* Jer. 7. ℣. 24. Luc. 9. vers. 62.

Caput VIII.

Quemadmodum olim facetus ille cœnobita *Juniperus* præter lac & butyrum in unum eundemque cacabum gallinas cum plumis, ova cum testis, fabas cum folliculis, caseos cum crustis, carnes sordidatas, caules non sectos & reliqua planè omnia quæ precariò congesserat, mixturâ horridâ pariter atque ridicula conjecerat atque ignem substruxerat tanquam pulmentum castrense copiis Agamemnonis ad Trojam cocturus, teste Franciscanorum historiâ. Ita non pauci rerum antiquarum commentarii tam confusè de Triumphis Majoribus tradunt, ut meritò

ritò ex concordibus Lectorum benevolorum ſuffragiis palmam ferret, ſi quis prima quaque luce iſtiuſmodi Materiæ capita dilucidè & diſtinctè expeditum abiret.

§. 1. Quod quum *à vetuſtioribus* ſit *inchoandum*, ut commonent J Cti ad §. ſingulorum. Inſt. de Rer. Diviſ. *primum Triumphum Caſtrenſem* (quem hodiernum Belgarum vulgus Victorie non minus καταχρηστικῶς ſeu mavis μετωνυμικῶς appellat quàm Rabbinica Judæorum Synagoga per unum unicum נִצָּחוֹן & *Victoriam* & *Triumphum* exprimere conſuevit) poſt diluvium Mundi œcumenicum à *Cedorlahomero* Helami Rege cum ſuis ſibi aſſociatis Regibus tribus actum eſſe de Regibus Pentapolitanis victis atque fuſis; è Pentateucho Moſaico colligas, juxta illud Lucani:

—— *Omnes redeant in caſtra Triumphi.*

Colligas quoque è profana hiſtoria, quomodo olim milites δαφνηφοροῦντες (ut Herodiani voce utar) Imperatores ſuos triumphaturos poſt Victorias adeptas cohoneſtârint in caſtris vel ſtativis. In ſtativis etiam L. Furius Camillus concione advocata laudatum tribunum M. Valerium Corvum X bobus aureaque coronâ donabat, poſteaquam à Gallorum Duce ad duellum provocatus, hoſtem obtruncaverat.

§. 2. In caſtris namque inter cætera

ignes triumphales ſuccendebantur, quibus arcus, currus, haſtæ, lanceæ, ſariſſæ & catapultæ cum reliquis parmis & armis hoſtilibus concremabantur, ut apparet è Pſalmis, Ezechiele, Flaminio & Livio, qui l. 7. de Tribuno militum A. Cornelii Coſ. inter cætera ſcribit: *Hic P. Decii Caſtrenſis Triumphus fuit, incedentis per media caſtra cum armato præſidio, conjectis in eum omnium oculis, & omni honore Tribunum Conſuli æquantibus.*

§. 3. Victimæ triumphales cædebantur, & dona ad pulvinaria deferri curabantur, & viſcerationibus menſæ convivantium onerabantur & ornabantur.

§. 4. Livius quoque dec. 5. l. 2. Triumphum Perſei Macedoniæ Regis caſtrenſem de Romanis ſic recenſet: *Poſtquam rediere in caſtra Victores omnes quidem læti, ante alios Thracum inſolens lætitia eminebat. Cum cantu enim ſuperfixa capita hoſtium portantes redierunt.* Scilicet Romani glorioſi non uſque & uſque erant Victorioſi, ſed iterum ac ſæpius adverſo prælio intra Italiam compulſi & hoſti ſpolio ac triumpho futuri, in patriam trepidi rerum ſuarum refugiebant eandemque æterno proximam excidio prævidebant, juxta vaticinium Sibyllæ:

Ῥώμη μὲν ῥύμη ἔσεται, καὶ Δῆλος ἄδηλος.

Quod eventus ita comprobavit, ut Urbs intra

intra CXL. annos sexies capta sit, & Poëtæ materiam hanc parentandi dederit:

Roma fuit quondam Regina solique salique;
At nunc nec terras nec mare Roma regit.

§. 5. Consimilem Triumphum Castrensem exercitus Mahometis II. Turcicus de *Constantini* VII. *Draconis* seu *Palæologi* Constantinopolitani Imperatoris capite IV. Cal. Junii seu postridie Pentecostes anno cIↃ CDLIII. post expugnatam Urbem Thraciæ principem egit, juxta illud Jacobi de Strada in Imaginib. Imperator. pag. 333. de isto perjuro Rom. I. ℣. 29. 30. 31. fœdifrago: *Terra igitur & mari Regiam aggressus Urbem, cum mœnia conquassasset, quarto & quinquagesimo Obsidionis die, Urbem vi summâ cepit, ac in ea ingentem cædem in omnem sexum indiscriminatim edidit. Constantinus verò ad portam cum se recepisset, fugientium trepidatione oppressus, in portæ augustiis conculcatus cecidit, paludamentoque cadaver ejus agnitum, ejusque caput jussu* Mahometis *abscissum, paloque affixum per Urbem & castra ad ludibrium circumvectum ac gestatum est. Ac sic vetustissimum Græciæ Imperium, quod* MC. *&* XC. *amplius annis stetit, in quo tot Principes Christiani floruerunt, tanta Religio viguit, paucissimis diebus dejectum & crudelissimè subversum est.* Esset autem Barbarus ille nequam nequaquam ausus petere tantam Orientalium Imperatorum

torum Christianorum Metropolin nisi auxiliares Christianonymorum perfidorum copias præter paucos Hagarenos suos secum adduxisset, ut animadvertas ex hoc Peuceri Epiphonemate super isto Themate: *Sic nobiscum bella gerunt Turcici Tyranni, ut gentes cognatas nobis, nobiscum dimicare cogant.*

§. 6. Cogit me dilectio Ecclesiæ, ut Triumphis castrensibus (quos inter Ovalem & Curulem Triumphos ritè colloces, ne erres) accenseam illud memorabile solemnitatis publicæ genus, quo post submersum in mari Erythræo Pharaonem Ægyptiorum Regem sub Mose non tantũ Israëlitæ viri grande ἐπινίκιον Triumphale concinebant; verumetiam heroica illa Aaronis soror *Mirjam* Prophetissa prævia ità accepit tympanum in manu sua, ut egressæ sint omnes fœminæ post eam cum tympanis, & cum fistulis Triumphalibus. Sic autem illis Prophetica illa Dux ac Lux Mirjam humiliter præcinebat: *Cantate Jehovæ, eò quod admodum excelluit; equum & sessorem in mare dejecit.*

§. 7. Deiicere nequeo oculos meos à Brabantia, intra cujus sinum anno cIɔ Iɔ c XXXVII. in castris victoriosissimi illius Principis Auriaci *Friderici Henrici* (qui admodum potentiam suam omnino omnem & gloriam immortalem maximis in

in Reformatam Remp. Belgicam meritis præstantissimisque rebus domi bellique gestis consecutus est, juxta illud Pindari: Χρονιώτατον φάος εὐρυσθενέων ἀρετᾶν) post expugnatam Bredam animadvertebatur imago talibus Triumphis æmula, dum sclopetis & bombardis gratulabundis tota circumvallatio castrensis personabat. Persobant etiam olim post captam Hierosolymam peccatricem tanto gaudio ac favore triumphali castra *Titi Vespasiani*, ut in gratulatione *Imperatorem* milites eum consalutarent, prout Flavius Josephus prædixerat.

§. 8. Quantæ autem magnificentiæ Triumphum de Judæis Curulem deinceps hic cum *Vespasiano* patre filius solemniter Romæ egerit, perlegas apud Orosium, qui lib. 7. prodit: *Pulchrum & ignotum ante cunctis mortalibus inter* CCCXX. *Triumphos, qui à condita Urbe usque ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit, patrem & filium, uno Triumphali curru vectos, gloriosissimam de his, qui patrem & filium offenderant, Victoriam reportâsse.*

§. 9. Recordor jam illud Ciceronis: *Animus defessus audiendo, aut admiratione integratur, aut risu renovatur.* Renovet igitur fessum Lectoris animum unus ille Castrensis Triumphus Ecclêsiæ rarus, quem Johan-

hannes Major in suo Speculo multis mortalibus animalibus rationalibus sic repræsentavit: *Unus Vir magni nominis in solitudinem contendit, ut abbatem* Mosen *videret. Cumque illum haberet obvium, quæsivit*, quæ via duceret ad tugurium abbatis Mosis? *Cui prompte Moses ipse*: Quid hoc monstrum, mi Domine, quæris? Homo fatuus & hæreticus est. *Et cum dicto se proripuit illine. Vir primarius cognitionem rei certiorem capturus, ad vicinum Templum interrogans*: Dum, *inquit*, Abbatem Mosen quæro, ut illius & adspectu & colloquio fruar, occurrit mihi senex, qui virum & fatuum & hæreticum esse affirmabat. Num ita se res habet? *Cui præsentes*, Quo vultu est, *ajunt*, ille senex? *Ad quæ hospes*: Vir longus & niger, attritis vestibus amictus. *Mox alii*: Hic ipsissimus est, *inquiunt*, Moses Abbas, extremus osor inanis gloriæ, qui sanctimoniam tam dextrâ tegit stultitiâ.

§. 10. Hunc Triumphum præ cæteris extra castra Israëlis triumphavit. 1. Socrates, qui non tantum suorum quemque discipulorum præclare monuit; *Ut sis beatus, te alicui Stultum videri sine*: sed ipsemet etiam aliquando rogatus: *Quid sciret*? respondit de se: *Hoc unum scio quod nihil sciam*. Quod inaudiens non nemo adstantium subjecit: *Imo ego ne hoc quidem scio*. 2. Cleanthus, qui

Asi-

Asinus appellatus; convitium non refutabat, sed se parem esse Zenonis Philosophi sarcinæ bajulandæ affirmabat. 3. L. Annæus Seneca, qui ep. 50. inter cætera ad Lucilium sic de seipso scribit: *Si quando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus; Me rideo.* 4. Solon ille Salaminius, qui quum capitale Athenis esset rogare Legem de insula Salamine asserendâ, habitu lymphatici prodiit, & præconis voce carmina recitavit, quæ suaderent; *Salaminem gladio repetendam.* Persuasit & impetravit sub insipientis larvâ, quod nesciebat exorare sub sapientis forma. 5. Lucius Junius Brutus metu Tarquinii Superbi ad tempus stultitiam simulavit; sed deinceps Regem exegit, Romam in libertatem asseruit, primus Consul in acie sic occubuit, ut ipsius interitum anno toto tota Urbs elugeret. Nos igitur ipsi in gratiam prætereuntium Viatorum Tumulum pro Epitaphio Didascalico subscribamus; ad pedes illud Horatii Venusini: *Misce stultitiam consiliis brevem; Dulce est desipere in loco*; ad caput verò illud Ausonii:

Stultitiam simulare loco Prudentia summa est.

§. 1. Hunc verò Triumphum intra Israëlitica Veteris Testamenti castra præter cæteros sic triumphavit I. resipiscens & confitens Rex David 1. Chron. 21. ℣. 8.

Stultè

Stultè egi valdè. Valdè obnititur calamus adſcribere; quod aliquando hic Rex extorris coram Philiſtino Rege Achis per ſimulationem dementiæ effugit periculum vitæ 1. Sam. 21. ℣. 14. II. Agur, qui ingenuè profitetur Prov. 30. ℣. 2. 3. *Brutus ſum ego, ex quo vir ſum, nec eſt intelligentia hominis mihi. Neque didici ſapientiam, neque ſcientiam Sanctorum novi.* Noviſſe autem ipſum interea loci longè plura quàm præcellentiſſimum quemque Rabbinorum aut Theologiæ Doctorum noſtræ ætatis, nullus dubito. Horum enim ſcripta poſthabentur duntaxat inter Deuterapocrypha: illius autem effata θεόπνευστα præhabentur inter oracula Protocanonica. Quia quantò minore fide ſuum quiſque Deum accedit, tantò minore munere ex cœleſti ejus gaza accepto recedit.

§. 12. Hunc denique Triumphum intra Euangelica Novi Teſtamenti caſtra poſt Chriſti Adſcenſionem in cælis Triumphalem triumphavit ante alios I. Magnus ille Gentium Apoſtolus Paulus, dum non tantum aliis παράδοξον hoc præſcripſit 1. Cor. 3. ℣. 18. *Nullus ſeipſum ſeducat: ſi quis eſſe ſibi videtur* Sapiens *inter vos in hoc ſeculo*, Stultus *fiat, ut* ſapiens *fiat*: ſed de ſe ipſo etiam ſcripſit 1. Cor. 4. ℣. 10. *Nos* ſtulti *propter Chriſtum, Vos autem* prudentes *in Chriſto.* II. Au-

II. Augustinus, qui suorum cuique discipulorum præscripsit: *Dic te Stultum*, *&* *Sapiens eris. Sed dic, dic,* *&* *Intus dic, quia sic est, ut dicis.* III. Nominatissimus ille Islebiensium Theologus Lutherus, qui non tantum suorum quemque discipulorum sic informat tom. 1. Jenens. mihi fol.76. Wann dich jemandt verspricht / undt will dich zum Narren machen/soltu nicht dar wieder wollen/sondern Ja darzu sagen / undt das recht dich düncken lassen / als dann auch fürwar für Gott recht ist: Verum etiam tom. 5. Jen. fol. 153. l. 2. semetipsum vocat einen Narren. Beabimus beatos beati Viri manes, sicubi in hodiernam lucem usque inter suos Augustanæ Confessionis Episcopos, Superintendentes, Pastores & Auditores sortitus fuerit multos sui imitatores. Quicunque verò in plura de sacrosancto Humilitatis hujusmodi Victricis ac Triumphatricis Mysterio se penetrare affectat, ille evolvat vel Erasmi sapientissimi de Moria ἐγχειρίδιον encomiasticum, vel Cardinalis *Cusani Doctam Ignorantiam*, vel Librum illum anno CIↃ IↃ CXIX. Coloniæ Agrippinæ editum, qui inscribitur *Stulta Sapientia* seu *Sapiens Stultitia*. Quod si quis hos libros sibi nondum paraverit, ille poterit interea temporis sibi ex illis hanc habere Epitomen Drexelii Jesuitarum Hesperi: *Hoc compendium, hoc Humilitatis fastigium*

gium est, seipsum in stultorum Tribu *censere, nec iniquè ferre, ab aliis* albæ mentis hominem *haberi. Quisquis hac sese cogitatione armaverit, omnes tolerabit injurias, quascunque concoquet calumnias, omnium hominum arrogantiæ & contumaciæ se submittet. Vitiorum mater* Superbia *non ei nocebit. Equidem* vera Sapientia *in submisso sui sensu & vera Humilitate sita est*: Sed *tam potens est argutatrix domina* Φιλαυτία, *ut nec Seneca, nec Salomon, nec Augustinus, nec Paulus ulli facilè persuaserint, ut* Stultum *se dicat. Omnes nimium quantum, & pol toto pectore sapimus. Veritas illa de cælo descendit*: Ne sis sapiens apud temetipsum. Pr. 3. v. 7. *Qui sibi ipsi vel obolo uno preciosior est, quàm stultus, omne sibi pertium detrahit, nec ad Humilitatis fundum pertinget unquam. Ad cælum & ad immortales delicias compendiaria prorsus semita est* Intelligens Fatuitas. *Hæc quippe* Sapiens Stultitia *omnes Humilitatis Leges complectitur.* Qui potest capere, capiat. *Oguenus verò Satyricus sua Empæctæ carmina occinat.* Verus enim Christianus cum *Chrysostomo* nil nisi *Deum* & *Peccatum* metuit; Portas autem inferorum omnes pugnando patiens vincit & hoc Triumphale ἐπινίκιον canit: *Quicunque à Mundo subsannari nondum condidicit, in Christiana Sp. Sancti Academia nondum philosophari perdidicit, sed talis indocilis condiscipulus permansit, qualis plus defecit quàm profecit.* 2. Tim. 3. ℣. 7.

Ca-

CAPUT IX.

ÆSopus invenuſtus ille ſed ingenioſus è Phrygia fabulator aliquando in ædibus ſemirutis conſpicatus eſt columnam, cui VII. Characteres Græci ΑΒΤΟΕΘΧ fuerant inciſi. Hîc ſuum ille ingenium exacuere, voces ſuppreſſas indagare, latentes ſenſus rimari, omnia explorare ac tentare, nec prius quieſcere quàm verba reperiſſet penitus abſtruſa. Namque auſpicatò invenit, atque ita demum ore ex corde philoſophico extulit: ἀποβὰς βήματα τέσσαρα ὀρύξας, εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου. Neque caſſa interpretatio fuit, ſed tantum operæ pretium obtulit, ut deſcendens IV. paſſus fodiendo Theſaurum auri invenerit.

§. 1. Nos autem è Varrone, Plinio, AGellio, Valerio Maximo & id culmen aliis luculentis auctoribus tale collectum ſubjiciemus oculis Epigramma, ut ejus ſenſum vel quivis Lector, præterquam Bœoticum ingenium facilè aſſequi poſſit. Poterit quippe in eo maximam memorabilium partem de Triumpho Hetruſco (qui κατ' ἐξοχὴν *Triumphus* ſalutari amat) contemplari.

L. SICINIUS. DENTATUS. TRIB. PL.

PL. CENTIES. VICIES. PRÆLIATUS. OCTIES. EX. PROVOCATIONE. VICTOR. XLV. CICATRICIBUS. ADVERSO. CORPORE. INSIGNIS. NULLA. IN. TERGO. IDEM. SPOLIA. CEPIT. XXXIV. DONATUS. HASTIS. PURIS. XIIX. PHALERIS. XXV. TORQUIBUS. III. LXX. ARMILLIS. CLX. CORONIS. XXXV. CIVICIS. XIII. AUREIS. VIII. MURAL. III. OBSIDIONAL. I. FISCO. ÆRIS. X. CAPTIVIS. XX. IMPERATORES. IIX. IPSIUS. MAXIME. OPERA. TRIUMPHANTES. SECUTUS.

§. 2. Enimverò quemadmodum peritus cæleſtium ex uno Speculo Aſtrologico non nemini admodum totam genethliacam tranſigendæ vitæ imaginem providere pollet, prout haurias è Ranzovio & Eichſtadio: Ita iſthoc Antiquitatum Romanarum Epigramma inter cætera præſtabilia condocefacit atque præſignat, quæcunque capitibus ſubſequentibus traduntur; prout nullus diffitebitur, qui ſe à talibus ſociis diſſociaverit, qualium ergò nihil neque dicendum neque ſcribendum eſt ob illud Cypriani contra Demetrianum: *Labor irritus eſt & nullius effectus, offer-*

re

re lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto. Brutus autem in Philoſophum facilè reformatur, quicunque Ambroſio ſic ſcribenti conformatur: *Quantumlibet quiſque profecerit, nemo eſt qui doceri non egeat, dum vivit.*

CAPUT X.

IN quovis experto fortiſſimorum militum exercitu ſibi facile audientiam facit talis vox; *Ante bellum & prælium non dari Victoriam ac Triumphum.* Pugnando quippe olim Patriarcha Abraham Dux cum CXIIX. famulis Reges IV. Victorioſos Victor vicit, victiſque Lothum cum præda Pentapolitana eripuit atque ita primam Coronam Triumphalem apud Melchizedechum Regem Salemi Pontificalem meruit. Pugnando Magnus ille Iſraëlitarum Imperator *Joſua* promiſſam occupavit terram *Palæſtinam.* Pugnando olim Gallicus ille Celtarum Dux *Brennus* I. cepit Romam anno XX. poſt captas à Lyſandro Athenas, ut Polybius ſcribit. Pugnando in campis Catalaunicis anno XXVII. Imperii Imperatoris Valentiniani III. vincens Aëtius CLXII. millia ſeu infimum CXLV. millia hominum cecidit de exercitu victi prælio Attilæ, qui non tantum inſo-

insolenter solitus fuerat effutire: *Stellas præ se cadere, terramque tremere, se namque esse malleum universi Orbis*: sed suis etiam diplomatibus & epistolis hæc gigantæa præfigere: *Attila filius Bendecuci, nepos magni Nembroth, innutritus in Engaddi, Dei gratiâ Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Dacorum, metus Orbis, flagellum Dei.* Pugnando denique à tota Ecclesia Militante transmigratur in Ecclesiam militantem, juxta illud Leonis serm. 35. *Nulla sunt sine Tentationum experimentis opera virtutis; nulla sine perturbationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione Victoria.* Victoriam autem excipit Triumphus.

§. 1. Triumphus autem Currulis Terrestris Major non suo quidem caret fundo & auctore, sed à Romulo primum non fuisse actum, innuit Liv. l. 1. hist. ab Urb. Cond. pag. 8. col. 2. sic inferens: *Fusi igitur primo impetu & clamore hostes: oppidum captum, duplicique Victoria* ovantem *Romulum* Hersila *conjunx precibus raptarum fatigata, orat ut parentibus earum det veniam & in civitatem accipiat.*

§. 2. Ut autem illos (qui statuunt, ante *Tarquinii Prisci* ætatem nullum *Triumphum Justum* fuisse Romæ celebratum) sequamur, inclinat animus, partim ob illud Plinii II. lib. de Vir. Illustrib. mihi

pag

pag. 385. ubi de laudato Quinto Romanorum Rege ſic narratur: *De Sabinis & priſcis Latinis triumphavit*; partim ob illud Flori l. 1. c. 5. *Neque pace Tarquinius quàm bello promptior. Duodecim namque Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit. Inde Faſces, Trabeæ, Curules, Annuli, Phaleræ, Paludamenta, Prætexta; inde quod aureo Curru quatuor equis triumphatur: Togæ pictæ, Tunicæque palmatæ: omnia denique decora & inſignia, quibus Imperii Dignitas eminet.*

§. 3. Quapropter cum tanti Triumphi *formâ* (quæ communiter *dat Eſſe rei, infert diſtinctionem rei & conſiſtit in indiviſibili*, ut Academiæ philoſophantur, atque arbitrantur; *Præſtantiores Definitiones à cujuſque rei formali formari quàm à Materiali*) deſtituatur Triumphatus Romuli, ἀκριβῶς Triumphi Majoris nomine mactari nequit. Quod ſi artificioſis ingeniorum inventionibus liceret indulgere, facilè non nemo *Davidi* Secundo Iſraëlitarum Regi (qui ante Regni poſſeſſionem è duello cum *Goliathe* gigante Victoriam reportavit) hujuſmodi Triumphum transſcribere valeret pompoſum, quo nihil pompabilius (ut *Trebellii* voce abutar) in Iſraële viſum neque videndum: *Davidi Victori à gratulante Rege Saul coronâ laureâ obryzo & gemmis collucente tempora cingebantur, à ſummo Caſtrorum regiorum præ-*

fecto Abnero hasta pura & Corona Obsidionali & ab exercitu Civica & Palata donabantur Jonathan verò Regis filius primogenitus Victorem paludamento palmato, annulo gemmato, torque baccato, baltheo inaurato, gladio evaginato & sceptro regifico exornabat. Interea temporis eburneus Currus Erichthonius auro mirifice illusus ad triumphandum apparabatur; quem advectum confestim Rex oleaginâ coronâ coronatus cum Jonathan ocell post Davidem Victorem triumphaturum conscendebant, & invecti illicò ad caput Regni contendebant. Hos evestigiò Dux Abner cum Tribunis, Chiliarchis, Hecatontarchis, excubiarum præfectis, legatis & signiferis, simulatque in famoso concertationis victricis loco Trophæum illustre in perpetuam Victoriæ inauditæ memoriam statuerant, sequebantur fascibus triumphalibus amicti; quos totus exercitus laureatus jubilando comitabantur palmas manibus præferentes & ingentibus manubiis gaudentes. Post hos pariter atque ante eburneum Currum *Triumphalem memoratum varii captivi Philistæi catenis æneis colla onusti & manus post terga revincti à Triumphantibus agebantur. Hinc illinc triumphalia castrorum tympana pultabantur & cornua bellica inflabantur. Caput autem victi hostis blasphemi Goliathi gigantis in eodem Triumpho inter Saulem Regem & Davidem Victorem conto prælongo* à quodam procero prætorianæ cohortis milite *præferebatur. Huic agmini Triumphali undiquaque ex urbibus fili*

Israël

Israëliticæ (*quæ doctæ erant canere in nuptiis* Epithalamium, *in funeribus* Θρηνῳδίαν, *in cladibus* Epicedium, *in victoriis* Epinicium) *obviam effusæ, victoribus congratulabantur, reditumque eorum ab hoste salvum choreis festivis & his triumphalibus concentibus alternatim excipiebant, tympanis perstrepebant & panduris ludebant*: Percussit Saul millia sua, at David myriadas suas, 1. Sam. 18. 6. Salute itaque plurima impertimus Dionysium illum qui hæc nobis denarrat: *Urbe Cæcinâ capta, arma tradi jussit, acceptisque pueris obsidibus quos voluit, in Antemnates vertitur, palantesque eos & dispersos ad prædam inopinato superventu capit, eodemque modo de his, quo de prioribus decernens, exercitum domum reduxit; spolia etiam adducens bello capta, Deisque prædæ primitias consecrans, ac multa simul faciens sacrificia, ultimus autem ipse post pompam ibat purpureâ veste amictus, comamque lauro coronatus, &, ut Dignitatem Regiam servaret, curru quadrijugo invectus; Aliæ verò equestres pedestresque copiæ sequebantur egregiè instructæ: Deos laudantes patriis carminibus ac Ducem suum extemporalibus versibus extollentes. Ex Urbe verò cuncti eis obviam prodiere cum uxoribus & liberis, ex utraque viæ parte simul, & ob Victoriam gaudentes, & omnem præ se ferentes comitatem: utq; Urbem inierunt, crateribus occurrunt vino plenis, mensisq;* omnium generum cibis *refertis, expositis ipsis apud*

 illu-

illustres familias, ut paratæ eßent volentibus convivari. Victoriosa igitur & Trophæophora pompa & immolatio, quam Romani Triumphum *vocant, prima à Romulo instituta talis fuit. Ætate autem nostrâ sumptuosissima & insolens & ad ostentationem potius divitiarum quàm ad virtutis existimationem decantata omnem prorsus formam exuit pristinæ tenuitatis. Post pompam autem & sacrificium Romulus Templum in Capitolio Jovi Feretrio exstruxit.*

CAPUT XI.

CUm *Industriâ* & *Patientiâ* Prudentis plerumque omnia vincantur inexpugnabilia, suas cuiq; bellatori vineas ac machinas ego ingeniosas nullus invideo, quippe qui Deo laborare, proximo ministrare, in castris Novæ Obedientiæ Christianis mecum habitare, atque rerum mearum ita satagere in animis habeam, ut auscultem voci illi Joviniani Imp. Christiani Christianæ: *Ego contentiones odi, eos autem qui ad Concordiam festinant, diligo pariter & honoro.* Quapropter nolim infestis Contradictionis signis ac catapultis totum illud Megalandricæ sententiæ propugnaculum solo adæquare, quâ asseveratur: *Jactis pedestris & equestris Triumphi fundamentis à Romulo post superatum, obtruncatum & spoliatum Cœninen-*

nensium Ducem Acronem, *& à Tullo Hostilio post devictos Albanos, Fidenates & Sabinos, esse* Triumphum Curulem *superstructum.*

§. 1. Enimverò quemadmodum menstrua novilunii cornua vix apparent, sed indies increscunt, quoadusque totus plenilunii Orbis resplendeat: Ita plurimæ res humanæ, quas varii Inventores invenerunt, tam parva & ingloria sortitæ sunt incunabula, ut eorum successores inventis inventa talia addere occuparint, qualium gloriâ explendescere cœperunt.

§. 2. Ita post Albertum M. Dominicanum anno CIↃCCCLXXX. *Bertholdus Schwartz* Monachus Germanus suis coætaneis dicitur invenisse pulverem è sulphure, carbone & nitrato sale pyrium cum tormento Martio, juxta illam *Pamphili Saxi* prosopœiam de istiusmodi publica humani generis pernicie (quæ à *Glaubero* Chymico vocatur *Compositio Diabolica*, & fistulæ æneæ ab *Elia Prætorio* à Vespertilionibus Fewer-speyende Drachen Instrumenten) Mundo Nimrodiano communicata:

Vis, sonitus, rabies, motus, furor, impetus, ardor,
Sunt mecum, Mars hæc ferreus arma timet.

Timet, & jamdudum luget, quia videt, quod sub hoc novo immutatorum armo-

rum ſtatu una glans exploſa flammivomo leporis imbellis ſclopeto vel bellicoſiſſimam generoſiſſimi cujuſque herois virtutem triumphare eminus poſſit; ſed olim cominus cum viro vir manus conſerebat, & fortior plerunque Victor infirmioris evadebat. Atenim ſecundum juſtum Talionis Divinæ Tribunal diluvium peccatorum ignitorum ſic excipit Diluvium ſuppliciorum ignitorum, ut concinas cum Eccleſia Teutonica: Das iſt ein Zeichen vor dem Jüngſten Tag. Equidem κακοζηλία caſtrenſis obducit; Conſimili Stratagemate à Davide parvo devictum eſſe Goliathum magnum; Hodiernis tamen bellatoribus (qui non aguntur Spiritu Davidis) glorioſius eſſet, ſi ſe omninò ab omnibus abſtinerent furtivis Chorœbi Victoriis. Victoriis iſtiuſmodi conſequendis quoque ſubſerviiſſe Tormenta coriacea compertum eſt, quæ in gratiam *Guſtaphi Adolphi* Regis Suecorum victorioſi quondam *Ludovicus Rippius* Eques Prutenicæ Nobilitatis ingenioſiſſimus adinvenit, quem ipſemet Elbingæ abhinc XXX. annis vidi & conveni in armamentario Regio, cui erat præfectus Generalis.

§. 3. Ita etiam hodierna antiquam illam Harlemenſis inventionis Typographiam tot adinventionibus artificioſis antecellit, ut

ut(si cæli permissu inventor reviviſceret & ad modernas Chalcographias proviſeret) pro antiqua ſua virtute forſitan operas Typographicas ſic interpellaret: *Amici nobiles! Ego mihi perſuaſeram, Inventionem meam fore æternam omnium inſequentium ſeculorum Typographicorum magiſtram; ſed jam rudem illam Inventricem trado in veſtram diſciplinam.* Et narratur enim in Chronicis Belgicis: In't Jaer nae Christi gheboorte 1440. is tot Haerlem in Hollandt door Johannes Coſterus op een zyde ghedruckt den Spiegel onſer Zalighept; Maer in 't Jaer 1442. is tot Meyntz in Hoogh-Duytſlandt ghedruckt het Doctrinale Alexandri Halli mitſgaders Petri Hiſpani Tractaetjen / juxta illud Guimphelingi: *Typographiam* Joh. Gutenbergerus *Eques Germaniæ Auratus* Moguntiaci *conſummavit*, quam Argentinæ *eo anno invenit*, quem Poëta ſic expreſſit:

MIra typIs LIbros ars qVæ CeLerI eXCItat aCtV,
GVttenbergerI genIo eſt InVenta IohannIs.

Hinc Francofurtana Bibliotheca ſuis jamdudum *M. T. Ciceronis Officiis* triumphat.

Nolim ego jam reſpondere ad illud Johannis Boteri in deſcriptione Chinæ: *Sunt mille amplius anni, ex quo Chinenſes ante noſtras nventas Typographias Typographiis utuntur.* Maim adſcribere pro noſtratibus extra Chi-

nam Typographiis illud Peuceri votum: *Utinam tanto Dei munere grati uteremur; non ad obscurandam, sed illustrandam Dei gloriam; non ad disjungendas, sed copulandas Ecclesias.* Atenim ubi Typographiæ non sunt tales prænobiles Virgines, quales semper excudunt libros pios & honestos secundum conscientiam Christianam; ibi plerumque degènerant in tales nobiles meretrices, quales usque & usque excudunt Inferno πτρίσζγα, literas Ephesias, & libellos Dardanios, famosos atque Antichristianos secundùm inspirationem Diabolicam propter famem auri sacram contra cælum & terram procul ulla Confiscationis formidine.

§. 4. Ita denique non nemini liquet scribere; in Italia antiquâ rebus ab exiguo subnatis primordio, *Triumphos* originem suam inhonoratiorem sapuisse atque retulisse, juxta illud Livii de Romulo almam Cæninensium patriam occupante: *Duce hostium occiso, Vrbem primo impetu capit. Inde exercitu victore reducto, ipse cum factis vir magnificus, tum factorum ostentator haud minor, spolia Ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo gerens in Capitolium adscendit: ibique ea cum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum domo designavit templo Jovis fines cognomenque addidit Deo:* Jupiter Feretri, *inquit*, hæc Tibi Victor Romulus Rex Regia

gia arma fero, Templumque iis regionibus, quas modò animo metatus ſum, dedico: ſedem opimis ſpoliis: quæ Regibus Ducibuſq; hoſtium cæſis me auctorem ſequentes poſteri ferent. *Hæc Templi eſt origo, quod primum omnium Romæ dicatum eſt.* Hinc ſcribit Pomponius Lætus l. 2. Rom. hiſt. ſub Rubr. Magnitudo Imperii Romani fol. 15. *Ipſa quidem fercula primus oſtendit Romulus, qui ramum quernum manu cepit, in quo cæſi Acronis Regis Cæninenſium, opima Jovi Feretrio ſpolia in Capitolium tulit.* Tulit punctum unum præcipuum, qui credidit, non ſine advigilante Divinæ Providentiæ Oculo Romam in tantum Potentiæ, Opulentiæ & Excellentiæ faſtigium effloruiſſe, quanto poſt collapſam Macedonum Monarchiam ipſa ſola ſuperbiebat & in ſuo corde dicebat: *Ego ſedeo Regina, nec ero Vidua, nec luctum ſum unquam viſura.*

§. 5. Hinc procedente tempore inter ſuccreſcentes Populi paſtoritii ditioneſque & viros talis adhibebatur in pompoſa iſthac re moderatio, ut Victoribus pro Victoriarum ratione vel frugaliores vel ſumptuoſiores decernerentur Triumphi. Quippe

Grandis avis vaſtâ nidi compage triumphat;
Sed minor exiguâ ſemper ovare ſolet.

Quod quum ratio inſtituti λεπτῶς καὶ πυκνῶς πάντ' ἐξετάζειν (ut *Amphidis* Comici Græci

vocibus abutar) prohibeat; Ratione plurium hîc addendorum, me Lector amicus amicè excuset juxta illud ICtorum ad l. tutori 20. C. de negot. gest. *Satisfecit, si quis vel in modicis aliquali opera suâ amico consuluit voluntarius.* Quippe ego novi è 2. Chron. 29. 15. me non esse incorporatum Mundi hujus Babylonici habitatorem, sed talem toleratum peregrinatorem qualis, dum senticetum præterit, non nisi unam atque alteram rosam carpit & lætus in via viatorum pergit atq; canit: *Hodie hic, cras alibi*, juxta illud Augustini: *Omnis qui ad supremam pertinet Civitatem, Peregrinus est Mundi, & dum Temporali utitur vitâ, in Patria vivit alienâ, inter multa illecebrosa & multa fallacia; Deum noße & amare, paucorum est.*

CAPUT XII.

FRontinus l. 3. Stratag. c. 2. memorat; *M. Catonem olim in Hispania tempore brevissimo primis munitissima loca complura insultibus occupaße. Interrogatus*: Quâ tandem arte, quibus id viribus effecisset; *id unum respondit*: Usus occasione, quatridui iter biduo confeci. *Quid? quod eâdem idem usus occasione, ad Civitates omnes*, quas Romanis subjicere cogitârat, *literas misit, sed ejusdem omnino argumenti, & eodem prorsus tempore, quibus*

bus imperavit, ut illis lectis, procul ulla cunctatione mœnia solo æquarent; ni parerent, eas vim inevitabilem sensuras & inexpiabialem Romanorum offensam incursuras. *Quælibet istarum Vrbium sibi uni id scriptum credidit, ita omnes humiliter & demissè imperata fecerunt.* Quod si indulsisset *Tempus deliberandi*, facile conspiratio quædam per tabellarios vel lenones conflata eas abripuisset ita in transversum, ut potius arma armis propulsassent, quàm obsecundâssent. Hinc Nicephorus bellum inter *Martianum* & *Zenonem* de Imperio certantes gestum memorans, non minus scitè quàm eruditè scribit: *Occasio est Aquila ad pedes advolans & facilè capi se sinens. Negligis? In altum aufugit. Vis sequi? Ridet illa tam citò non reditura.*

§. 1. Nos consimili ratione *Occasionem* alatam quæ *actionum humanarum Anima & rerum gerendarum Mater est*, & jam satis capillatam undique & undique sese nobis vigilantibus offert, in rem nostram tracturi, scriptionis nostræ telam, quam orsi sumus, procul ullâ oscitantiâ damnosâ sic pertexemus, ut aliquantò differamus largius; Triumphalem pompam deinceps tantis passim auctibus crevisse, ut in Urbe nihil speciosius spectari posset.

§. 2. Enimverò TRIUMPHUS, ut in suo Cornu Copiæ enarrat Perottus,

erat omnium honorum, qui à Populo Romano dari solebant, maximus. Vehebantur namque Triumphantes Curru inaurato, qui IV. equis albis ducebatur; capite coronato, devictis hostibus currum sequentibus, quorum colla catenis onerata erant. Sic praeeunte Senatu in Capitolium adscendebant ad Templum Jovis Opt. Max. ubi mactato tauro albo, eadem pompâ comitatus domum revertebatur. Hinc à Baccherio in Flaviss. Poët. p. 686. *Triumphus* dicitur *Honorum, qui suffragio aut studio civium deferrentur, talis summus apex; à Romulo institutus, qualis ad extrema etiam Impe-tempora duravit. Fuit autem genus Honoris haberi solitum iis qui Imperium à Populo acceptum summa cum virtute ac felicitate administrassent, nimirum ut domum redeuntes magna cum celebritate & pompa Vrbem inirent*; juxta illud Ant. Thylesii Consentini comment. de Coron. *Gliscentibus in Civitate Romana divitiis ex auro coronario* Corona *fiebat* Hetrusca, *quam servus eodem quo Imperator Curru vectus Triumphali ponè sustinebat, militibus etiam consequentibus laureatis aut serta gestantibus, citharœdorum insuper ac tibiarũ collegium coronis nonnunquam aureis exornatum, non sine modulatis carminibus Triumphum comitabatur. Hunc autem qui bellici laboris & periculi expertes procurabant, ut ocio ac pace læti fruebantur, ita Pacis Insignia sumebant, Victoremque in Capitolium prosequebantur oleaginâ coronati, quam turmæ equestres Idibus Juliis capiebant.*

§. 3.

§. 3. Cui magnificentissimæ solemnitati fidem faciunt, quæcunque usque & usque apud auctores rerum ingeminantur de Pompa Triumphali, de Viris Triumphalibus, de Vestibus Triumphalibus, de Coronis Triumphalibus, de Curribus Triumphalibus, de Equis Triumphalibus, de Porta Triumphali, de Arcubus Triumphalibus, de Conviviis Triumphalibus. Triumphale autem epulum à nemine uno post hominum memoriam unquam conspectum esse credas dapsilius ac delicatius illo divinitus apparato, quod Johannes Theologus Apoc. 19. ℣. 17. 18. testatur se vidisse: *Vidi quendam Angelum in sole stantem, qui clamavit voce magnâ dicens omnibus avibus per medium cœli volantibus: Adeste & congregamini* ad cænam Magni Dei, *ut edatis* carnes *Regum*, & carnes *Tribunorum*, & carnes *Potentum*, & carnes *equorum*, & eorum *qui ipsis insident*, & carnes *omnium liberorum ac servorum*, *parvorum ac Magnorum.*

§. 4. Magnorum Ducum Triumphantium Victrices lauros amabant Virgines pariter atque aliæ mulieres musicales choreis & cantibus celebrare, ut scribit M. Antonius Flaminius in Psal. 68. ℣. 12. allegans hujus Consuetudinis exemplum è 1. Sam. 18. 5. allegatum à nobis supra c. 10. §. 3.

§. 5. Sunt qui scribunt ad Psalm. 27. vers.

11. quod *Victima Triumphalis*, quam vocant *Hostiam Jubilationis*, cum clangore tubarum pro adepta Victoriâ Deo Exercituum Summo ab antiquâ Israëliticæ gratitudinis pietate fuit immolata. A vero nullus aberravit *Quintilianus*, quando dixit: *Maximum omnium vitiorum signum est Ingratitudo.* Quod si, ait *Ambrosius*, gratiam homini non referre, simile *homicidio* est, *quantum crimen est non referre Deo?* Deo autem est inter cæteros ingratus, qui dum ab Ipso Esa. 55. vers. 8. quidem quotidiè veniam delictorum suorum expetit, proximo verò suo nunquam remittere annuit. Quicunque igitur affectant cum Imperatore suo Christo in æternum triumphare, studeant in hac vita semetipsos superare & inimicis veniam condonare. Condonare enim nolenti in terris, Deus nihil condonabit in cælis. Quapropter dum cum proximo sumus in lubricâ vitæ hujus nostræ brevis via, cadant odia, proscribantur simultates, exstinguantur inimicitiæ, sepeliantur injuriæ, & in cordibus Concordia Christiana mutuusque Amor reviviscant HODIE, priusquam ad reconciliationem nos cohortari cessaverit Vox Jehovæ, de quo scriptum est: Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται, Gal. 6. vers. 7. *Hodie* igitur *emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus, ne subitò præoccupati die* mor-

mortis, quæramus spatium Pœnitentiæ & invenire nequeamus. Quid multa? Multò generosius pariter atque lucrosius est *Parcere* quàm *Perdere*, juxta vocem illam verè Imperatoriam Imperatoris *Theodosii* in aulicos susurrones insusurrantes nil nisi frequentem quarumvis injuriarum ultionem: *Utinam ego possim vel mortuos ad vitam revocare.* Quapropter quamvis Tempus Locusque vel maximè invitent ad lædendum hostem; absit tamen ut nobis persuadeamus concessam nostræ manui ulciscendi opportunitatem, sed oblatam potius servandi hostis mortalis occasionem, qui æque atque nos conditus est ad imaginem DEI. Negligimus à fronte capillatam? In longum ibunt odia & sub ipsum vitæ finem recrudescent. Quid? quod periculum sit, ne ipsis odiis ita immoriamur, ut nullam consequamur indulgentiam neque in hoc neque in futuro seculo, juxta illud Prophetæ Esa. 66. vers. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur.* Vixerunt, qui hærente in extremis labris animâ, jam peremptoriè ad Præjudicium citati & ad Æternitatis portas abducendi, contumacissimè tamen hosti ad reconciliationem parato veniam eheu! negarunt, responsantes: *Nequaquam condonabo neque in hac vita neque post hanc vitam.* Hoc est Belgicè:

gicè: **Ick zal 't niet vergeven nu noch ten eeuwigen daghen.** O illachrymabiles animas! Non ignota cano. *Sapricius* olim sacerdos & *Nicephorus* civis Antiochenus quondam intimi, demum alter ab alterius se familiaritate turpiter disjunxit. Nicephorus sæpiusculè misit, per quos veniam rogaret. Accessit deniq; & ipse inexorabilem Sapricium, atque ad illius pedes abjectus per Christi sanguinem & mortem rogavit, faceret culpæ gratiam. Sed identidem rejectus est. Ortâ autem interim in Christianos sævâ inquisitionis & persecutionis tempestate, Sapricius, quicquid tormentorum admovebatur, constantissimè tulit. Tandem duci jussus est. Nicephorus in via hominem aggreditur & sibi per Christum ignosci supplicat; sed surdas aures sollicitat. Redit denuò, & idem flexis genibus lachrymisq; infusus flagitat: sed facit verba mortuo. *Mortuus* enim *est* DEO *ille superbus in quo sic exspiravit Spiritus Christianæ Humilitatis exorabilis, & expiabilis, ut nolit quicquam pati, sed cuncta ulcisci*, ut ait Smaragdus. Ita perventum est ad feralem ultimi supplicii metã; hîc Sapricius infit corde fluctuare & ore interrogare, *Cur interimendus sit?* Cui respondetur: *Quia Diis sacrificare noluisti.* Ad quod Sapricius condemnatus exclamat: *Abstinete gladium, quia ultrò faxo,*

quod

quod clementissimi Cæsares nostri jusserint. Ita pedem animæ dextrum, quem cælo jam è Babylone fixerat, fœdissimè retrahens, ejurato Deo vivo mortuis idolis fecit, & ad inferos se dejecit. *Justus es, Domine, & recta sunt Judicia tua.* Noluit Sapricius semel atque iterum ac sæpius rogatus gratiam offensæ facere, sed maluit talem incultum rusticum agere, qualis nescit; *Virtutem Regiam tam apud Ethnicos quàm Christianos esse, Proximo condonare.* Noluit Deus æquissimè supremam Mortis beatæ gratiam, noluit jam paratam Martyrii triumphalis palmam ac lauream implacabili capiti tribuere. Ignoscere noluisti, Saprici, tuo fratri, nec Deus ignoscere dignatur tibi, sed justissimè permittit, ut anima tua præter horrendam ἔπωσιν patiatur abominandam ἄπωσιν, juxta gravissimum illud Christi Epiphonema Matt. 18. 35. *Ita & Pater ille meus cælestis faciet vobis, nisi remiseritis suo quisque fratri è cordibus vestris lapsus eorum.* Cui sic subscribit Augustinus tr. 5. in Johann. *Talem unusquisque Indulgentiam accipiet à Deo, qualem fecerit proximo.* Proximus autem est tam Rex Gregi quàm Grex Regi. Rex igitur ille ægrotans perbene suæ consulit animæ, qui ab alio Rege, cum quo hostiliter discordat, prius Reconciliationem Christianam flagitat, quàm Mortem

tem oppetat quæ quidem animam à corpore diſſolvit, ſed βδελύγματα maculoſa ex anima non eluit, Marc. 11. 25, 26. Eccl. 11. 3. Luc. 16. 23. Quanquam enim in Corpore Juris Humani Cæſareo ferè nulla Regula ſit tam firma, quæ non unam aliquam patiatur Exceptiunculam aut fallentiam: nulli tamen Principum è cœlo datur ullum Immunitatis eximentis Privilegium ab iſthac Canonica Summi Legiſlatoris Lege: *Remittite & remittetur vobis.* Quicunque verò hanc Philadelphicam cæleſtis Imperatoris ἀμνηστίαν maturè inire nolet, ſed in peccatricibus ſuis ſimultatibus miſerè perire mallet, ille nemini niſi cerebroſo ſuo ipſius capiti perditionem animæ ſuæ æternam imputet. *Nulla* enim *fit volenti fraus, nulla vis, nulla injuria*, l. 1. §. 5. ff. de injur. l. 34. C. de tranſact. Quicunque verò in privato homicidarum provocantium & acceptantium duello interit, non tam excuſationem quàm commiſerationem meretur, dum infrunitus in via Cain animam ſuam *Toto Mundo* precioſiorem non condignâ æſtimatione æſtimavit, ſed illam velut viliſſimi cujuſque canis aut pulicis vitam jactavit, Orcum exhilaravit, cœlum contriſtavit. In illo autem Territorio, ubi Officium Divini illius Diaconi *Magiſtratus* Nobile ſat vigilanter vigilat & de reddendis

dis Extremo Judicio rationibus frequenter cogitat, nemo in duellum se proruere attentat, sed subditus omnis omnem vindictam privatam evitat & ruminat, quod ab omni vi & injuria penitus sit abstinendum, *l.* 1. §. 1. *&* 2. *quod vi aut clam.* Variæ enim in Jure proditæ sunt actiones, quibus quisque illud quod sibi deberi putat, in judicio legitimo legitimè reposcere & persequi potest, *princ. & tot. tit. Inst. de Act.* Hinc omnis vis est Tranquillitatis Publicæ causâ interdicta, ut Magistratus honorandus honorificè honoretur, cui à Deo in medium constituto soli incumbit, lites intricatas extricare, partes discordantes concordare & pacem publicam subditis procurare atque conservare 1. *dist.* 90. *l. æquissimum.* 13. *in princ. ff. de usufruct. & princ. Novell.* 8. Quare quod publica Magistratus autoritas expedire debet ac potest, id non est singulis ingeniis Martiis concedendum, ut nulla in Remp. invehantur Tragica funera, neu detur occasio majoris tumultûs concitandi, *Dd. ad l. non ut.* 176. *in prin. ff. de R. J.* Etenim malitiis hominum ad sanguinolentas Monomachias πολμηρῶς proclivium non est indulgendum, sed in tempore occurrendum, antequam vel uterque vel alteruter dimicaturorum è medio tollatur, *arg. l. in fundo.* 38. *ff. de R. V.*

CAP. XIII.

QUanquam animo jam provideo, velut qui proximis litori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quicquid progredior, in vastiorem me altitudinem, ac veluti profundum invehi, & crescere penè Opus, quod prima quæque perficiendo minui videbatur: consilium tamen mihi est, protinus pergere & de isthac Hypothesi plura tradere, sine ira & studio, quorum causas decora ingenia, gliscente passim adulatione, procul habent.

§. I. Roma multiplices & intra & extra mœnia sua Victores spectavit. Spectavit enim inter cæteros

I. Tales quales nequicquam Triumphos ambiebant, prout in ambobus illis Coss. T. Quintio Capitolino & Agrippa Volscorum & Æquorum Victoribus eluxit, juxta illud Livii l. 3. *Triumphum nec ipsos postulasse, nec delatum iis ab Senatu accipio, nec traditur causa spreti aut non sperati honoris. Ego quantum in tanto intervallo temporum conjicio, cum Valerio atque Horatio Consulibus, qui præter Volscos & Æquos Sabini etiam belli perfecti gloriam pepererant, negatus ab Senatu Triumphus esset, verecundiæ fuit, pro parte dimidia rerum Consulibus petere Triumphum: ne etiamsi impetrassent, magis hominum*

minium ratio quàm meritorum habita videretur. Et dec. 4. l. 10. mihi pag. 110. *Lucius Stertinius ex ulteriore Hispania, ne tentata quidem* TRIUMPHI *spe, quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubiis duos fornices in Foro Boario ante Fortunæ ædem & matris Matutæ, unum in maximo Circo fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit.* O raram modestiam! Modestiæ istiusmodi raræ, quamvis nimioperè, ille quoque velificabatur, de quo sic Valerius Maximus eloquitur: *Quid facias Cn. Fulvio Flacco, qui tam expetendum aliis honorem* TRIUMPHI, *decretum sibi à Senatu ob res bene gestas sprevit ac repudiavit? Nimirum non plura præcerpens quàm acciderunt. Nam ut Urbem intravit, continuò Quæstione publicâ afflictus, exilio mulctatus est, ut siquid Religionis insolentia commisisset, pœnâ expiaret.* Quippe facilè reus pro tribunali succumbit, ubi Mundus Longimanus & Judex & Actor & Quæstionum faber est. Hâc perversissimâ Processus Exsequutivi specie olim sub Pilato Pontio proditrix Judæorum sanguinolentorum de tribu Caiu natio vitam innocentissimi popularis sui Christi Domini gloriæ petebat vociferans: *Tolle, Crucifige.* Hæc adulteratæ Justitiæ larva olim regnante & mandante Hispaniarum Rege *Philippo II.* nonnulla primaria Belgii capita sub Tyrannico illo Albano Duce *Ferdinan-*

dinando Alvarez à Toledo pervertebat. Sub hoc prævaricationis Judicialis clypeo olim *Johannes Hus* & *Hieronymus Pragensis* ſub Imp. Sigiſmundo peribant anno cIↄ cccc XV. ex decreto Concilii Conſtantienſis. Sub hoc Judicii conſtuprati umbraculo à gladio uſurpato non ſemel milites armis, ſtipendio & ultimo ſupplicio; concionatores legales exilio; aulici optimi magno atque ſolido infortunio; cives denique ignominiis, vinculis, agris, gentilitiis hæreditatibus & bonis omnibus multantur, juxta illud M. Tullii: *Eſt facilè vincere non repugnantes.* Repugnare namque faſtidit conſcientioſa plerorumque innocentium modeſtia. Modeſtia quoq: memorabilis enituit in *Tiberio Sempronio*, quippe qui Triumphum non petiit, etiamſi multis ſecundis præliis Sardos perdomuerat & in Sardinia 15000. ceciderat hoſtium; ſed per legatos duntaxat exoravit, ut Diis immortalibus honos haberetur. Quid? quod de *Julio Cæſare*, poſteaquam Cantabros debellatos ſub corona venumdederat, ſic ſcribit Florus lib. 4. c. 12. mihi pag. 137. *Digna res lauro, digna curru Senatui viſa eſt: ſed jam Cæſar tantus erat, ut poſſet Triumphos contemnere.* Quò referri poſſe videtur illud Ciceronis in Oratione pro Rege Dejotaro, ubi Cæſarem ſic inter cætera alloquitur: *Ignoſce*

Ignosce, Cæsar, si ejus viri (Cn. Pompeii) *autoritati Rex Dejotarus cessit, quem nos omnes secuti sumus: in quem cum Dii atque homines omnia ornamenta congessissent, tum tu ipse plurima & maxima. Neque enim si tuæ res gestæ cæterorum laudibus obscuritatem attulerunt, idcirco Cn. Pompeii memoriam amisimus; quantum nomen ejus fuerit, quantæ opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores Populi Rom. quanti Senatus, quanti tui, quis ignorat? Tantò ille Superiores vicerat gloriâ, quantò Tu omnibus præstitisti. Itaque Cn. Pompeii bella, Victorias, Triumphos, Consulatus admirantes numerabimus, tuos enumerare non possumus.* Hic enimverò Imperator maximum sibi apud suos coætaneos autoritatem, & summam apud posteros famam conciliavit μηδὲν ἀναβαλλόμενος, seu, ut *Lucanus* canit,

Nil actum credens, si quid superesset agendum.

γ. II. Tales Triumphandi potestatem petentes, qualibus denegabatur, ut *Q. Fulvio, L. Opimio, P. Scipioni, M. Marcello*, & consimilibus Megalandris, quorum vel ipsa nomina sunt instar æterni Triumphi.

§. III. Tales quales Triumphum perinde impetrabant quàm efflagitabant juxta illud Ciceronis Tullii Philipp. XIV. in M. Antonium: *Is demum justus ac verus Triumphus est, cum benè de Ref. meritis testimonium à consensu civitatis datur.* Dabatur illud inter cæteros

teros Cæsari *Augusto Octaviano*, qui præter alias victrices à se pugnatas pugnas pugnâ navali Actiaca *Antonium* sic superavit, anno Juliano XV. quarto non. Septembris, ut hæc Suetonius Tranquillus memoret: *Curules Triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes*; juxta illud Huberti Goltzii in Historia sua Augusta de hoc Imperatore victorioso pag. 74. & seqq. *In Italiam reversus, Brundisii quum exscensionem fecisset, omni multitudine obviam effusa, faustis acclamationibus, omniumque favore excipitur: nec salutasse contenti, dextram etiam Victricem Imperatoris, militumque ejus pro se quisque contingere contendentes, votis etiam pro reditu & salute ejus se ultrò obstringebant, gratiasque agebant, quod ejus operâ incolumis salvaque staret Resp. Ad hunc modum per Italiam Pace non minus quàm Victoriâ lætam, effusis non modò totis Urbibus ad habendos ei honores, sed & agrestium turba vias passim obsidente, Romam venit. Potitus Valerius Meßalla ex Calendis Juliis in Appuleii locum suffectus, ipso Magistratus initi die, nullo quidem exemplo, sed ex SCto pro Imperatore Cæsare operatus vota solvit, quod Dii fausto ipsius reditu, felici belli eventu, maturâ ex hostibus victoriâ, Remp. conservassent. Sacris ritè peractis, Cæsar Triumphali ornatus habitu è suggesto militibus pro suo cuique merito virtutis ergò dona militaria largitus est: quique in beneficiis*

ad

ad ærarium deferrentur, adſignavit, iiſdemque pecuniam ex prædâ & manubiis diſtribuit; ſingulis ducentos quinquagenos denarios, duplum Centurioni, triplum Equiti: ſtipendium quoque militare & frumentum duplex poſt Triumphum datum eſt. Populo verò Congiarii nomine quadringentos nummos dimiſit, ne præteritis quidem, in gratiam Marcelli ſororis ſuæ filioli minoribus; qui aliàs non niſi ab undecimo ætatis anno accipere conſuêſſent. Triumphavit *per triduum. Primo die de Pannoniis, Dalmatis, Japydibus, Illyricis, Salaſſis Moriniſque Galliæ, tum de Suevis Germaniæ populis. Morinos* C. Albius Carrinas, *cum reliquis ejus gentis populis, qui armis ſumptis etiam proximos in ſocietatem belli pertraxerant, præliis aliquot profligatos, agrorumque populatione, vaſtationibuſque multatos, imperata facere coëgerat.* Suevi *in Gallicum agmen ſe latiſſimè populando effuderant, ingentem cladem, fugam, terroremque paſſim circumferebant: rapit celerius agmen Carrinas, ad prohibendos à populationibus ſocios; Suevoſque prædâ præpeditos & palantes aggreſſus multa cum cæde profligat: diſſipatoſque eodem impetu proſecutus caſtris exuit: gravisſimiſque aliquot cladibus ad deditionem coactos, in Gallia proximiſque Rheno agris collocat. Hinc & hæc Victoria in Titulis Cæſariani Triumphi adſcripta eſt: Quod Imperatoris Cæſaris auſpiciis, & in ejuſdem provinciis Carrinas rem benè geſſiſſet. Carrinatis pater Syllana pro-*

 ſcriptio-

ſcriptione interſectus fuerat; ea clades filium Jure bonorum ex Lege lata privabat. Cæterum benigniori fato ſervatus, Conſul in locum Cæſaris, quum primo ſe conſulatu abdicâſſet, factus eſt: & poſtea ob rem, contra eas quas jam diximus gentes, bene geſtam, communem cum Imperatore ſuo Triumphi honorem haberi meruit. Cæſar itaque ornatiſſima inſtructiſſimaque cum pompa & apparatu Urbem invectus, octavo Idus Sextileis, de gentibus quas enumeravimus, Triumphum duxit: nec longo poſt eum intervallo & C. Albius Carinas *de Gallis, Morinis & Suevis. Currum Cæſaris tam hoc Triumpho, quàm duobus ſequentibus, Valerius Meſſalla, tum ipſius in Conſulatu Collega, cum reliquo Magiſtratu Senatoribuſque ſequebatur, qui in pompæ ordine aliàs anteire ſolebant: eos legati & Tribuni in equis, & exercitus Victor laureatus pedibus, cum cantu & inconditis, quas jaciunt vocibus, aſſectabantur. Inter cæteros Meſſalla Corvinus qui Salaſſos, Statilius Taurus, qui Dalmatas domuerant, equis in toga Triumphali vecti, omnium oculos in ſe convertebant. Imperator ea pompa per Urbem in Capitolium vectus, taurum immolavit, ſacriſque peractis & donis dedicatis, Magiſtratum Senatumque ſplendido epulo excepit.* Secundo *autem* die *Actiacum egit Triumphum, quo navalis ad Actium pugnæ ſimulachrum inter pompæ Triumphalis fercula tranſvectum, &* Alexandrum *Arabiæ Petreæ Regem inter captivos ante currum ductun*

ctum legimus. Hunc Alexandrum Herodes nullis à Cæsare precibus impetrare potuit: quod is Antonio, ut in Cæsarem contumeliosè petulanterque declamaret, linguam semper venalem habuerat: eum itaque post Triumphum in carcerem retrusum, postea etiam necari jussit. Suetonius auctor est; Actiaco Triumpho Cæsaris Currum comitatos Marcellum Octaviæ filium & Tiberium Neronem jam pubescentem; hunc sinisteriore equo funali, illum dexteriore vectum. Sed omnium præ reliquis in se oculos converterat M. Agrippa, *qui coronâ rostratâ insignis, vexilloque cæruleo ob Navalem Victoriam à Cæsare donatus, inter cæteros equo sublimi vectus eminebat. Hunc frequens populus gratulabundus cum lætis faustisque acclamationibus, non sine plausu & laudum cumulatione, haud secus quàm ipsum Cæsarem usque in Capitolium prosecutus est. Auctores habeo; qui & ipsi Agrippæ, concedente Cæsare, Triumphum ex Actio decretum fuisse tradant. Cæterum vir moderatus & prudens, quantum rebus bene gestis & gloriâ belli excellebat, tantum honore & modestiâ Cæsari cessiße & illustri in suum Imperatorem fide, & apud suos cives meritorum famâ contentus fuisse traditur.* Tertio die *Cæsar ex Ægypto de Regina Cleopatra Triumphum duxit omnium ornatissimum splendidissimumque, utpote Nili capti, oppidorumque & præcipuè Alexandriæ, Pelusii, Parætonii simulachris conspicuum; spoliis præterea, coronis*

aureis, auro, argento facto, infecto, cælato, signatoque signis aureis, argenteis, marmoreis & eburneis, tabulis pictis atque omnigeno apparatu & ferculorum varietate instructissimum. Ante currum inter cæteros captivos ducti Cleopatræ *liberi gemelli*, Alexander, *cui* Solis, & Cleopatra, *cui* Lunæ *nomen parentes indiderant. Ipsius Cleopatræ imaginem ad vivum expressam, cujus sinistro brachio aspis mordicus affixa hærebat, in hoc Triumpho translatam fuisse, auctor est Plutarchus* Livius autem de C. Calpurnio Pisone & L. Quintio commemorat dec. 4. l. 9. *Utrique magno Patrum consensu* TRIUMPHUS *est decretus. Prior C. Calpurnius de Lusitanis & Celtiberis triumphavit, tantundem auri atque argenti in eo Triumpho translatum.*

§ IV. Tales quales vel contradicente Senatu, vel dissentiente Populo, vel abnuente exercitu triumphabant. Triumphalem enim currum conscensuro sæpè æmuli illi adversabantur, qui coronam insignem capiti ejus detrahere nesciebant. Notum est è Livii dec. 4. l. 8. quantis opibus è X. legatis L. *Furius Purpureo & L. Æmylius Paulus* Victori *Cn. Manlio* obstrepere annixi sunt, ut Triumphus postulanti ne decerneretur; dum inter cætera obtendunt: *Ipsum Gallogræcis bellum non ex Senatus autoritate, neu Populi jussu intulisse, sed privatum potius latrocinium*

cinium exercuiſſe. Bellum autem ipſum, cujus nomine Triumphum petis, *pergunt interpellare hominem*, quomodo geſſiſti? *Loco æquo, tempore tuo pugnaſti?* Quomodo autem hic bellator vexatus tandem Triumphum habuerit, paulò poſt participatum ibimus. Ibimus commemoratum è Livii dec. 5. l. 1 *quod C. Claudius quidem in Magiſtratu de duabus ſimul gentibus triumphavit, & in eo Triumpho tulit denariûm* CCCVII. *millia, & victoriatûm* LXXXV. *millia* DCCII *ſed ſocii taciti currum ſecuti ſunt, ut iratos eſſe ſentires.* Sed vana fuit ſine viribus ira. Vindicare quippe ſe de Triumphatore non poterant, quod dimidio minus quàm cives adepti erant.

θ. V. Tales qualibus majori erat gloriæ, Triumphum neque petiiſſe neque accepiſſe, ut intelligas ex illo Livii l. 5. p. 159. col. 1. *Camillus meliore multò laude, quàm cum Triumphantem alibi per Vrbem vexerant equi, inſignis Juſtitia fideque cum in Vrbem rediiſſet, tacitè ejus verecundiam prætulit Senatus, quin ſine mora voti liberaretur.*

λ. VI. Tales quales magis connivente quàm conſentiente Urbe triumphabant, ut elucet è Livii dec. 4. l. 9. ubi ſic narratur: *Ad 3. Nonas Martias Cn. Manlius Volſo de Gallis, qui Aſiam incolunt triumphavit. Serius ei Triumphandi cauſa fuit, ne Quintio Teren-*

tio Culleone prætore causam Lege Petiliâ diceret: *& incendio alieni judicii, quo L. Scipio damnatus erat conflagraret: eò infensioribus in se, quàm in illum judicibus*, quod Disciplinam Militarem severè ab eo conservatam successor ipse omni genere Licentiæ corruperat. *Neque ea sola infamiæ erant, quæ in provincia procul ab oculis facta narrabantur: sed etiam magis quæ in militibus ejus* quotidie *conspiciebantur.* Luxuriæ enim peregrinæ origo ab Exercitu Asiatico invecta in Urbem est; *ii primùm lectos, vestem stragulam pretiosam, plagulas & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam advexerunt. Tunc psaltriæ sambucistriæque, & convivalia* Ludionum *oblectamenta addita epulis: epulæ quoque ipsæ & cura & sumptu majore apparari cœpta. Tum* coquus, *vilissimum antiquis mancipium*, & æstimatione & usu, *in pretio esse: & quod* ministerium *fuerat*, Ars *haberi cœpta. Vix tamen illa quæ tum conspiciebantur*, semina *erant* futuræ Luxuriæ. *In Triumpho tulit Cn. Manlius Coronas aureas* CC. *duodecim pondo: argenti pondo* CCXX. *millia: auri pondo* MMCIII. *tetradrachmûm Atticûm* CXXVII. *millia. Cistophorûm* CCL. *Philippeorûm aureorum nummorum* XVI. *millia* CCCXX. *& arma spoliaque multa Gallica carpentis transvecta. Duces hostium duo & L. ducti ante currum. Militibus quadragenos binos denarios divisit, duplex Centurioni:*

&

& ſtipendium duplex in pedites dedit, triplex in equites. Multi omnium Ordinum *donati militaribus donis, currum ſecuti ſunt, carminaque à militibus ea in Imperatorem dicta, ut facilè appareret, in Ducem indulgentem ambitioſumque ea dici, Triumphum eſſe militari magis favore quàm populari celebrem. Sed ad populi quoque gratiam conciliandam* amici Manlii *valuerunt. Quibus annitentibus, SC. factum eſt, ut ex pecunia quæ in Triumpho tranſlata eſſet, ſtipendium collatum à Populo in publicum, quod eis ſolutum antea non eſſet, ſolveretur, vicenos quinos & ſemiſſes in millia æris Quæſtores Urbani cùm fide & cura ſolverunt.* Benè dicitur è Plauto: *Vbi amici, ibi opes.* Melius è Plutarcho: *ἀναγκαιότερος πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος.* Optimè è Teutonico Gnomologo:

Die trewen Freund' allein
Pflegen allzeit zu ſeyn
Vns ſehr ſtarcke Brücken/
Vndt ein weit beſſer Sold
Dann Silber vndt Viel Goldt/
Hinter vnſerm Rücken.

Experientia quippe quotidiana condocefacit, quod ſæpe nequicquam ille terra marive vacans officium vel Stratioticum, vel Scholaſticum, vel Eccleſiaſticum, vel Politicum, vel Oeconomicum, (de quo dicere ſolent Hiſpani: *Quien tiene oficio, tiene beneficio*; juxta illud Gallorum: *Ceſtuy qui a un meſtier; il a à manger*) per tramites legitimos ambit, quem amicitia unius alicujus

cujus Mecœnatis seu Patroni deficit, etiamsi singulis ipsius capillorum apicibus vel XVI. Artes adhæreant. Equidem præter cætera multa multi multoties non nemini supplicantium dicunt: *Nullum prætermittemus tui juvandi & levandi locum*; sed interim nihil faciunt nisi forsitan unum hoc miraculum, ut ab Orco revocare videantur M. Tullium Ciceronem sic conquerentem: *Si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus.* Laborat autem passim magnum Babylonici hujus Mundi Xenodochium uno morbo sontico, dum ad functiones provehi videntur frequenter non Logicè, sed Grammaticè

1. Alii die Lunæ per *Nominativum*, dum exploratur, numquidnam Candidatus sit nominatissimus aliquis Hector aut Achilles, Chrysostomus aut Ambrosius, Hippocrates aut Galenus, Homerus aut Virgilius, Aristoteles aut Ramus, Bartolus aut Baldus, seu à magnis nominibus nomen ducat, juxta illud Poëtæ:

Julius à magno demissum nomen Iulo.

2. Alii die Martis per *Ablativum*, dum unus per Patroni malevolentiam exauctoratur, & alter per Ejusdem benevolentiam inauguratur, juxta illum versiculum:

Ante suam Mortem Cœlestes plurima possunt.

Potest

Poteſt enim ferè nemo niſi ſolus cœli Rex Regi terræ cuivis dicere ex Eccl. 8. verſ. 3.

:מַה־תַּעֲשֶׂה

3. Alii die Mercurii per *Dativum*, dum ambiens talem Mercurium gerit in pedibus; ut feſtinans, nullus credat, ſed functionem furtim per artes cauponandi (quas Belgica natio incluta vocat **Kuppen**) redimat largitione quam neſciebat ſenſim acquirere eruditione, ſupplicatione, ſollicitatione, exſpectatione, juxta querimoniam Jehovæ per os Prophetæ: *Cucurrerunt, ſed à Me non miſſi fuerunt.*

4. Alii die Jovis per *Accuſativum*, dum ambiens per confictas calumnias ſe percallet in aliquam Spartam ita intrudere ſucceſſorem, ut extrudat anteceſſorem, atque ita in ſe exſtinguat Lumen illud Virtutis antiquum, quod dictat è ICtorum l. filius 15. ff. conditionib. inſtit. & l. nepos. 125. ff. de Verb. Sign. *Quæ contra honeſtatem ſunt, ea nos facere non poſſe credendum eſt. Eſt* enim *impoſſibile, ut efficiatur utile, quod caret honeſtate*, Dd. ad c. ult. de reſcript. in 6. & c. faciat. 15. c. 22. q. 2. Quare quemadmodum filius Diaboli eſt, qui Muneribus oblatis hominem incorruptum corrumpit; Ita Diaboli nepos evadit, qui iſtiuſmodi munera maledicta accipit & contra Jeho-

vam ac Conſcientiam agere occipit. Hinc ſaniorum Ethnicorum quiſque in bonis ſuis numerare noluit niſi quodcunque foret honeſtè acquiſitum. Acquirant igitur multò magis Chriſtiani officia ac beneficia honeſtè; ut illos olim ne cogantur ſortiri Prætores, quos jam nolunt agnoſcere Correctores. Quia *talia agentes*, *Regnum Dei non poſſidebunt*, Gal. 5.

5. Alii die Veneris per *Genitivum*, dum indagatur, quonam majorum ſatu ſupplex ſit ortus, num ſit patritius, gentilis, agnatus, cognatus, affinis, nepos. Omnis quippe ſimia lambit citius catulos ſuos, quàm alienos. Quid? quod Ælius Spartianus in in vita Severi ſcribit: *Neminem propè magnorum virorum optimum & utilem filium reliquiſſe*:

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται·
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τοι πατρὸς ἀρείους,

accinit Homerus. Quid quæris? Hodiernus Mundus diligit alienigenas, ut olim Ægyptii Iſraëlitas, juxta illud Gen. 43. verſ. 32. *Abominationi eſt in Ægypto, Ægyptios ſumere cibos cum Hebræis*.

6. Alii pauci duntaxat omnium optimè die Saturni per *Vocativum*, dum Candidatus tanquam Aaron & Moſes legitimè vel ad Miniſterium Eccleſiaſticum, vel ad Provinciam Politicam vel ad quodvis aliud

Mu-

Munus domi bellique vacans eligitur, accersitur & nonnunquam adducitur, ut olim *Abdalonymus* ex prædio suo rustico ad Regium Sidoniæ sceptrum. Reliqui verò exclusissimi interea loci *Die Solis* in panegyrico Polydædalei hujus Mundi Theatro κὰ τρόπον ludant personam Hussæi Principis dominicam in sterquilinio & psallant psalmos pœnitentiales in suo exilio, ob illud Judæi Alexandrini Philonis: *Vbi auxilium humanum explicit, ibi divinum incipit.* Valeat atque ὀλιγόπιστον illud Enthymema: *Advocatus, Medicus, Minister, Dominusque nolunt succurrere.*

Ergo præstat sub auroram ad primum quemque scopulum obvium naufragari quàm usque ad vesperam in nave spei fatiscente ab aquilonibus impetuosis inter horrisonos fluctus marinos jactari, ubi res & spes decollavit omnis.

Enimverò dum Mundus Ægyptiacus pro inveterato ingenio suo vulpino ac leonino ita consilia & auxilia sua cuipiam indigorum denegat, eo ipso supplicem ille à se mortuo ad Deum vivum ablegat, qui talis est Optimus Maximusque Thalassiarcha, qualis vel quævis periclitantia animarum suarum Electarum navigia amat sapientissimè gubernare, potentissimè adjuvare, victum & amictum opportunissimè procurare, & in optatum salutis

portum feliciſſime ſublevare. Hinc Protomartyr ille *Stephanus* ſpei vivæ plenus vel tum triumphat, cum hoſtilis Judæorum Chriſtoctonorum manus ipſum lapidibus trucidat, utpote cui dulce erat & pati pro Imperatore ſuo Chriſto & mori, more anteſignani talium ſubſecuturorum Martyrum, quales, dum ſanguine ſuo pro Veritate effuſo Deum glorificabant, *occumbebant, non ſuccumbebant, ſed vincebant & Triumphatores evadebant*, ut *Bernhardus* eloquitur. Judæi enim agebant mancipia Diaboli, Stephanus verò gaudebat tanta Libertate filiorum Dei, quantâ jamdudum Peccatum mortiferum odio perfecto oderat, reprobumque Mundum ſpreverat, juxta illud Jobi: *Etiamſi Dominus me occiderit, in ipſum tamen ſperabo.* Quocirca omnis Chriſtianus magnanimus, dum ſpirat, in Deum Opt. Max. de ſpe in ſpem contra ſpem ſperat, licet vel pater ac mater ipſum deſerat, votum fallat, Mundus illudat & omnis aſtragalus jactus ſiniſtrè cadat. Cœlum namque tam mirificè ſingula vitæ noſtræ momenta ſuis diſpenſat nutibus, ut multa comperiamus Judicia ejus occulta, nulla autem injuſta, juxta auream plumbei Corani ſententiam: *Deus triumphat in ſua cauſa, etiamſi id homines plerique ignorent.* Impoſſibile enim eſt, ut æternus Juſtitiæ Sol ſpargat vel unum de ſe Injuſtitiæ ra-

radium. Hinc æterna abſconditi illius Dei Sapientia nunquam à filiis ſuis humilibus taxatur neu obtrectatur, ſed ſemper juſtificatur & adoratur.

μ. VII. Tales quales intra Urbem à Triumpho nullæ poterant remorari remoræ, ut inter cætera eniteſcit ex Livii dec. 4. l. 6. ubi exſtat: *Ita P. Cornelius Scipio Naſica de Boiis triumphavit, etiamſi P. Sempronius Blæſus Tribunus plebis differendum honorem Triumphi cenſeret. In eo Triumpho Gallicis carpentis arma ſignaque & ſpolia omnis generis tranſvexit, & vaſa ænea Gallica: & cum captivis Nobilibus, equorum quoque captorum gregem traduxit: aureos torques tranſtulit* M CCCC LXX. *ad hæc auri pondo* CCXLV. *argenti infecti factique in Gallicis vaſis non infabrè ſuo more factis, duo millia* CCCXL. *pondo: bigatorum numorum* CCXXXIV. *militibus qui currum ſecuti ſunt, trecentos vicenos quinos aſſes diviſit: duplex centurioni, triplex equiti. Poſtero die concione advocata de rebus ab ſe geſtis, & de injuria Tribuni bello alieno ſe illigantis, ut ſuæ Victoriæ fructu ſe defraudaret, cum diſſeruiſſet, milites exauctoratos dimiſit.*

ξ. VIII. Tales quales Triumphum, quem intra Urbem habere prohibebantur, extra Urbem agebant; prout effulget è Livio & ex Capitolinus Triumphorum Tabulis, in quibus præter cætera notabi-

lia annotatum ſic eſt :

C. PAPIRIUS. C. F. L. N. MASO. COS. AN. DXXII. DE. CORSEIS. PRIMUS. IN. MONTE. ALBANO. III. NONAS. MART.

Ad quæ ſigla intelligenda ſic de iſtiuſmodi inſtituti cauſa è Valerii Maximi l. 3. c. 6. tibi habeas: *Papyrius Maſſo, cum benè geſta Rep. Triumphum à Senatu non impetrâſſet, in Albano Monte* Triumphandi *& ipſe initium fecit, & cæteris poſtea exemplum præbuit : proque Laurea Corona, cum alicui ſpectaculo intereſſet, Myrteâ uſus eſt.* Conſimiliter apud Plinium lib. 15. c. 29. L. Piſo tradit ; *Papyrium Maſonem, qui primus in monte Albano triumphavit de Corſeis Myrto coronatum Ludos Circenſes ſpectare ſolitum.* Cujus rationem appoſitiſſimè ſuggerit Sextus Pompejus, *quod Corſeos in campis Myrteis ſuperâſſet.* Hujus exemplum ſecutus eſt M. Marcellus, qui victis Syracuſanis Triumphum quem præ Senatus interdicto triumphare in Urbe nequibat, in monte Albano quoque triumphabat. Triumphalis autem iſte mons Geographis diſtare ab Urbe cenſetur millibus paſſuum XII. Quicunque percallet artem excuſandi, excuſet iſtiuſmodi Triumphatores quadantenus vel ex illo Xenophontis : *ἀντὶ ἀρετῆς καὶ δόξης ἀγαθῆς, οὐδ' ἂν τὰ Σύρων καὶ Ἀσσυρίων πάντα περιέλοιντο ἀγαθοί.* vel ex illo Philo-nis

nis Judæi: ὕστατον ἀποδύσεται τὸν τῆς κενοδοξίας χιτῶνα ὁ σοφός, hoc eſt, juxta mentem paria ſentientis & brevius eloquentis Taciti: *Noviſſima Cupido gloriæ ſapientibus exuitur.* Quippe perpauci Palladis filii amant condiſcere illud Livii: *Gloriam qui ſpreverit, veram habebit.* Permulti vero ambitioſi ambitionem ſuam vel ex illo Poëtæ apud Ariſtotelem l. 2. Polit. obvelant:

Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἡ μὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός,

vel ex Valerii Maximi l. 8. c. 14. ſic propugnant: *Nulla eſt tanta Humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur.* vel cum Galeatio Sfortia Mediolanenſium Duce ita ebuccinant: *Me trahit Altus Honor.*; juxta illud Auguſtini ridentis: *Eſt certè hominis gloriæ ſtudentis, in omni ſermone* infamiæ metu *cruciari.* Tantum autem abeſt, ut ego unquam pariter cum tali Gloria Vana, Thraſonica, Hypocritica, Impia & Diabolica (quali inter cæteros ille miſer divexabatur, de quo ſic Venuſinus canit vates:

——— ——— *Deus immortalis haberi*
Dum cupit Empedocles, *ardentem frigidus Ætnam*
Inſiluit) omne divinæ, piæ, veræ, ſinceræ, modeſtæ ac honeſtæ famæ præconium quod eſt eximium cæleſtis gratiæ donum donatum cumprimis illi amico qui continenti flagrat zelo uſque & uſque eligendi

non

non nisi placentia Deo Esa.56. ves.5. inconsideratè improbem, ut jamdudum non tantum illud M. Tullii l.1. Tusc. quæst. comprobem: *Nescio quomodo inhæret mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum: idque in maximis ingeniis altissimisque animis, & existit maxime & apparet facillimè. Quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus & periculis viveret? Loquor de Principibus. quid Poëtæ? nonne post mortem nobilitari volunt? Unde ergo illud:*

Adspicite, ô Cives! senis Ennii imaginis formam
Hic vestrûm panxit maxima facta Patrum.

Mercedem gloriæ flagitat ab iis quorum Patres affecerat gloriâ. Idemque:

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Volito vivus per ora Virûm.

Sed quid Poëtas? Opifices etiam post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ, cum inscribere non liceret? Quid nostri Philosophi? Nonne in his ipsis Libris, *quos scribunt* de Contemnenda Gloria, *sua nomina inscribunt?* Verum etiam meapte sponte collaudem tam Omnes Personas *Choro* consecratas, quæ nullatenus infuscant, sed cunctatenus quà sanctis factis quà doctis dictis sic per totam suam

ſuam vitam à Deo Majeſtatem Miniſterii Eccleſiaſtici illuſtriſſimam illuſtrant, ut uni eorum defunctorum cuique taliter poſſit parentari, qualiter Chriſtus olim parentabat Johanni Baptiſtæ: *Erat Lucerna Ardens & Lucens*; quàm omnes Perſonas *Foro* natas & educatas, quæ præter antiquos Iſraëliticos Duces, Judices ac Reges piiſſimos quoſque imitandos imitandum quoque ſibi proponunt, vel

1. Magnanimum illum Athenienſium Ducem *Periclem*. Si enim hic heros ſub emortualem vitæ horam non niſi à Conſcientia ſuâ ſolâ hoc ſolatium & petebat & accipiebat, quod nullus Atticæ civitatis civis ab ipſo adactus unquam pullam induerit veſtem; Quanto magis in agone Mortis, unus Princeps Europæus *Chriſtophorus Conſtantius* lætari poterit, cujus tota gloriatio erit iſthæc Conſcientiæ teſtificatio: *Ego ſciens volens neminem mortalium unum hucuſque in vita mea unquam perturbavi aut ſic afflictavi, ut mei ergò atratus incederet, ſed jam inde ab incunabulis Timorem Domini in ſecreto cordis mei agello plantatum geſtavi, & Thronum meum Regalem Juſtitiâ & Miſericordiâ firmavi. Vetus illud adulatorum omninò omnium fermentum ex aula mea tota expurgavi, & concionatores Veritatis ſolos Sole & Lunâ illuſtravi atque exhilaravi. Pompam veſtiariam, ſpecioſas ſalutipotationes luxum-*

luxumque convivalem cunctum è palatio meo exturbavi & frugalitatem peramavi. Bella non necessaria obnixè manibus pedibusque evitavi, & Pecuniam pòtius quàm Concordiam inter missilia jactavi. Semel in uno pro Lege & Grege bello, quod mihi videbatur necessarium, Bellatores X. amisi, quorum causâ in hanc lucem usque elugeo, anxiè nescius, an animæ ipsorum ad latronem illum conversum in cælestem paradisum evaserint salvæ. Cætera *procul abusu ullo gladium mihi desuper commissum nunquam ad vindictam mei, sed semper ad gloriam Dei & salutem proximi sic evaginavi, ut nunquam à judicio meo ad vallem Josaphat sit provocatum. Jam Citationem Peremtoriam auscultavi, ut prima quaque hora evolem hinc ad reddendas dispensationis meæ rationes. Quapropter me ad abitum accingo, ad fatale Æternitatis ostium me colloco, & Misericordiæ illius Judicis me sisto, à cujus interlocutorio præjudicio nulla datur appellatio.* Vel

2. Imp. *Theodosium Juniorem* de quo sic scribit Jacobus de Strada in Iconib. Impp. pag. 204. *Princeps vitæ fuit integerrimæ, inprimis Christianæ Religioni addictus, Lectionibus Divinis intentus, semper cum Episcopis & sacerdotibus conversans, Codices sacros undique disquirens, & in splendidissima Bibliotheca conservans, Philosophiæ haud ignarus; sic Patientiâ & Clementia cunctos homines vincens, ut* Ratione *vivere à cunctis apertissimè prædicare-*

caretur, *nulla vindictâ animum exsatians*, *etiam lacessitus.* Quot & quantas populi subditi congratulationes & exclamationes ibi audiveris? *O Imperatorem modestum & æquum! O Dominum minimè atrocem & ferocem, sed affabilem & humanum! O Principem non ferreum, sed planè aureum! Det illi Deus annos plurimos, etiam de nostris annis. Quam nihil avarè aut sordidè, nihil ad interusurium & fœnebre malum, quàm inique nihil in nos statuit, quàm provide, quàm amanter suos nos subditos tractat, quàm non sua solum, sed suorum commoda desiderat & quæritat. Vivat Patriæ Pater, floreat & respiciat nos tantum noster Dominus; nos læti serviemus Regi. Servi namque esse malumus sub* Domino *hoc nostro quàm sub alio Rege liberi, liberti, libertini.* Vel

3. *Fl. Val. Leonem I.* Imp. in quo præter cæteras virtutes effulsit tanta in afflictatas animas commiseratio auxiliatrix, ut aulicis Liberalitatem dissuadentibus continenter responderit: *Quemadmodum Sol cunctis, quæ illustrat, nonnihil impertit caloris: sic Princeps debet eos suâ dignari Misericordiâ, quos contuetur.* Quid? quod aliquando Camerario suo pro militibus contra Philosophum *Eulogium* intercedenti responsum hoc immortale dedisse fertur: *Utinam meâ ætate fiat, ut stipendia militum in Philosophos conferantur.* Conferre nolim animum ad laudán-

dandam Græciæ antiquæ Historiam, in qua præter alia memorabilia memoratur, quod *Brias* Argivorum Rex decrevit; *Scholarum Rectoribus summum deberi honorem*. Vel

3 Imp. *Othonem III.* Saxonem, qui tantoperè à non necessariis abhorrebat sagis, ut vix coactus exsueret se togis, ob pacificum Pacifici illius antecessorum suorum Martiani Imp. effatum: *Dum in Pace vivere licet, Arma Principem sumere non decet.* Hinc non tantum hoc abutebatur Philosophico Symbolo: *Pacem cum hominibus, cum vitiis Bellum.* Verumetiam unum numisma percutiendum curabat aureum, in cujus una superficie apparebat sua ipsius icon, in altera verò statua viraginis stolatæ gerentisque dextrâ ramum olivæ, sinistrâ autem hastam, cum inscriptione: PAX PERPETUA, juxta illud Poëtæ,

——— ——— *Pax una Triumphis*
Innumeris melior. ——— ———

Oleam autem esse Hieroglyphicum Pacis Emblema, patet ex antiquis illis Pacificationis Oratoribus, quos Virgilius XI. Æneid. inducit

Velatos ramis oleæ, Veniamque rogantes.

Roget, cui vacat, Theologos, an non Gen. 8. v. 11. *Germen oleaginum* fuerit Euangelicum pacificæ Misericordiæ signum? Vel

4. Imp. *Valer. Alexandrum Severum*, ubi Im-

Imperium agere cœpit, familiarem omnibus se præbuit, & *Dominum* se appellari vetans, jussit ad se non nisi tanquam ad privatum scribi Epistolas, reservato tantum *Imperatoris* nomine, ita ut cunctis esset amabilis, ac nunc *Pius*, nunc *Sanctus* & *Reip. fructuosus* salutaretur. Delatum sibi à Senatu *Pii* nomen recusavit & acclamata à Populo *Antonini* & *Magni* nomina esse onerosa occlamitavit. Senatum & Ordinẽ Equestrem mirâ quadam animi moderatione expurgavit. Expurgavit etiam Palatium, expulsis obscœnis & impudicis hominum monstris: hominem verò adulatorem palo affigendũ & succenso igne fumoso exstinguendum curavit, ut innueret; *Palatinorum parasitorum amorem ac favorem Principibus nihil aliud offundere quàm talem exitialem fumum falsitatis, ut nunquam perveniant ad vitalem grumũ veritatis.* ὁ γὰρ

Κόλαξ στρατηγὸν, καὶ δυνάστην, καὶ φίλους,
Καὶ τὰς πόλεις ἀνατρέπει λόγῳ κακούργῳ, μικρὸν ἡδύνας χρόνον, inquit sententiosissimus ille Comicus Græcus *Diphilus*: In tractandis negociis togatis non nisi solos doctos Juris sacerdotes & nominatim *Ulpianum* atque consimiles illius ævi Catones; in re militari autem, seniores quosque historiarum Augustarum negociorumque castrensium peritos & bene meritos Duces consuluit. Officiis vacantibus,

bus, neminem Candidatorum unum unquam domi bellique præfecit nisi ex Senatus auctoritate, præmonendo; *Invitos in Rep. collocandos, non ambientes.* Ambitiosos quoque graviter castigavit. Peritis liberalium artium, Medicis, Mathematicis, Rhetoribus, Grammaticis, Architectis & Artificibus salaria annua constituit, & *Oppiano* Poëtæ Cilici pro versibus oblatorum Halieuticorum Græcorum singulis singulos aureos nummos persolvit; inter quos versus etiam exstat hoc Epiphonema:

Ὡς οὐδὲν μερόπεσσιν ἀμήχανον, οὐδ' ἐνὶ γαίῃ
Μητρὶ καμεῖν, οὐ κόλπον ἀν' ὀδρυόεντα θαλάσσης.

Pauperum filios publicè aluit filiabusque dotes donavit. Annonam sedulò procuravit & verò reos furti adeò detestatus est, ut eos identidem *hostes Reip.* appellaverit & exempla in eos ediderit. Ad aurum colligendum fuit attentus, ad servandum cautus, ad inveniendum solicitus, idque citra omne subditorum detrimentum ac gemitum. Inditum autem ei est *Severi* cognomentum à militibus. Milites enim secundum Jura Disciplinæ militaris castrensia ob excursiones, invasiones, vim & insolentiam acerrimè refrenavit, & hoc illis suum Symbolum inculcavit: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Matt. 7. v. 12. Quia *bonus, cautus, optimus venditur Imperator*; prout

prout dicere solebat Valerius Diocletianus. Vel

5. *Amadeum* Sabaudiæ Ducem, qui erat Princeps ad amussim factus virtutis, in pauperes Pater, in Christum Crucifixum merus affectus, cor merum. In templa, xenodochia & consimilia ædificia pia largitiones amplas magnificè è suo præbuit, juxta illud Poëtæ:

Re docet æternis invigilare bonis.

In egenos omnino omnes intra territorium suum talis exstitit, ut inter liberalissimos Reges & Imperatores magnificentissimos prototypon & ἰδέα censeri possit, quippe qui nullas in se Optimi Maximique *Patriæ Patris* ac *Populi Pastoris* partes unquam desiderari passus est; sed esse voluit quod audiit, juxta illud Philemonis Comici:

Ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν, οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν
ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος, μὴ βούλεται.
οὐδ' ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέχετο,
ἀλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνειν,
ἔχειν δυνάμενος, καὶ κρατεῖ ἀζημίως.
οὐδ' ὅσγε ταῦτα πάντα διατηρώμενος,
ἀλλ' ὅστις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν
εἶναι δίκαιος, κοὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.

Notum enim illi erat Symbolum Imp. Valerii Diocletiani: *Nihil est difficilius quàm benè imperare.* Hinc Ipse tributa, Exactiones, Vectigalia, nec obolo amplificavit,

sed

ſed prout ea à ſuis majoribus & pluribus retrò annis reperit conſtituta, ita retinuit, & tamen terras & prædia, quæ protavi ipſius præ urgente neceſſitate pignori appoſuerant, ære præſente ritè recuperavit. Quantò enim majore Obedientiâ Princeps hic cœlum colebat, tantò magis ipſi Deus continuè domi bellique benedicebat, ita ut nunquam deeſſet, unde regificè viveret & hoſtibus terrori evaderet, juxta illud cæleſte oraculum: *Quicunque Me glorificaverit, hunc ego honorificabo; Qui autem Me deſpectaverit, hunc & Ego deſpectabo.* 1. Samuel 2. vſ. 30. Nimirum ſtudebat hic Dux unus ex illis raris ac caris eſſe, de quibus mimicus *Claudi* Imp. Moroſophus dixit; *In annulo omnes bonos poſſe perſcribi atque depingi Principes uno.* Vel

6. *Ptolemæum Philadelphum* Ægypti Regem, qui, teſte *Philone* Judæo Alexandrino lib. de vita Moſis mihi pag. 658. non tantum captus Legis Iſraëliticæ amore Vetus Teſtamentum à LXXII. interpretibus ante urbem Alexandriam in opportuniſſima illa inſula Pharo è Chaldaica lingua in Græcam transferendum curavit, ſed plura etiam ἐπαινετὰ ſeu laude digna geſſit, quàm omnes reliqui ipſius agnati & gentiles, γενόμενος καθάπερ ἐν ζώῳ τὸ ἡγεμονεῦον, κεφαλὴ τρόπον τινὰ τῶν βασιλέων. Quid? quòd

quòd ibidem memoratus autor de eodem sic πλατωνίζειν non reformidavit, quod ipse fuit ἀρεταῖς δὲ ταῖς ἐν ἡγεμονίᾳ πάντων, οὐχὶ τῶν καθ' αὐτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν πάλαι πώποτε γεγονημένων ἄριστος, hoc est, *Virtutibus Regiis supra omnes ætatis suæ superiorumque seculorum Principes nobilis*, juxta symbolum Rudolphi. I. Austriaci: *Melius benè imperare, quàm Imperium ampliare.* Vel

7. *Alphonsum* Tariffæ urbis præfectum, si casus necessitatis per occasionem capillatam popoſcerit. Hic enim, ut *Johan. Mariana* lib. 15. de reb. Hisp. c. 16. commemorat, cum à *Marocio* Rege oppugnaretur, constantissimè repugnavit. Contigerat, ut repugnantis filius in hostiles oppugnantium Maurorum manus incidisset, quem illi patris oculis ostentantes, *ni oppidum dederetur*, sese jugulaturos minabantur. Ad eas voces pater nihil commotus, negavit periculosam deditæ Urbis populosæ maculam ullo incommodo elui, ne si vel 100. quidem filii jugularentur, juxta symbolum Magni illius Saxonis Othonis I. Imperatoris: *Aut Mors, aut Vita decora.* Gladium quoque, si in sententiâ perstarent, è muro projecit, & ad prandium interritus abiit; inde militum clamore dissono & ululatu vehementi revocatus. Puer namque barbara truculentiâ trucidabatur.

Truculentum ſpectaculum, eóque fœdius, quod *Joannis* Principis juſſu paragеretur. Alfonſus cauſâ cognitâ, *Credebam*, inquit, *jam urbem ab hoſtibus captam.* Itaque ad uxorem & prandium rediit, nulla turbati animi ſignificatione. Sic juxta incredibilem ἀπάθειαν affectuoſis præcordiorum ſtorgis temperare, ſic doloroſis oculorum lacrymis heros magnanimus imperare, ſic ſemetipſum animosè ſuperare & triumphare potuit. Barbari deſperatâ Victoriâ à prædilecta Victoris ſponſa ſe amoverunt, valedixerunt, in Africam reduces abierunt, exceſſerunt, evaſerunt, eruperunt. Vel

8. Potentiſſimum illum Angliæ & Daniæ Regem *Canutum*, qui (ut reapſe confunderet aſſentatorem, effutientem; *Omnia ad Regis vultum nutumque converti*) Thronum ſuum ad litus Oceani exæſtuantis ſtatui juſſit eique dixit reſtagnanti: *Tu*, Mare, *meæ es ditionis, & Terra, cui ego hîc jam ſuperinſideo, mea eſt; nec unquam fuit, qui impunè meo reſiſteret imperio. Impero igitur Tibi pro Autoritate atque Plenitudine Poteſtatis meæ Regiæ, ut in terram meam ne adſcendas, neque veſtes, neque membra ulla dominatoris tui madefacias ſed intra alveum tuum te contineas & conquieſcas.* Mare verò pro ingenio de more ac plenitudine tempeſtatis ſuæ magis magiſque inturgeſcens, pedes Regis procul

ulla

ulla diacritica reverentiâ ita madefacere cœpit, ut augusta ipsius Majestas dixerit resiliens: *Sciant omnes orbem habitantes, vanam & frivolam esse Regum potentiam, nec quenquam Regis nomine dignum præter eum, cujus nutui cælum, terra & mare L L. obediunt æternis.* Quibus prolatis, nunquam sibi deinceps rursus auream Regni coronam imposuit, sed talis Agathonis auditor evasit, ut commeminerit, *Principem non posse imperare* I. *omnibus summi Creatoris creaturis, sed* κατ' ἐξ *suis tantum hominibus.* II. *omnibus linguis, pennis ac conscientiis.* III. *Omnibus legibus.* IV. *Omibus ensibus.* V. *Omnibus temporibus.* Temporum enim antiquorum Principes Hodiè requiras, sed non reperias ullo vestigio. Repererunt quidem multi bellatores armis gloriam: gloriam autem non esse Summum Hominis Bonum, contestantur omnes Philosophi Christiani, qui confirmant; Affectuosum animæ humanæ pedem non prius Quiete constante gaudere quàm in alma Dei videndi ac fruendi fronde consistat ibidemque exsaturantibus salvificæ in Christum crucifixum Fidei fructibus se perseveranter pascat, juxta illud Bernhardi: *Bona Opera non sunt Causa Regnandi, sed Via Regni.* Vel denique

9. Memoratissimum illum Polonorum Regem *Stephanum Batorium*, Transsylvanum

 qui

qui, teste *Bonifacio Vanotio*, fuit

In templo plùs quàm Sacerdos,
In Rep. plus quàm Rex,
In sententiâ dicendâ plus quàm Senator,
In Judicio plus quàm Juris-Consultus,
In Exercitu plus quàm Imperator,
In acie plus quàm Miles,
In adversis perferendis injuriisque condonandis plus quàm Vir,
In publica Libertate tuenda plus quàm Civis,
In Amicitia colenda plus quàm Amicus,
In convictu plus quàm familiaris,
In venatu ferisque domandis plus quàm Leo,
In tota reliqua Vita plus quàm Philosophus.

Philosophi quoque æterno in magnis nominibus nomine facile omnis Medicus florebit, qui comite *Dei Timore* aliquam multas alienarum gentium terras lustravit atque tantos in Galenicis magisteriis & Paracelsicis mysteriis progressus fecit, ut patriam suam redux tanta Medicinæ experientiâ nobilitet, de quanta sic commeminit Ecclesiasticus: *Medici scientia adeò exaltat ipsius caput, ut vel Magnatibus sit admirationi.* Admirationi autem ferè nemo est Magnatibus, nisi qui plurimum pomorum comederit de ligno scientiæ Boni & Mali. Malorum verò numero accenseatur Censor ille qui de talis Archiatri laudibus delibat, qualis divino veræ philadelphiæ Chri

Christianæ Spiritu inspiratus incedit ut tardus loripes, quotiescunque accersitur ad curandam ægrotam Patientiam spe pecuniæ plurimæ; volat autem eò ut cervus aëripes, unde æs speratur nullum, usque adeò uti quoque insuper polleat ac soleat pluribus equis lætitiæ albis triumphare, & majores Deo suo gratias cantare, si quando per annum totum tota habitationis suæ civitas bellè valet quàm si bona populi pars malè habet. Habet enimverò istiusmodi pius Medicus ante alios multos hoc sibi præcipuum, ut, cum ipsum ex cineralibus vitæ hujus illachrymabilis soteriis ad *fundatissimum cælestis Patris Regnum* (ut *Augustini* voce utar) peremptoriè Pascha ultimum vocaverit, Filius Judex super eodem operturus sit dextrum oculum Justitiæ & aperturus lævum lumen Gratiæ. Gloriâ denique suâ condignos censeas tales ICtos omnes, quales procul ullo *Juramento Paupertatis* exacto clientibus egentibus libentius patrocinantur quàm largientibus, & præter patrata cætera miracula forensia possunt ita mortuos resuscitare, ut *Vincentius Portius* Lucensis, qui profitebatur se studere, ut Veterum Juris Interpretum & nomina & scripta resurgant. Quid? quod quum *Cyriacus* Anconitanus posteaquam totam ferè Europam & bo-

nam Asiæ partem peragrâsset, describendarum effingendarumque Antiquitatum causâ, interrogaretur; *Quid consilii esset?* respondisse perhibetur: *Ego do operam, ut mortui reviviscant*. Reviviscere etiam mortui ibi videntur, ubi causidicus Justitiæ cultor auscultat voci cælesti præscribenti Prov. 31. ℣. 8. *Aperi os tuum pro muto, in causa omnium qui jam traduntur excidio*. Excidium enimverò animæ suæ æternum ille ICtus facilè præcavebit, qui in decurrendo vitæ suæ momentaneæ curriculo perpetuâ *Jehovæ* illius *Justi* imitatione gaudebit, de quo dicitur ZephanJæ 3. vers. 5.

לֹא יַעֲשֶׂה עַוְלָה:

Hy en doet geen Onrecht:

Il ne fera pas iniquité.

Quippe omnis Conscientiosus ICtus esse

لكل احد ميزانا

(ut Arabs jubet) *unicuique* talis *libra Justitiæ* gaudet, ut nemini Injuriam faciat neque unquam per vitam suam totam ab æquo declinet. Equidem magnus habetur à Mundo Papali Papa in sua terrestri Clerocratia; qui multa Gregoriana dicit & præscribit: Major autem habetur à toto Electarum animarum fidelium choro ICtus ille in cælesti

lesti Hierarchia, qui unum unicumque illud Christi præscriptum facit: *Estote perfecti, ut Pater vester qui est in cælis, est perfectus.* Per *Jurisconsultos* autem intelligas non tantum Notarios immatriculatos, Procuratores, Advocatos, Syndicos, Secretarios, Consiliarios, Cancellarios, Professores Juris Academicos, Comites Palatinos & Legatos; verumetiam Principes Mundi & Judices Prætorii. Prætoris enim & Principis nomine gratis gaudet, qui inter sacerdotes Justitiæ præcipuos præcipuâ Juris divini ac humani cognitione & administratione nullus floret. Ex quibus omnibus satis superque conspicias, nos omnem gloriam veram comprobare, & talem contagiosum ambitionis œcumenicæ morbum duntaxat improbare, quali olim præter permultos alios cognatos antecessores & agnatos successores laborabat *Themistocles* Dux Atheniensium Victoriosus, quippe qui quum ad Theatrum spectaturus prodiret & interea viæ interrogaretur, *Cujus fidicinis vocem musicam auribus hauriret arrectissimis*? hoc ambitiosum responsum dedit: *Illam quæ meas decantat laudes.* Laus enimverò Conscientiæ salvæ harmonica est præ sexcentis Mundi adulantis & frustrantis citharœdis ac tubicinibus dulcissima Christianæ animæ Musica, juxta

illud Apostoli 2. Cor. I. ℣. 12. *Hæc est nostra gloriatio, testimonium Conscientiæ nostræ.* Quicunque enim semper exhilarantissimo Conscientiæ Testimonio in Domino gaudet, is talem aureum possidere videtur scyphum, qualis beneficio olim Joseph Prorex Ægypti divinus divinare pronunciabatur; juxta illud Christi: *Beati corde mundi, quoniam ipsi videbunt Deum.* DEUM autem *esse suam cuique Mortali Conscientiam*, olim Atheniensis ille Comicus *Menander* dixit, prout cœlestem illam intra se Proreginam intellexit. Quod quum jam

Dudum summa procul villarum culmina fument

Majoresque cadant altis de montibus umbræ,

ad sua se quisque tabernacula è vestigio hinc recipiat, & in cubicula nostra nos secludamus, ibidemque totum divinorum beneficiorum tam communium quàm singularium catalogum à capite usque ad calcem pervolvamus & sacrificium Eucharisticum Deo nostro offeramus juxta illud Psalmi 116. vs. 12. 13. *Quid rependerem Jehovæ? Omnia ejus beneficia superant me. Poculum omnis salutis acceptum exhibebo, & nomen Jehovæ prædicabo.* Deinde cor nostrum per examen accuratum lustrantes discutiamus, dijudicando, accusando, damnando & veniam diurnorum delictorum cogita-

tis,

tis, factis, dictisque commissorum exorando. ὁ γὰρ Θεὸς οἶδε δικάζειν, inquit Theocritus Ethnicus, perinde ac si condidicisset illud Christiani Apostoli 1. Cor. 11. vers. 31. *Si nos ipsos dijudicaremus, non judicaremur.* Judicemus igitur nos, antequàm cubitum eamus, juxta illud Pythagoræ aureum hortamentnm:

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι

Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν,

Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Tandem duo ponamus Trophæa in conspicuis mentium humanarum montibus ac pontibus; *Unum* Cedrinum *Vitæ*, cui inscribamus *Disce Vivere*, è Divinis Oraculis atque ex Clemente Alexandrino juxta illud Comici Græci *Epicharmi*, qui περὶ τοῦ λόγου ἐν τῇ πολιτείᾳ ait: ὁ βίος ἀνθρώποις λογισμοῦ καὶ ἀριθμοῦ δεῖται πάνυ. Ζῶμεν δὲ ἀριθμῷ καὶ λογισμῷ. Ταῦτα γὰρ σώζει βροτοὺς. Hoc est: *Vita hominum Ratiocinatione & Numero valdè indiget. Vivimus autem Ratiocinatione & Numero. Hæc enim conservant homines.* Deinde διαῤῥήδην subjungit: ὁ λόγος ἀνθρώπους κυβερνᾷ καὶ κατὰ τρόπον σώζει. Hoc est: *Verbum regit homines & ritè conservat.* Posteà: εἰ ἔστιν ἀνθρώπῳ λογισμὸς, καὶ θεῖος λόγος ἀνθρώπῳ πέφυκεν περὶ βίου καὶ τὰς τροφάς. ὁ δέ γε τὰς τέχνας ἅπασι συνέ-

πέπται θεῖος λόγος, ἐκδιδάσκων αἰεὶ αὐτὸς αὐτοὺς, ὅτι ποιεῖν δεῖ συμφέρον. οὐ γὰρ ἄνθρωπος τέχναν εὗρεν· ὁ δὲ Θεὸς ταύταν φέρει. ὁ δέ γε τ' ἀνθρώπου λόγος πέφυκεν ἀπό τε τοῦ θείου λόγου. Hoc eſt : *Si homini eſt Ratiocinatio, Divinum quoque Verbum ineſt ei in iis quæ ad Victum pertinent & Alimenta. Artes autem omnes Divinum conſequitur Verbum, quod ipſum ſemper eos* (homines) *edocet*, quidnam utile facere oporteat. *Non enim Homo invenit Artem, ſed eam adfert Deus. Hominis autem Ratio orta eſt ex Divino Verbo.* Quicunque autem iſthoc acutum Epicharmi Oraculum perperam intelligit, multò magis perperam acutiorem illum ſcholaſticum Catonis verſiculum intelliget:

Sermo datur cunctis, Animi Sapientia paucis. Pauci enim ſunt, qui ita vivere condiſcunt ut ſua in ſe vitia maturè expugnent, ſuperent, triumphent, juxta illud Pſ. 90. verſ. 12. ubi Vir ille Dei Moſes ſic precatur Dominum Vitæ & Mortis: *Numerare dies noſtros ita doce Me, ut* animi Sapientiam *inducamus. Alterum* Cupreſſinum *Mortis*, cui inſcribamus: *Diſce Mori*, juxta illud Senecæ lib. de brev. vit. c. 7. *Vivere totâ vitâ diſcendum eſt; & quod magis fortaſſe miraberis, Tota Vita diſcendum eſt Mori.* Tot *Maximi Viri relictis omnibus impedimentis, cum divitiis, officiis, voluptatibus renunciaſſent, hoc unum*

in

in extremam usque ætatem egerunt, ut scirent: plures tamen ex his nondum se scire confessi, è vita abierunt. Hîc autem agitur de summa rerum. Quocirca qui hanc Encyclopædiam ignorat, in cæteris Mathematicis & Spagiricis Artibus, Linguis & Cabalis ἀωρεὰν laborat. Quia in hoc uno Philosophico Euthanasiæ Christianæ puncto vertitur totus Salutis nostræ æternæ cardo. Quicunque verò in Oceano Mundi semel fecerit jacturam cæli, ille habebit, unde apud æternos gehennæ mendicos dolebit. Nolim dormiturientium cuiquam duriter aurem vellere hoc Poëtæ alloquio:

Stulte! quid est Somnus? gelidæ nisi Mortis imago;

ob illud Hispanorum:

El Mondo es redondo, quien no sabe nadar, va se à lo hondo.

Malim dulciter suggerere ex Interna Bernhardi domo c. 28. *Anima cum de corpore egredietur, nullum alium præter Conscientiæ suæ Librum secum portare poterit, atque in illo cognoscet,* Quò *debeat ire, &* Quid *debeat recipere.* Qualem autem sibi quisque Conscientiam ante somnum fingere solet, tali plerumque aut in ipso somno aut post somnum vel gaudet vel mœret, ut apparet ex parabolicis illis X. Virginibus, quarum V. indormiebant ut Sophiæ, reliquæ verò

V. obdormiſcebant ut Moriæ, Matt. 25. 2. 5. Illæ enim ante indormiendum cuncta Microcoſmorum ſuorum vaſa & lampades tanto lætificantis Spiritus oleo impleverant, ut vel cum Teutonico Pſalte pſallere potuiſſent: Mein Leib/vndt Seele Frewen ſich in dem Lebendigen Gott. Hæ verò excitatæ præ olei penuria & animi anguſtiâ exclamabant: *Noſtræ extinguuntur lampades.* O miſerabilem & illachrymabilem vociferationem! Ah ſeriam, ſed nimis ſeram confeſſionem! Confeſſionem confiteri hanc ante ſomnum ſuum vix ac ne vix quidem præſumpſiſſent, neu quempiam benevolum alterum ſic ipſas convenire citra indignationem ſuſtinuiſſent: *O Virgines fatuæ! Ut quid vultis prius indormire, quàm lampades veſtrarum terreſtrium animarum conſciarum ſatis inſtruxiſtis oleo cæleſtium lætitiarum? Quâ fronte obviam proceſſuræ eſtis venturo mox ſponſo Regio, cujus oculi ſunt vel ipſo ſole lucidiores & ſcintillantes inſtar flammarum ignitarum?* Nobis ſemper hoc Chriſti monitum manet altâ mente repoſtum: *Nolite judicare, & non judicabimini.* Quapropter nec judiciis noſtris, nec ſententiis, ullum hominum feriamus; ſuum cuique ſtet precium, parvum, magnum, quod Dictator, Cenſor ac Prætor poſuerit cæleſtis, utpote à quo talis poſt mortem quiſque judicabitur, qualis in ultima mortis hora

hora invenietur cujusque Conscientia. Est autem extrema omnium miseriarum miseria, non neminem verè miserum esse, sed illud de facto velle ignorare, & sibi nihilo minus tamen interim de felicitate nescio qua gratis abblandiri, & tandem cum omnibus illis multis mori, qui *moriuntur, quia Nihil fecerunt*, ut ita ex Augustino liceat παραδοξολογεῖν. Malè agere, meritò meretur supplicium: malè acta autem nolle agnoscere, sed malle defendere, gemino dignum supplicio censeatur. Hinc non levioribus, sed asperioribus his verbis tepidum illum Laodicææ Angelum (qui carebat præsentaneo cælestis gazophylacii Lyncurio in suo pectorali pastorali) Christus perstringit diligens & consulens Apoc. 3. v. 17. 18. *Tu ais*: Ego dives & ditatus sum, & nulla mihi re opus est; *neque nôsti*, Te esse ærumnosum, & miserabilem, & pauperem, & cæcum, & nudum. *Consilium do tibi, ut emas à Me* Aurum πεπυρωμένον, *ut dives fias*, & Vestimenta Alba, *ut induaris, nec manifestetur pudenda Nuditas tua*: & Collyrio *inungas oculos tuos, ut videas*. Hoc nunquam isthunc in Hominis oculis spectabilem Episcopum illo primævo Apostolorum seculo aureo credidisse credas, si quisquam alius Venerabili ipsius Dignitati id vel in os dixisset vel per flexum obliquum scripsisset.

ſet. Amat enim φιλαυτία tam clam ſerpere vel per ſanctiſſimorum mortalium præcordia, ut nihil ſupra. *Qualis* autem *Rex*, *talis plerumque grex*; *qualis paſtor*, *tales oves*. Ovium igitur Laodiceæ rationalium ſummus Paſtor Chriſtus φιλάνθρωπος (qui præ incredibili ſua in ſuos fide non vult, ut quiſquam Electorum errantium pereat, ſed reſipiſcat & vitam æternam inveniat, eâque gaudeat) miſertus, perſcribere ſuum hortamentum ad zelum ignitum ſic pergit: *Ego quoſcunque amo, arguo & caſtigo. Ferve igitur & reſipiſce. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit oſtium, ingrediar ad eum, & cænabo cum eo, & ipſe Mecum. Qui vicerit, tribuam ei ut ſedeat Mecum in Throno Meo, ut & Ego vici, & ſedeo cum Patre Meo in Throno Ejus.* Hinc *Patientia noſtra Opus perfectum habeat, ut ſimus integri & toti, in nullo deficientes.* Jac. 1. v. 4. Quia prorſus abſque Perſeverantia nec pugnans bellator Victoriam, nec Victor Triumphalem conſequetur palmam. Quare *neminem*, ut Bernhardus monet, *audiamus, non carnem & ſanguinem, nec Spiritum quemlibet* deſcenſum à cruce *ſuadentem. Perſiſtamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non noſtra levitate. Virtus in pace acquiritur, in preſſura probatur, approbatur in Victoria.*

C A-

CAPUT XIV.

ALii insignem voluptatem capiunt ex lectione Nicephori, qui inter cætera lib. 16. Histor. Eccles. c. 18. enarrat, quod *Acacio* Antistiti Constantinopolitano defuncto successit *Flavianus*, homo de tribu *Simonis Magi*. Antequam verò hoc hominis flagitium in sedem vacantem subrogaretur; *Zeno* Imperator subveritus, ne Antistitis electores in sufficiendo Præsule novo, gratiæ aliquid aut affectui darent, geminas signatasque schedas aræ imposuit eo discrimine, ut altera quidem charta virgo esset, sine ullis literis, omni atramento intacta; altera libellus supplex esset, qui rogaret Deum, *Vellet, juberetque ab Angelo nomen illius Episcopi inscribi, qui divinis oculis maximè probaretur.* In eam rem ac finem preces atque Quadragintadiale Jejunium indictum est. O rarissimum Imperatorem! O incredibilem Fidem! Fidem enim tantam in tota hodiernarum Romanensium animarum Synagoga vix ac ne vix quidem comperias. Quicunque igitur delibutus est Spiritu excusandi, excuset illos purpuratos Cardinales Tiberinos, qui post *Innocentii* X. necem *Fabium Chisium* sibi in Papam ἐπισωρεύοντες cooptarunt atque volentem

tem novo *Alexandri* VII. cognomine cognominarunt. Quia 1. ille Imperator erat illis diebus tale Heliotropium Catholicum, quale videbatur æternis triumphare foliis; Cardinales verò plerumque ſunt tales carnales glumæ leves, quales difflat *cæleſtis zeli* ventus derepente à facie terræ, juxta oraculum Bacidis apud Herodotum in Calliope de Perſis:

Τῇ πολλοὶ πεσέονται ὑπὲρ λάχεσίν τε, μόρον τε
Τοξοφόρων Μήδων, ὅταν αἴσιμον ἦμαρ ἐπέλθῃ.

Omnes namque plantæ (quas Pater cæleſtis in Italia & Thracia non plantavit, ſed ad tempus duntaxat toleravit) ſerius ocyus eradicabuntur. 2. nullus filius divinæ benevolentiæ voluit occupare Cathedram Tiberinæ peſtilentiæ. 3. Imperator ille perfecto odio oderat artes Flaviani; omnis autem ferè Cardinalis ambabus, quod ajunt, ulnis amplexatur & oſculatur oſculis oris ſui vulturinis artes Flaviani. Flavianus enim vir audax & vafer ſummum Templi cuſtodem, qui unà etiam cubiculo Cæſareo præfectus erat, magna auri ſacri vi corrupit & hoc unum petiit, ut ſuum nomen chartæ inſcriberetur & ſigno Cæſaris denuò conſignaretur. Quod quum tale ſit auri facundi ingenium, ut facilè quodvis avarum mentis humanæ caſtellum expugnet, Flavianus improbè com-

compos voti sui evasit. Interim XL. dies Jejuniis exacti & literæ solemnibus ceremoniis resignatæ, Flaviani presbyteri nomen inventum, Flavianus impostor applausu magno in Præsulem electus, pedo & mitrâ ornatus, in sublime solium efferebatur. Atenim elapsis IV. mensibus evigilans Divina Vindicta Empæctam è terra viventium subitò sustulit & Mysterium fraudis detexit. Trapezitæ enim creditores pecuniam Flaviano commodatam, ab hæredibus rigidius exigebant. Illi cum crebrioribus ejusmodi postulatis fatigarentur, Zenonis Imp. enixissimè implorabant patrocinium adversus eos, cum solvendo non essent. Cæsar prodito sacrilegii arcano territus, hominem corruptum interfici jussit & de suo æs alienum dissolvit.

§. I. Alii nonnunquam in deliciis habent *Cæsarem Baronium* scriptorem apud suos illustrissimum, qui inter cætera sic fabulatur: *Michaël Mercatus senior cum* Marsilio Ficino *ingenii nobilissimi viro intimâ jungebatur amicitiâ, quam & paria Philosophiæ studia accendebant. Uterque horum* Platonis scripta *combiberat. Fuit ut ex more disceptarent inter se*, Quis hominis post obitam mortem sit status? Quò animus humanus migret? Quæ rerum facies in Orbe altero? *Atque hoc è Platonis mente deducebant Christianis oraculis confirmandum*

dum. Sermone inter differendum longius progresso, ad eam uterque conventionem descendit, ut stipulatis dexteris alter alteri sanctè promitteret, ut qui prior naturæ concederet, superstitem de alterius vitæ ratione quàm fidelissimè, si liceret annuente Deo, redderet certiorem. *Hæc pactio: & juratum omninò in hæc verba. Post aliquantum temporis hi duo viri totis urbibus disjuncti habitarunt.Cumque* Michaël Mercatus *summo mane ad auroram Musis amicam Philosophiæ operaretur, Equitem in proxima platea ad ædium suarum ostium contento cursu properantem, simulque* Marsilii *succlamantis vocem audiit*: O Michaël, ô Michaël! Vera sunt illa, Vera, Verissima. *Michaël ad notissimi amici voces excitus, mox à libris fenestram accurrit ac prospicit, cernitque à tergo* Marsilium *equo niveo vehentem, jamque reflexo itinere abeuntem. Hinc celeri voce prosecutus*, Marsili, Marsili, *clamabat. Sed eques candidatus moram non ferens, oculis sese subduxit.* Mercatus *inopinato spectaculo attonitus, quid suo* Marsilio *evenisset, anxè cœpit indagare. Demum intellexit*, Marsilium *Florentiæ eâ ipsâ horâ obiisse, quâ ad suas ædes visus à se auditusque esset. Ab eo tempore* Mercatus, *quamvis jam antea Vitæ integer, & commendatæ probitatis fuerit, Philosophiam nuncio remisso, res sibi suas habere jussit, ipse in posterum solius Christianæ Theosophiæ Leges sectaturus. Ita quod reliquum vitæ habuit, sibi jam*

Mun-

Mundoque mortuus, ad futura se totum transtulit, Æternitatem *assiduè meditatus*, juxta illud Sponsæ de Sponso suo in Canticorum Cantico: *Læva ejus sub capite meo, & dextra ejus amplexatur me.* Quia *Vita æterna* est tale gratuitum divini Testamenti legatum, quale nemo nothus consequi potest, sed solis Christi fratribus sororibusque germanis ac legitimis competit ob illud ICtorum ad l. professio. C. de Testam. *Quod alicui relinquitur ut filio vel filiæ, non debetur illis qui filii vel filiæ non sunt.*

§.2. Tu verò, mi Lector, de Triumphali *Cyri Junioris* pompa impræsentiarum legas apud Xenophontem, & de Triumphali *Alexandri M.* in Babyloniam ingressu pascas oculos apud Q. Curtium: apud Solinum autem lib. 53. exstat: *Bacchus Thebanus apud Græcos primus triumphavit.* Triumphum autem suum juxta Diodorum & plerosque alios *Bacchus* (qui tanquam Deus Triumphorum coronâ plane laurea coronabatur & *Liber* cognominabatur, quod olim pro Græciæ Libertate tantisper magnanimus pugnâsset, dum Victoriam hosti extorqueret & apud suos obtineret, ut decretos in ipsum dies solemnes *Magnam* appellarent *Coronam*, si non tam Plutarcho credimus quàm Tertulliano de Corona Militis) triumphavit, vectus elephanto Indi-

Indico, redux à devictis Indis. Indos autem olim fuisse nationem perinde invictam atque inaccessam, quadantenus emicat ex illo Justini de Semiramide Assyriorum Regina quasi masculina: *Sed & Indiæ bellum intulit, quò præter illam & Alexandrum M. nemo intravit.* Longo autem pòst tempore Viri Indiarum bellicosi in tam imbellia animorum effœminatorum mancipia degenerarunt, ut in ignavam ipsorum patriam tam facilè enavigantes ex Europa nostra Lusitani, Belgæ & id genus alii hospites pugnaces intrârint quàm anno Christiano CDIX. ad evastandam Romam in Italiam *Alaricus* Gothorum Rex, respondens Monacho intercessuro: *Se penè invitum Expeditionem hanc suscepisse, sed esse* Monitorem latentem, *qui animum cunctantem urgeat, ac si quotidiè hæc auribus ingerat*: Iter capessito, Romam evertito. Nocuit quidem ea vastatio toti Italiæ, neutiquam verò Catholicæ Ecclesiæ. Hinc namque *Augustinus* arripuit ansam scribendi libros illos suos XXII. *de Civitate Dei* longè eruditissimos atque utilissimos, quippe qui Bibliothecæ instar locupletissimæ sunt, cujus beneficio illis effrontibus effrene os obturaretur, qui tantæ cladis causas in innocentissimam Christianorum Religionem transferebant.

§. 3.

§. 3. Transferunt jamdudum alii ſuum animum ocioſum pariter atque curioſum ad perveſtigandum Myſterium illud Politicum, cur Sapientiſſima Divinæ Providentiæ dextra poſt Euangelicam *Calvini* & *Lutheri* Reformationem nunquam pro Papiſtico Imperatore Imperatorem vel Reformatum vel Lutheranum Imperio Teutonico elargitus ſit: ego verò reminiſcendo recognoſco cognoſcendumque Senatui eruditorum relinquo illud Fachardi in Symb. Pol. *Tam bellum eſt noxium, ut cum Romanus prælio Victor triumphat, etiam muros dejiciat*; propemodum non ſecus ac ſi unus Durateus equus in Trojæ caput *Ilium* fuiſſet introducendus à congerronibus ſic confabulantibus:

Dividimus muros & mœnia pandimus Vrbis.

CAPUT XV.

TRadit Alexander ab Alexandro l. 1. genial. dier. c. 27. quod Imperatores, ſi quam pulchram & ſpectabilem patrâſſent Victoriam, *laureatas* miſſitabant *literas*, ut vel ſolarum illarum adſpectus lætum quid præſagiret. Quod inter cætera hauſiſſe videtur ex Livii dec. 5. l. 5. ubi *tabellarum laureatarum* fit mentio.

§. 1. Mentio à me hic non agitabitur *de Triumphali pileo, de navibus vittatis, de sagittis ac fascibus laureatis*; Veruntamen hoc præmonitum præmunitumque velim in nostro Subjecto, quod ante Triumphum Triumphaturo nemini Urbem ingredi licebat, sed Imperatori, qui incolumi cum exercitu ad Romam reversus erat, plerumque intra Bellonæ ædem in campo Martio Senatus dabatur, cui res à se gestas exponebat, & ut Triumphanti sibi in Urbem invehi liceret, petebat, prout exsplendescit è Livii dec. 4. lib. 1. qui etiam lib. 7. ejusdem decadis recenset: *Per eosdem dies L. Æmilio Regillo, qui classe præfectum Antiochi Regis devicerat, extra Vrbem in æde Apollinis cum Senatus datus esset, auditis rebus gestis ejus, quantis cum classibus hostium dimicasset, quot inde naves demersisset aut cepisset, magno consensu Patrum* Triumphus Navalis *est decretus.*

§. 2. Enimverò ædes *Bellonæ* Bellatoribus plerisque potius erat terriculamento & pudori quàm oblectamento & honori, si quando ad omnes atque singulas interrogationes quibus fatigabantur, idonea nesciebant dare responsa. Hinc aliquoties Imperator victorque exercitus cum præda ac captivis tantisper ante portas stabat, dum alteruter Triumphorum à S.P.Q.R. vel decerneretur vel denegaretur; prout inter

inter cætera innotescit ex L. *Paulo Æmylio* utpote cui è Bello Macedonico reduci tantisper Triumphus, qui duobus aliis erat decretus, fuit negatus, dum corporis cicatrices aliaque vulnera pro Reip. salute excepta ostenderet.

§. 3. Denegabatur quoque Triumphus Navalis Q. Valerio Falconi Prætori, qui bello Punico Primo insignem Pœnorum classem circa Siciliam deleverat victor; sed Q. Lutatio Consuli, qui prælii tempore in lectica claudus jacuerat, decernebatur & obducebatur; *In Triumphi honore minorem Prætoris potestatem non esse æquandam majori Consulis, cujus auspiciis esset prælium initum & finitum.*

§. 4. Leges Triumphales quoque pro *aucto* quidem *Imperio*, non verò pro *recuperatis* Romanorum *rebus* Triumphos decernebant. Hinc non pauci Victores repulsam in æde Salutis tulerunt, etiamsi editis operibus magnifici reduces evaserunt. Amplissimus namque Ordo erat *Juris Triumphalis* observantissimus, usqueadeò uti nequicquam postulati Triumphi compos evaserit *L. Fulvius*, qui Capuam receperat; neque *L. Opimius*, qui Fregellanos ad deditionem compulerat, neque *M. Marcellus* ob captas Syracusas; neque *P. Scipio* ob Hispanias recuperatas. Quid? quod *Scipionem* & *Mar-*

cellum

cellum quoque ſic interpellabant : *Vos ad tantas res gerendas quidem cùm imperio, ſed ſine ullo miſſi eſtis Magiſtratu.* Nihil addam niſi hoc unum : Vixerunt qui ſibi perſuaſerunt ; Se fuiſſe tantos Eccleſiæ Atlantes atque tantas cæli terræque Columnas, quanti in vitis ſuis emereantur, ut ſibi maximus poſt vitas ſuas in Eccleſia Triumphante Triumphus à Chriſto Brabeuta decernendus ſit. Iſtiuſmodi autem Thaumaturgos potius in Inferno eſſe ovaturos, quàm in cælo triumphaturos, elucet ex iſthac Chriſti proſopopœiâ Matt. 7. v. 22. & 23. *Multi dicent mihi die illo :*

אֲדֹנָי יְהוָה

Κύριε, Domine,

Nonne per Nomen tuum prophetavimus, & in Nomine tuo Dæmonia ejecimus & per Nomen tuum multas virtutes edidimus. *Tunc autem profitebor illis* : Certè nunquam novi vos ; diſcedite à Me, qui operam datis Transgreſſioni Legis, Lev. 19. verſ. 18. Pro coronide igitur tantummodo adſcribamus notorium illud Epitaphium *Michaëlis Giſlerii* Inſubris, Pontificis Romanenſium animarum Maximi :

Papa Pius Quintus *moritur*! Res mira, *tot inter*
Pontifices tantùm Quinque *fuiſſe* Pios.

Pi

Pii autem evadere plures potuissent, si relicto Papatu superbo, humilem Christum crucifixum imitari voluissent more illorum, de quibus sic scribit Augustinus: *Benè Sancti Viri Scripturæ Sacræ Testimonio* Reges *vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modò Luxuriæ appetitum refrenant, modò æstum Avaritiæ temperant, modò Gloriam inclinant, modò suggestiones Livoris obruunt, modò ignem Furoris exstinguunt.* Excusetur autem quadantenus Papa, cum vix in uno aliquo illorum Monasteriorum (quæ *Carolus M.* Imperator Germanorum Gallicus eâ potissimum intentione olim fundavit, partim ut in illis Juventus perbene instituta Cosmopolitis reliquis esset documento atque exemplo eximio, partim ut & viri feminæque, quibus animus foret totus demoriendi pomposo stolidoque Mundo, & dies atque noctes contemplando ac orando vivendi ac consenescendi soli Deo, in illis procul ulla *Simonis Magi* pecuniâ reciperentur) tales Reges cœnobitas reperias, quales Tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt, ob confessionem Monastici illius Cardinalis Cusani hanc: *Pœne omnes Monachi, non quæ Christi, sed quæ sua sunt, quærunt. Omnes enim student Avaritiæ à maximo usque ad minimum.* Ubi autem à Re-

formatione ſummovetur Papatus, ibi quoque ſummoventur Monaſteria. Subjecto namque toto corruente, corruunt Adjuncta cuncta.

Caput XVI.

Veneranda Philoſophorum Practicorum Antiquitas *Vindictam* Iracundiæ Cainicæ *Privatam* (quâ communiter animalia rationalia ita obbruteſcunt, ut faciant proterviam & jacturam corporum, animarum, famarum, fortunarum) hujuſmodi penicillo ex nova Experientiæ fidelia ſanctè depingebat: *Stabat ita Mars armatus, vultu acerbo & truculento ſordidatus, nubeq; atrâ vallatus, ut ſuum ipſe pectus pugione hauriret.* Atra Nubes *Iram* & *Vindictam* adumbrat, *Pugio* verò *Inimici Odium*. Iſthoc pugione homo Vindictæ cupidus ſuum ipſe pectus confodit, dum alterum inexpiabili odio odit, prout uſus nos longus condocuit; quod aliquammulti Chriſtianonymi, qui iſtiuſmodi cæco Vindictæ inquietantis morbo laborabant, vel inter Duella Satanica occumbebant, vel ita inteſtinis odiis & ſimultatibus omnes Valetudinis vegetæ vires labefaciebant, ut contabeſcerent atque ita ſibi ſuas ipſorum ani-

animas exſtinguerent, inſtar viperarum, quæ ut commune vitalium aurarum limen ac lumen attingant, matrem enecant, juxta ſuum ipſorum amentiſſimum reſponſum, quod apud Oſorium l. 2. de Gloria. §. 11. pag. 95. unus ipſorum quiſque ſic dat Curatori animarum fideliſſimo cuique proponenti ſeriò Diabolica Inferni æterni tormenta: *Ridiculum eſt, iſtis Tartareis monſtris viros incenſos Gloriæ cupiditate perterrere velle: moveant iſta homines anilis & imbecilli animi, anxiiſque ſuperſtitionibus implicatos. Me verò non objecta Religio, non mortis Metus, non Supplicia, quæ dicuntur eſſe apud Inferos, non Monſtra denique ulla à Laudis ſtudio deterrebunt. Quod ſi ad Inferos adducendus ſum, non dedecore contaminatus, ſed honeſtus, atque Viri Fortis officio functus abducar.* Abducatur igitur ſub atra ignominiæ æternæ coronâ inter damnatas & deſtinatas Diabolo lanio Victimas ad infernalem ſine morte occiſionem, quicunque ἐκ προαιρέσεως ſeu de plena animi obſtinati induſtriâ ad deteſtabilia illa vanæ gloriæ animalia in Orcum Diabolicum ſic deproperat, ut ſanctiſſimam Chriſti religionem malignè deſpiciat atque infrunitam cæci vulgi Opinionem Splendori divinæ lucis digniſſimo indignè anteponat. Nam *Volenti nulla fit injuria*, l. 1. §. uſque adeo. ff. de injur. Injuriâ neminem mactat, qui-

cunque differtat, quod Hæc fit mortuæ fidei indoles, ut *Bileam* Pfeudopropheta quidem pervelit mori mortem Juftorum, fed nolit vivere vitam Juftorum. Juftus enim cum Deo fic Adamum fuum vetuftum oppugnat, fuperat, triumphat, ut femetipfum inftanter accufet, inftantius dijudicet, inftantiffimè condemnet, violentiffimè mortificet, fortiffimè Spiritu fidei vivæ principali refufcitet, conftantiffimè in candidâ vitæ fanctæ novitate perambulet & perfeverantiffimè fuam humanam voluntatem voluntati divinæ conformet, ob illud Auguftini: *Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit non argenti, fed Fidei*. Fides namque Chriftiani viva eft tanta bellatrix, victrix ac triumphatrix Regina 1. Joh. 5. v. 4. ut nunquam in publicum prodeat fola, fed inter cæteras pedifequas comitantes femper fortiatur vel devotionem, vel dilectionem vel vexationem, juxta illud Chryfoftomi: *Fides fcutum eft, quo credens Omnia patitur*. Fides autem Diaboli & Mundi mortua abhorret ab omni devotione, dilectione & crucifixione. Quapropter non femel tales mortales, qualis nunquam tentati fuerunt, tantâ infipientiâ occæcati permanferunt, quantâ Martyres Diaboli evaferunt. Hinc vigilantiffimus ille Myfticæ navigationis nauclerus

rus Ambrosius hoc celeusmate multos fratrum dormitantium è somno excitavit: *Fides inexercitata citò languescit, & crebris ociosa tentatur incommodis.* Hinc non tantum excusari potest Cyprianus, qui sic elocutus est: *Malo peccare in Fide quàm benè agere extra Fidem.* Verum etiam Gregorius, qui ita fabulatus est: *Væ miseris nobis, qui de Electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, & jam in ocio quasi de securitate torpemus. Debet profectò, debet in spe esse non solum securitas, sed etiam Timor in Conversatione, ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pungat.* Pungat igitur quosvis Veritatis amatores illud quod *Thomas Henrici* Pontificius Friburgensis Academiæ Professor in sua Anatomia Augustanæ Lutheranorum Confessionis art. 8. de Eccles. quæst. 4. infert; *Turcam cum plurimis Alcorani erroribus posse esse Sanctum & Ecclesiæ Catholicæ membrum, modò non evertat* Fidem Specialem, *quâ credat*, Peccata sibi *propter Christum* esse remissa.

§. 1. Ego verò ratione intentionis meæ facere non possum quin de Jure Triumphali adscribam; invaluisse olim consuetudinem, ut quamvis quis res præclarissimas Reique publicæ utilissimas in *Bello Civili* (in quo *utrimque*, seu *vincentes*, seu *victi*, patriam *injuriâ afficiunt*, cui *damno* est *Victoris bonum*, ut Plutarchus ait) velociter atque

feliciter gessisset, *Imperator* tamen eo nomine ab exercitu appellatus non sit, neque ullas ipsi supplicationes, neque *Ovatum* neque *Triumphatum* Senatus decreverit. Quippe istiusmodi Victoriæ erant quidem Urbi pernecessariæ, sed interea loci magis occultandæ quàm ostentandæ, utpote quæ non externo, sed intestino partæ fuissent sanguine, super quo & erubescendum est, ut super filiis suis multis amissis Rahel Britannica plorans, quos requirit, sed non reperit. Taceo quod matri Germaniæ adhuc loci dolent vulnera sua ante Pacificationem Monasteriensem inflicta sub Imp. *Ferdinando* II. qui circa annum cIↃ IↃ CXXXII. suis sic confessus est de Deo suo: *Dominus meus Mihi & Domui meæ plurima bona contulit; si ea iterum vult eripere, Me Meosque punire, habet nos paratissimos ad excipiendam Optimi Patris castigationem.* Etenim in Bellis Cromwellianis seu Intestinis (in quibus *plus militibus quàm ducibus licet*, ut Tacitus loquitur) sæpè frater fratrem trucidat tanquam Cain Abelem, Gen. 9. v. 5. & c. 4. v. 8. 1. Joh. 3. v. 12. Nolim adscribere quod apud Æsopum coaxanti ranarum ingratarum vulgo *Trabis* Regis sui pertæso in lymphis, extra lymphas ad paludes & ripas Jupiter constituerit Regem *Pelargum*, qui prosilientes illas devorat cum omni-

omnibus inteſtinis à capite uſque ad calcem: malim ſubſcribere reſponſum, quod olim à Rechabhamo filio conquerentibus de duro patris Salomonis jugo Iſraëlitis ſic dabatur 1. Reg. 12. v. 14. *Pater Meus grave reddidit Jugum veſtrum: veſtro autem Jugo ego ſuperaddam &c.* Quæcunque autem ſcripta ſunt, πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν ſcripta ſunt, 1. Cor. 10. v. 11. Quid multa? Ortus jam eſt ex exilio exiliorum ſuo tantus Britannici populi Salvator in Thronum ſuum Regium redux, quantus patriam hæreditariam (ut Latinè Belgicus ille Amſtælodamenſium Poëta *Vondelius* nonnullibi cecinit) *in Melius referet.* Refert quidem hiſtoria Italica, quod olim Roma lupina ſuum *Fabium Maximum* in tuta tranquillaque Pace trahenda ſecurum toleravit & ob ſingularem morum ſanctorum manſuetudinem *Oviculam innocentem* ſalutavit; numquis verò cuivis hodierni Mundi (de quo Chriſtus prædixit Matt. 24. v. 12. *Injuſtitia invaleſcet & Charitas aliquammultorum refrigeſcet*) Principi autor eſſe poſſit, ut Ovis inter veſpertinos Europææ ſylvæ lupos (qui quidem præ ſe ferunt aliquam formalem Chriſtianæ confeſſionis ſpeciem, ſed nullum edunt actuale Catholicæ converſationis ſpecimen) evadat, pro illis Politicis *Deorum filiis* (qui poſſunt ido-

neum dare responsum ad ἀμφιδόξόμενον isthoc Problema; *Utrum & Quatenus conscientiosis Potentatibus magis conducat quævis gravia Justitiæ Vindicativæ exempla in perduelles* de tribu Phocæ Mastigas Mastigiasque *vivos mortuosque statuere* & regiis Regis illius sapientissimi Salomonis vestigiis insistere 3. Reg. 2. v. 25. 26. 34. 37. & 40. *quàm* plurimatenus ἐπειδὴ Θεοῦ σπλαγχνιζομένου, *qui sæpius humano generi rebelli condonat quàm vindicat, usqueadeò ut prius salutetur* Optimus, *quàm* Maximus *à suis Sanctis, qui ita justificant Judicia ipsius omnia, ut confiteantur*: Citius reperias XII. lapides olim positos à manu Josuæ in flumine Jordane, quàm pervestigare valeas quævis Judicia Justissimi Jehovæ) in medium relinquo & ruminatum abeo, quod Ovidianus ille venator *Actæon* à suis ipsius canibus dilaniatus est, simulatque in cervum degenerasse videbatur.

§. 2. Hinc *Cajum Gracchum Opimius Consul* seditiosum non sine commiseratione oppressit. Hinc *Tiberium Gracchum* seditionis intestinæ facem *Scipio Nasica* non sine mœrore è medio sustulit.

§. 3. Hinc quoque triumphare non affectavit *Q. Catulus* de *M. Lepido* collega cum omnibus copiis seditiosis extincto; neque *C. Antonius* de *L. Catilina* cæso; neque *L. Sulla* (qui non uniusmodi Bella Civilia com-

commiſit, profligavit, confecit) de C. *Mario, L. Cinna, C. Carbone* & *L. Norbano.* Quotusquiſque enim, bona Civitatis parte illachrymante, triumphaturus aut ovaturus fuiſſet? Fuiſſet quoque procul ullis controverſiarum conflugibus repulſam in æde Salutis aut Apollinis paſſurus meritò, ſi ſuper extinctis à ſe Belli Civilis flammis quis confidens impudenſque à. S. P. Q. R. laureatum ſibi decernendum Triumphum poſtulâſſet. Ecquo enim ore, ecqua fronte unus Dux urbanus tantum ſpectaculum poſtulâſſet? Præſtat itaque in tali Tentationis caſu ſemetipſum ſuperare & triumphare atque ruminare illud Dionis Chryſoſtomi: *ἑαυτοῦ ἄρχειν τῷ παντὶ χαλεπώτερον ἢ συμπάντων μὲν Ἑλλήνων, συμπάντων δὲ Βαρβάρων βασιλεύειν.*

§. 4. Conſimilem æmulantes morem trumphare noluerunt. *C. Cæſar* Dictator de *C. Pompejo* ex Pugna Pharſalica, *Octavius* & *Antonius* de *Bruto* & *Caſſio*, *Auguſtus* ipſe de *M. Antonio*, *Vitellius* de *Othone*, *Veſpaſianus* de *Vitellio*, neque *Severus* de *Peſcennino Nigro* aut *Clodio Albino* Impp. Excuſent itaque Babylonii *Iſraëlem* ad Euphratis ripas captivum, quod in alienigenâ terrâ nova Tzijonis Triumphantis cantica cantare nolit, cum ob ſuas ipſorum citharas ibidem ad ſalicetum ſuſpenſas nullus poſſit. Pſal. 137. ℣. 2.

§. 5. Nimis quàm notum eſt quod Livius l. 2. pag. 62. col. 2. de M. Fabio ſic refert: *Victoria egregiè parta, triſtis tamen duobus tam claris funeribus*, Q. Fabio & Cn. Manlio. *Itaque Conſul, decernente Senatu Triumphum, ſi* exercitus ſine Imperatore *triumphare poſſit, pro eximia eo bello opera facile paſſurum, reſpondit: ſe familia funeſta Q. Fabii fratris morte, Rep. ex parte orba conſule altero amiſſo, publico privatoque deformem luctu* lauream *non accepturum.* Omni acto Triumpho depoſitus Triumphus clarior fuit. *Adeò ſpreta in tempore* gloria *cumulatior redit.* Redit his ipſius legendis relegendiſque animus meus in memoriam mortuorum in Domino Sanctorum, qui in vitis ſuis ſummo zelo practico conſervabant illud Apoſtoli Rom. 12. v.15. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* Flendi autem iſthanc genuinam artem Turba carnalium Chriſtianonymorum Magna tractu temporis longo reddidit tam raram, ut noſtro ævo M. Fabius Ethnicus, ſi reviviſceret, in ruborem dare poſſet multos Chriſtianorum hodiernorum cognatos. Cognatos enim hodiernorum Chriſtianorum multos componas cum multis Belgicarum ſcholarum pueris, qui ſunt tales ſporadæ, quales in cœlo ſcholaſtico nullam formant imaginem virtutis. Virtutum quidem Theoriam ſub oculata præ-

præceptoris ſui vigilantis ferula ſat egregie hunc in modum è Latinis Rudimentis intra ſcholam ediſcunt: *Deum cole. Sectare pietatem. Timor Domini initium Sapientiæ. In omnibus dictis ac factis Deum teſtem time. Calumniam ne dixeris. Pareto Legibus. Magiſtrum metue. Mundus eſto. Verecundiam ſerva. Bene meritos honora. Comis eſto. Parentes ama. Seniorem reverere. Malorum congreſſus fuge. Bonos in precio habeto. Sapientum utere conſuetudine.* Ne *contendas cum parentibus, etiamſi juſta dixeris. Mendacium oderis: Os quod mentitur occidit animam. Quod tibi non fieri vis, id ne feceris ulli. Deus vindex mali & remunerator boni eſt. Benefac etiam inimicis tuis. Aleam fuge. Beneficium repende. Cum bonis ambula. Iraſci abs re noli. Litem oderis. Pacem dilige.* Ne *prior injuriam facias.* Ne *ſis elatus. Inferiorem ne rejicias.* N*oſce teipſum.* N*il temerè crediderin. Sis tui ſimilis. Ea facito quorum non poſſit pœnitere. Cum erraveris, muta conſilium. Exiſtimationem retine. In proſperis de adverſis cogita.* Neque *prodigus eſto, neque avarus.* Ne *facile promittas. Quod promiſeris, præſtato. Saluta libenter. Diſcere ne pudeat. Quod legeris, memento. Pro quæſtu ſumptum facito.* Tuo *te pede metire. Quæ feceris parentibus, eadem à liberis exſpecta. Majori cede. Minori parce. Quâ menſurâ menſus fueris, eâdem reddetur tibi. Accipere præſtat quàm facere injuriam. Bene operari ne deſiſtas. Audi*
 multa,

multa, loquere pauca. In multiloquio peccatum. Pietas est fundamentum omnium virtutum. Nihilominus tamen ex illis condiscipulis (qui aureas istiusmodi sententias è Cornu Copiæ Philosophico atque Theologico intra Scholam ita combibunt, ut præsagias, illos olim vel consore tantos patriæ Belgicæ Salomones, ad quantorum sapientiam auscultandam confluxuri sint omnes Magnates mundi; vel evasuros esse ad minimum tales germanos Israëlitas, de qualibus incomparabilibus per viam Proverbii dicas: *Nusquam gentium habeas secundos*, quippe qui *Tincturam Christianæ Pietatis veram* cum ipso lacte materno combiberunt) non pauci extra scholam altercando, jurando, mentiendo, maledicendo, ineptiendo & lasciviendo vagantur, bacchantur, colluctantur, præliantur & grassantur ita per plateas, ut ferè de non nemine illorum dicas: *Est fucus nequam, qui se totum ingurgitavit in petulcam malorum Lernam, propter quam inventa sunt ergastula, tormenta, pegmata, patibula &c.* Ita quoque se multi Ecclesiastico Orthodoxorum gregi aggregant, qui conciones perdoctorum Doctorum doctas de humana mortalium sorte in Statu Innocentiæ, Miseriæ, Gratiæ & Gloriæ intra templum audiunt, Biblia sua auro illusa & argento præclusa aperiunt, legunt, per-

legunt, relegunt, & præclarè de necessaria fratrum sororumque ad Dei imaginem atque similitudinem Renovatione edisserunt, frequentibus sacrarum cænarum communionibus accumbunt; vociferatione dulci psalmos psallunt, & ante acceptam à Ministro benedicente benedictionem nunquam abeunt, sed verò extra templum tales se præstant Agaparum maculas, ut de illis ferè idem quod de Antichristi stolonibus dicas: *Exierunt ex nobis, sed non fuerunt de nobis*; juxta illud Crucii l. 2. ep. p. 165. *Multi nomen hodiè Religionis ac pietatis profitentur, sed speciem, non rem habent.* Nobis igitur complaceat Mysticè illa vox Mosis Exod. 32. ℣. 27. ad Levitas gladio armatos: *Occidat suum quisque fratrem & amicum & proximum.* Proximorum namque cuique pro viribus gratificari usque ad aram Innocentiæ volumus, ubi nihil imperaverit, nihil flagitaverit, nihil perpetraverit, quod vel Divinæ Majestati, vel rectæ Rationis lumini, vel mundæ Conscientiæ dictamini adversetur seu contra jus fasque prælietur, prout vel ex ipsis Jesuitis multi dicere annuunt, quanquam facere abnuunt, propter illud Hieronymi Savonarolæ Martyris quem *Alexander* VI. Pontifex Romanensium animarum Maximus anno cIↃ CCCC XCVIII. Laqueo, Vulca-

no & Arno damnavit propter Euangelicas de Christo homilias, quas Italia fallax vocabat Hæreticas:

Quattuor ista, Timor, *Mundus*, *Dilectio*, Rumor,
Sæpe solent hominum rectos pervertere sensus.

Hinc communiter in tali territorio, aut emporio in quali Christicolæ scandalosi crebrò conspiciuntur, raròJudæi ad Christum crucifixum convertuntur. Converti autem Apellæ maledicti inter tales Christianos benedictos possunt longè facilius, ubi à Mose & Aarone concordantibus (*semper enim scissâ vadit Discordia veste*, ut veridicum canit os Poëtæ juxta Syrach. 34. ℣. 27.) ipsis præcluditur omnis porta atque fenestra Superbiæ, juxta Deut. 28. ℣. 30. 31. 32. 33. 37. 41. 43. 44 & 48. ex quorum verbis legendis sat dilucidè illucet; Judæos illos ignavos non esse à Gladio Dominico annumerandos inter prima Libertatis communis capita, quorum solorum fidei inter negotiandum Usus pecuniæ regalis committi debet, sed tractandos tanquam postremas servitutis vilissimæ caudas, donec per exercitia Exinanitionis humiliantis pœnitentialia reducantur ad tanta Christiana Exaltationis illuminatæ Charismata, ut ipsimet suam in se ἀποστασίαν ido-

idololatricam contueantur ſanatam & ſine maledicto (cui ſe eo potiſſimum die ſubjecerunt, quo præ gigantæo cæleſtis vindictæ contemptu ſuper innocente Dei filio in aures Pilati Pontii expugnabiles conclamaverunt: *Sanguis Ejus ſit ſuper nos noſtroſque filios* Matt. 27. v. 25.) uti nummis poſſint juxta illud Apoſtoli Tit. 1. v. 15. *Omnia quidem munda mundis: pollutis autem & incredulis nihil eſt mundum, ſed polluta eſt eorum & Mens & Conſcientia.* Taceo quod inter iſtiuſmodi ocioſos pollutarum & Mentium & Conſcientiarum Judæos comperias tales Rerump. Chriſtianarum fures ac mures, quales non tantum arrodunt monetam & virginalem ancillantium puellarum Chriſtianarum pudicitiam, ſed etiam glorioſam Chriſti Servatoris ac Domini noſtri famam atque ita quotidiè evadunt rei ſexcentorum nefandorum Criminum læſæ Majeſtatis Divinæ. Quocirca omnis Papa (qui tali malignæ viperarum blaſphemantium progeniei neque commercium nummorum adimit, neque privilegium mancipiorum tribuit, juxta præſcriptum à præcipuo ipſorum magiſtro Syrach. 23. v. 25. *Pabula, Virga & Onera debentur aſino; Cibus, Caſtigatio & Operam ſervo. Utere opera ejus cum caſtigatione, & quæret Requiem; ſine remiſſas illi manus, & quæret Libertatem. Jugum & Lorum curvant cervi-*

cem

cem illi; ſervo verò malefico Tormenta & *Cruciatus. Immitte eum ad Opus, ut non otietur: nam multum malum docuit Ocium*: ſed liberas Synagogas propter ſacram auri famem concedit) viderit, quid olim Judici vivorum & mortuorum reſponſurus ſit. Si enim Papa Dominus eſſet quadantenus Chriſti vicarius, ab ipſo reſponſum hoc acciperet omnis Judæorum advocatus: *Deſidioſi amici! Vos ignoratis, quid petatis. Quiſquis commiſerentium de veſtro nutrimento & veſtimento ita ſollicitus eſt, ut vos vel ad mapalia ruralia & ovilia vilia, vel ad expurgandas urbium plateas & cloacas, vel ad lapidicinas & metalliſodinas, vel ad exhauriendas navium ſentinas ac latrinas, vel ad expeditiones bellicas contra Turcas ablegat, ille animabus veſtris ſuperbis fabricat ſalutarem Humilitatis pontem per quem tranſeatis ad paradiſiacum æternæ Beatitatis fontem; quicunque verò pigerrimis veſtris ingeniis concedit mercaturas, is furibundis tradit vobis machæras, quibus veſtras trucidetis Antichriſtianas animas, ob illud veſtri Rabbinorum præcipui Syrach.* 27. v. 2. Clavus inter compages pangitur lapideas, & inter venditionem atque emptionem peccatum ultrò citroque teritur. *Ecquid enim fiet de Judæo mercatore, ſi vix ſalvari poteſt Chriſtianus, qui ſtudet arti ita tractandi pecuniam, ut unquam mali quicquam propter illam facere nolit, etiamſi per varias occaſiones poſſit? Vis enim opum per quaſvis mercaturæ ſtro-*

ſtrophas ac nefas corraſarum non humiliat, ſed inflat, vobis autem nulla alia lux ac dux opus eſt quàm Humilitas. Quare quantumvis maximam nationis veſtræ avaræ domum mihi offerretis obryzo plenam; Romæ tamen nullam vobis concederem fallacibus mercaturam, nullamque Synagogam ille ego, qui condidici tentantibus impoſtoribus vobis veſtroque obryzo maledicto maledicere ſanctè in perditionem uſque, quibus innatum, inveteratum & uſitatum eſt Chriſto Domino meo benedicto maledicere. Ut igitur immanis peccati veſtri particeps ego nullus evadam, induam vos cilicio & animas veſtras humiliabo jejunio, & ſummopere dieſque noctesque invigilabo, numquidnam vos poſſim adducere ad auſcultandum voci noſtri Meſſiæ Jehovæ, qui vos ſic alloquitur per os Joëlis Prophetæ: Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, in fletu & in planctu. *Quia ego vos tanta dilectione diligo, ut vel Anathema pro vobis fieri pervelim. Quicunque verò ſecundum carnalem ſuam prudentiam veſtro veteri Adamo miſericorditer beneſacere ſtudent, illi malefacientes animabus veſtris pariter atque ſuis immiſericorditer nocent. Quapropter ego vos non tractabo tanquam Chananæi ſuos gentiles, ſed tanquam Joſeph ſuos fratres, qui ſortiti ſunt vitam ærumnoſam, mortem precioſam, & ſpem poſt fata glorioſam.* Quippe omnis cordatus legatus maximoperè propugnat gloriam Domini ſui. Qui vero nomen Domini ſui poſthabet turpi lucro, di-

dignum ſe reddit qui fulminetur fulmine Anathematis cæleſtis Deut. 27. v. 25. 1. Cor. 16. 22. Quia dum Judas propter ſacros argenteos Meſſiam tradit Synedrio, ſuam ipſius animam vendit Diabolo. Quod ſi quis φιλαναγνωστούντων φιλαδέλφων his pauculis recentioribus non fuerit ſatiatus, ſed gaudeat Amplificatione, amplificatum mea pace abeat ſic ex vetuſtiore *Sixtini Amamæ* Conſilio Academico in ſua evulgatâ ad Grammaticam Martinio-Buxtorfianam Coronide: *Illud ſolum conſidera, terrori Judæis eos Chriſtianos eſſe, qui in Thargum & Rabbinis mediocriter verſati ſunt: non enim ignorant pleraque hodierni Judaiſmi fulcra in iis vehementiſſimè concuti, imò convelli. Quo magis doleo, hæc utiliſſima ſtudia adeò iis in locis jacere, ubi Judæi catervatim habitant. Ex omnibus* Ultimi Judicii Prognoſticis *ſolam & unam* Judæorum converſionem *reſtare, conſtans & ferè unanimis* Theologorum Opinio *eſt. Et certè* Fundamentum *habet in cap. ad Roman.* X I. *Videmus tamen in quibuſdam locis eam eſſe* Miniſtrorum & Theologorum *hac in parte* incuriam *&* inſcitiam, *eos mores & modum agendi, ut non immeritò renovare poſſimus magni illius* Lutheri *lamentum*: Ipſe ego, *inquit*, ſi Judæus natus fuiſſem, & ejuſmodi Truncos & ſaxea capita & doctores conſtitutos vidiſſem Chriſtiani populi, citius quibuſvis Tur-

Turcis ac Scythis me conjunxiſſem, quàm ejuſmodi Chriſtianis. *Pro belluis* plane hactenus *Judæos* habuerunt, *pergit Lutherus*, in Pontificios *forſitan* à ſe deſertos, *verba cædere*, etiam magni Theologi. Quoties aliquis ad Chriſtianiſmum adſpiravit; putârunt ſe Officio ſuo egregiè perfunctos, ſi in Gentem illam fortiter convitiati eſſent. Sed in extremo die major pœna decernetur tali debacchanti Theologo, quàm Judæo debacchationibus iſtis non commoto. Non enim convitiis, ſed argumentis Conſcientia errantis erigenda eſt. Certè, *inquit*, ſi Apoſtoli, qui & ipſi Judæi fuerunt, ſic tractâſſent nos Gentes, ut nos hactenus tractavimus Judæos, haud dubiè pauci vel nulli ad Chriſtum converſi fuiſſent. *Et paulò poſt*: Sed imprimis defuerunt illis, qui Judæos convertere volebant vel debebant, ſufficientia Media, nimirum protinus abſterriti ſunt Judæi, quando audierunt ſuperioris ævi Theologos nihil didiciſſe in Bibliis, ſed in Ariſtotelicis argutiis conſenuiſſe. *Medium ergò planè neceſſarium Ebrææ linguæ & per eam rerum Judaicarum notitia, cujus ſtudia utinam ad exemplum Belgicarum Eccleſiarū in ſuis excitarent illi, qui inter Judæos habitant!*

Habitant quidem hodiè in Europa aliquammulti viri perdocti inter Judæos; nemo tamen quiſquam facile ad Fidem

in

in Christum Crucifixum convertet istiusmodi Apellas, nisi θεόθεν ad tantum miraculum patrandum tam legitimè fuerit vocatus & ablegatus quàm olim Jonas ad convertendos Ninevitas: tametsi alioqui vel calleat plura Rabbinorum Mysteria quàm *Rittangelius*, vel illis exhibeat plura beneficia quàm *Serarius*. Quicunque enim unum Judæum ad salvificam in Christum crucifixum fidem convertit, tantum miraculum edit, ut videatur restituisse cœco visum, surdo auditum, claudo gressum & cadaveri mortuo vitalem spiritum. Plura addat, cuicunque ociosorum vacat: ego nolo cum *Tzldone* hîc Mundo *Libertatis* impatienti atque spinoso *spinus* esse *dolorificus* Ezech. 28. ℣. 24. sed abibo ruminatum illud Athanasii in epist. ad solitarios, ubi Imp. *Constantium* appellat ἀντίχριστον, quod Sacerdotum Consilio fuisset præsidere ausus. Quippe notorium est filios regios Regis illius magni *Dei* (cujus tabernaculum est בְּשָׁלֵם Ps. 76. vers. 3.) Constantiam sanctorum Heroum Heroinarumque perseverantem ac triumphantem ita æmulari, ut per viam Regenerationis strictam se penetrantes & senectutem suam per portam cæli angustam exuentes, nec propter tentationem Spirituum infernalium, nec propter metum animalium rationalium, nec pro-

propter curam consanguineorum proximorum à regio recti itineris tramite vel dextrorsum vel sinistrorsum deflectant, sed tam in prosperis quàm in asperis *Invisibilem Pacem* ad finem vitæ suæ ultimum usque custodiant atque ita immolandâ victimæ coronatæ caudâ gaudeant. Quicunque verò abs tali Concordiæ Perseverantis bono (de quo sic scribit Leo: *Hæc est Vera Pax, à Dei voluntate non dividi, & in his quæ solius Dei sunt delectari; quando enim Sensualitas nullâ parte resistit Voluntati, & Voluntas nullâ parte contradicit Rationi, tunc est serenitas Mentis, & tunc est Regnum Dei*) abhorret, pejor est Principe hujus Mundi, de quo notum est illud Christi: *Si Satanas insurrexerit & dissidet adversus semetipsum, stare non potest, sed finem habet.* Marc. 3.v. 26.

CAPUT XVII.

POsteaquam res Victoris gestæ in æde Bellonæ ad solitum consultationis præsentissimæ æquilibrium erant sat examinatæ & dignæ Triumpho dijudicatæ, Imperatoris nomen illi à S. P. Q. R. confirmabatur, Triumphus decernebatur, & dies merito debitoque Triumphatui festivus indicebatur.

§. 1. Non semel tales incidebant casus atque causæ, quales Triumphatum morabantur, prout inter cætera liquet ex illo Livii l. 3. pag. 76. col. 2. de L. Lucretio Cos. *Lucretius cum ingenti præda, majore multò gloria rediit, & auget gloriam adveniens, expositâ omni in campo Martio prædâ, ut suum quisque per triduum cognitum abduceret. reliqua vendita, quibus Domini non extitere. Debebatur omnium consensu Triumphus, sed dilata res est, Tribuno de Lege agente.* Enimverò si Imperator non fuisset vel Dictator, vel Consul, vel Prætor, atque eam ob rationem, quod Proconsules & Proprætores intra Urbis mœnia cum Imperio esse prohibebantur, intra Romam Imperio absistere necesse habebat, tunc quò triumphanti ipsi cum tanta potestate Imperatrice Urbem ingredi liceret, Lex Comitiis Curiatis ferebatur de Imperio ejus Ducis intra Urbem per diem vel dies Triumphi continuando; cum nimirum privatis atque alienigenis copia Triumphandi nullatenus indulgeretur, nisi forsitan ex Privilegio quodam personali.

§. 2. Isthac autem Lege lata dieque Triumpho destinata, Imperator triumphali amictus habitu, armillis sumptis, laureâ redimitus, & augustum paciferæ arboris ramum dextrâ tenens, milites ad concionem convocabat. Quibus publicè privatim-

timque laudatis, donabat pecunias & ornamenta, ut brachialia, torques, hastas puras, coronas aliis aureas, aliis argenteas, aliis alias, expresso in singulis suo cujusque adipiscentis nomine pariter atque edito nobili facinore.

3. Quando autem Imperator congiarium distribuebat, inter elargiendum has fuisse missas voces accipientium accepimus:

De nostris annis Tibi Juppiter augeat annos.

CAPUT XVIII.

NOn operæ est persequi, quæcunque de *Coronis Militaribus* stylo ac filo Asiatico ἀπειψαινυγρῶς pertractari possent, juxta illud Chrysostomi hom. 3. in ep. ad Romanos: *Unusquisque magnorum virorum non à requie, non à deliciis, verum ab afflictione, à tentatione, insignes coronas reportârunt.* Cui sic subscribit Johannes de Montlyard Mythol. l 6. c. 18. *On dit que Tantale fils d' Æthon traicta un jour les Dieux en sa maison, & qu'il leur servit son fils* Pelops *pour le manger, de qui* Ceres *devora une espaule. Que signifie cela si non les traverses & afflictions que les gens de bien & sages ont à soustenir tandis qu'ils vacquent aux choses sainctes & divines?* Car pour suyvre

vre Dieu il faut abandonner ses enfans & ce qu'on a de plus cher & precieux. *Car la felicité de ce Monde encline plustost du costé des meschans que de bons: & celuy que l'on void embarassé de diverses adversitez, il faut faire estat, que Dieu l'a pris en grace, s'il les endure possedant son ame en Patience; ou pour le moins l'y recepvra bien tost, dautant que par telles incommoditez il exerce la Constance & Magnanimité des gens de bien.* Cæterùm mihi destinatum est, molli duntaxat brachio ingens istiusmodi argumentum tangere.

§. 1. Quod Romulus solemnem *Triumphalis Coronæ* usum Urbi primus invexit, sat innuit his Plutarchus: *Quercum excidit proceram, & Trophæi more formavit, singulaque* Acronis *arma ordine circumduxit; ipse autem veste succinctus caput comatum laureâ coronavit.* Corona autem inter cætera est symbolum Perfectionis & Exhilarationis. Hinc in exemplis est, viros plerosque coronatos coronas suas tempore luctus deposuisse, juxta illud Ezechielis: *Tolle coronam.* Enimverò Hieronymus ad Heliodorum in Nepotiani epitaphio laudat maximè *Periclem* & *Xenophontem Socraticum*: quorum alter amissis duobus filiis coronatus in concione disseruit, ut ostenderet, *se nihil dolere, nihil lugere*; alter verò cum sacrificans filium in bello inaudîsset occisum, *deposuisse coronam* di-

dicitur, *& eandem capiti reposuisse*, simulatque fortiter in acie dimicantem compererat cecidisse, juxta illud ICtorum: *Per gloriam cum Gryllo vivit, qui in acie cadit.* Quippe belli præclaræ sunt mortes Martiæ; sed Philosophi Christiani malunt domi in lectulis suis mori silentibus, quàm in campis præliantium perstrepentibus. Quia ferè gratior est Mors lenta Davidis quàm violenta Saulis 2.Sam.21. ℣.17. Quid? quod major apud Ecclesiam sit gloria Davidis, qui mortuus est domi in lecto, quàm Saulis, qui cæsus est belli in prælio. Quando autem Græci & Romani olim nulli Deorum suorum alias nisi victimas coronatas offerebant, eo innuebant; Numina fastidire sacrificia manca, mutila & imperfecta. Christianis notum est, quid Deus Deorum exprobret priscis Judæis Malach. 1. v. 7. 8. *Qui afferentes super altare meum* cibum pollutum *dicitis*, Qua in re polluimus te? *In eo quod dicitis*, Mensam Jehovæ contemtibilem esse. *Nam quum affertis* animal cæcum *ad sacrificandum*, *nihilne est mali? & quum affertis* claudum *aut* ægrotum, *nihilne est mali? Offer illud jam Duci tuo, an acceptum habiturus sit te, aut an suscepturus vultum tuum, ait Jehova Zebaoth.*

§.2. Quapropter enixissimè contendebant victoriosi bellorum Duces, ut assequi nomen Imperatorium & deportare

lauream possent. Laurea quippe quæ ex lauri ramis baccisque contexebatur, erat præcipuum triumphantium Imperatorum insigne, & juxta *Ælianum* primùm ab Apolline fuisse traducta credebatur, prout his comprobat Ant. Thylesius Consentinus comment. de Coron. *Ex arbore fiebat hæc Delphica baccis onusta grandibus, semper odora ac virenti, eademque cædis ac scelerum expiatrice, ac sola Jovis fulminibus inviolata, iisque de causis omnibus Triumpho destinata. E laureto capiebantur hæc Aventini in ornamentum illud Triumphale, ubi nunc nemus habet densissima ac pulcherrima lauru consitum.* Cui sic succinit Phædrus l. 3. rationem reddens Poëticam:

Olim quas vellent esse in tutela suâ
Divi legerunt arbores: Quercus *Jovi*,
Et Myrtus *Veneri placuit*, *Phœbo* laurea,
Pinus *Cybelæ*, Populus *celsa Herculi.*
Minerva admirans, Quare steriles *sumerent*,
Interrogavit. Causam *dixit Juppiter*:
Honore fructum ne videamur vendere,
At mehercule narrabit, quod quis voluerit,
Oliva *nobis propter* fructus *est gratior.*
Tunc sic Deorum genitor, atque hominum sator:
O nata meritò Sapiens *dicere omnibus*,
Nisi utile *est*, *quod facimus*, stulta *est*
Gloria.

Quid? quod Arbor Regia fausto Imperium omine portendere videatur; prout compe-
ria

rias apud Lampridium de Alex. Severo.

§. 3. Hæc verò *Triumphalis Corona*, prout atteſtatur Paradinus in Symbolis Heroicis mihi pag. 260. *Temporis diuturnitate, Imperio decreſcente, poſtmodum unionum & margaritarum admixtionem, nec non & aliarum gemmarum variationem admiſit; ac tandem ex nativa lauro in laurum ſculptam aureoque circulo impoſitam commutata fuit: quemadmodum adhuc vel in hodiernum diem in antiquis numiſmatibus & ſtatuis inſpicere eſt.*

§. 4. *Eſt* moris illorum auctorum, qui Antiquitatis ſtudio mulcentur, ut vel in ſylvas vel in aquas moliantur. Hinc Philoſtratus lib. 2. de Vita Apollonii Tyanæi memorat, quod penes Taxicam urbem Indiæ maximam fuerit repertus elephas cum torque inſcripta his verbis: *Alexander Jovis Filius Ajacem Soli.* Sic enim immanem illum Alexander nuncupaverat elephantum, animal magnum magno magni Ducis nomine inſigniens. Ab illo autem tempore, quo torquis illa feræ erat annexa, conjiciebant indigenæ annos 50. ſupra 300. ad eam tempeſtatem interceſſiſſe. Conradus Celtis autem commemorat, quod unus lucius anno à Chriſti natali cIↃ CCCCXCVII. circa Imperialem Sueviæ urbem *Heylprun* in ſtagno captus, & in eo repertus annulus ex ære

cyprio inter branchias sub cute modicam splendere partem visus sit, ubi verba Græca exteriori annuli peripheriæ inscripta hæc legebantur: Εἰμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς, ζῶ τῇ τῇ λίμνῃ παντόπρωτος ἐπιτεθεὶς, διὰ τοῦ κοσμητοῦ Φεδηρίκου β. τὰς χεῖρας, ἐν τῇ ε. ἡμέρᾳ τοῦ ὀκτωβρίου. E quo collegit Arithmetica doctorum, piscem illum in stagno annis CCXLVII. vixisse vivendoque Imperatores Romanos ad unum omnes vicisse, quippe quorum nemo unus 100. annos vixisse legitur, juxta illud ICtorum: *Homo præsumitur vivere vitam* 100. *annorum.* Multi namque eorum citius morti occubuerunt quàm artem benè moriendi perdidicerunt, juxta præmonitum illud Senecæ: *Venientem Mortem nemo hilaris excipit, nisi qui ad illam se diu composuerit.* Qualiter autem in hora mortis mortalium animæ offenduntur, taliter hinc tolluntur, ut elucet è duobus illis latronibus, inter quos medius in cruce pendebat Christus. Christus enim uni illorum promittebat Paradisum; derelinquebat verò alterum extra paradisum. Quemadmodum igitur cælestis Pater ex charactere suo novit suos eosdemque per emissos Angelos suos bonos transfert in æternam patriam: Ita infernalis Pater è charagmate suo novit suos, eosdemque per emissos Spiritus suos atros abripit ad se exsu-

exſulantem in ſuum æternum infernum. Infernum autem iſtunc hircorum avarorum, ſuperborum & luxurioſorum æternum nemo unus felicius effugiet quàm qui tridentem Paradiſi clavem accepit & ad illam Portam portarum viventem & ſic eloquentem ſe adhærendo recepit: *Ego ſum Oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* Cui Haymo ſic ſubſcribit: *Per Quinque Gerundia obtinetur Vita Æterna.*

I. Repueraſcendo, Matt. 18. v. 3. *per pœnitentialem tranſitum ex ſchemate moribundo cujuſvis mundanæ concupiſcentiæ peccatricis.* 1. Cor. 7. v. 2. 31. & Joh. 2. v. 16. & 17. *in vitam ac naturam immortalis Dei* 1. Joh. 3. v. 14. 2. Pet. 1. v. 4. Quippe *generoſi pueri* paucis contenti

Ludunt, rixantur, cedunt, citò pacificantur.

II. Conſulendo *Divina Oracula ſcrutanda, lectitanda, auſcultanda & obſervanda* Joh. 5. v. 39. Apoc. 1. v. 3. Matt. 7. v. 24. Luc. 11. v. 28. Joh. 14. v. 15. & 21. Jac. 1. v. 22. & 25. *ut in biviis triviiſque omninò omnibus* Conſcientia *tam* Errans *quàm* Dubitans *cognoſcat recognoſcatque, utrum procedendum planè, an retrocedendum ſanè? qualiter credendum? qualiter confitendum? qualiter ſperandum? quid committendum? quid omittendum? quid proſequendum? quid fugiendum? quomodo pedes lavandi? quomodo eleemoſynæ erogandæ? quomodo jejunandum?*

quomodo formandæ Orationes & gratiarum actiones? quomodo psallendum? quomodo ad S. Cœnam accedendum? quandiu in vinea Domini laborandum? quando sabbatizandum? ubi gaudendum? ubi dolendum? ubi loquendum? ubi tacendum?

III. Vigilando Marc. 13. v. 37. *ob varios Satanismos supra nos, infra nos, intra nos, circa nos* Matt. 7. v. 27. Marc. 7. v. 23. 24. Jac. 1. v. 13. 1. Pet. 5. v. 8.

IV. Sacrificando. *Quia verus Christianismus est talis Regalis Pontificatus, in quali clunaculis Jejunii sancti acutis Electi universas gulæ, superbiæ, avaritiæ, invidiæ, vindictæ & cujusvis alterius anomiæ bestias jugulant, Deum suum in Spiritu & Veritate adorant, & tam in asperis quàm in prosperis victimas labiorum eucharisticas immolant.* 1. Pet. 2. v. 9. Esa. 58. v. 6. 7. Matt. 6. v. 17. Joh. 4. v. 23. 24. & Heb. 13. v. 15.

V. Pugnando *ad Victoriam usque* Jac. 1. v. 12. Luc. 13. v. 24. 2. Tim. 2. v. 3. 5. 11. 12. 2. Tim. 4. v. 5. 7. 8. Apoc. 2. v. 10. *Quia ferè nemini ante militarem pugnam & victoriam Imperator cælestis Triumphalem solet dare Vitæ æternæ Coronam.* Hinc isthac novâ, inaudita & rarâ parentatione parentavit Jacobus Strada Imp. Michaëli Paphlagoni: *Christianissimè mortuus est.* Est autem secundum misericors Christianæ Charitatis Judicium Christianissimâ Morte dignus, qui ante mortem in se vermem vitiorum roden-

dentem enecat, offenſas proximo condonat, Teſtamentum æquum ac bonum ordinat, Paſcha Sanctorum ſupremum celebrat, Paradiſum celeſtem prægustat, & Spiritum ſuum Deo commendat atque renidente ore exſpirat, Act. 7. v. 16.

§. 5. Reliqui connituntur antiquitates effodere vel ex cæcis montium viſceribus, vel ex mortuorum ſepulchris, vel eruere ex collapſis vetuſtorum murorum, arcium, turrium & ædificiorum ruderibus, vel inquirere ex annoſis arboribus, ſtatuis, pyramidibus, fornicibus, cylindris, columnis, canalibus, lapidibus, codicibus, numiſmatibus.

§. 6. Numiſmata quidem Imperatorum Romanorum nulla conſpicias, in quibus repræſentetur vel innocentiſſimus *Abel* à fratre Cain trucidatus, vel *Columba* pacificum Olivæ ramuſculum in arcam Noæ inferens, vel crucifixus *Agnus Dei*, qui tulit peccata Mundi: Videas tamen præter aquilas, gryphos, crocodilos, leopardos, urſos, leones, tigrides, lupos & conſimilia animantia nocentia in Numis Cæſareis etiam multas Icones Materiam noſtram Triumphalem illuſtrantes, juxta illud Crucii in ſuo Mercurio. l. 1. ep. p. 69. *Non currenti, ſed decurrenti laurea decernitur.*

§. 7. Habetur enim Numiſma *Valenti-*

niani, in quo conſpicitur Imperatoris ſtatua loricata & paludata, dextra aliam ſtatuam genibus flexis precantem, orantemque corona turrita elevans, ſiniſtra Victoriam ferens cum Inſcriptione: PRÆPARATIO REIPUB.

§. 8. Habetur Numiſma *Gratiani* referens Victoriam alatam, ſtolatam, dextrâ coronam lauream, ſiniſtrâ ramum palmæ tenentem, cum inſcriptione: SEVERITAS PRINCIPI JUVENTUTIS. Juventus autem Palatina illa evadet olim inſigniter glorioſa, quæ jamdudum evadit tam conſcientioſa, ut ne patriæ quidem causâ velit quicquam fœdi contra Jus faſque perpetrare, neu Euphemo apud Thucydidem ſic blateranti auſcultare: *Regi aut Civitati imperium habenti, nihil injuſtum, quod utile.*

§. 9. Habetur Numiſma *Firmi* Nob. Cæſ. in quo conſpicitur Imperator Trophæis inſidens, dextrâ Victoriolam alatam temens, ſibi Coronam imponentem, ſiniſtrâ telum, cum inſcriptione adulatrice: ROMA ÆTERNA.

§. 10. Habetur Numiſma, in quo contuearis Currum Triumphalem, cum Inſcriptione: Germanicus Cæsar; juxta illud Valerii Maximi: *Omne præclari facti decus crebrâ memoria in ſeipſo revireſcit.*

§. 11. Habetur Moneta *Caii Caligulæ*, in qua cernitur talis *Corona Exploratoria*, quali in Expeditione Germanicâ, devictis hostibus, milites Victoriæ participes donaverat, ex lauro confecta, distincta ⊙ & ☽ siderumque specie. In medio coronæ se exhibent Trophæa ex varii generis armis congesta, cum inscriptione: VICTORIA DE GERMANIS. S. P. Q. R. juxta illud Fr. Petrarchæ: *Virtutem cole, dum vivis, famam invenies in sepulchro.*

§. 12. Habetur Numus *C. Julii Cæsaris* repræsentans Imperatorem coronâ laurea ornatum, dextraque ramum lauri tenentem, stantemque in curru triumphali, qui Elephantis IV. trahitur.

§. 13. Habetur Numus *Procopii* Cæs. Aug. qui repræsentat Cæsarem stantem in suggestu, & militibus concionantem, cum inscriptione hujusmodi: EXERCITUS INVICTUS.

§. 14. Habetur Numus *Posthumii Junioris* Augusti, in quo stat statua *Æsculapii Autolai Nothi* comata, barbata, pectore seminudo, dextra baculum, serpente circumvolutum tenens conspicitur, cum inscriptione: SALUS EXERCITU, juxta illud Macrobii Aurelii Theodosii l. 1. Sat. c. 20. *Est Æsculapius vis salubris de substantia solis, subveniens animis corporibusque mortalium. Salus*

autem naturæ lunaris effectus est, quo animantium corpora juvantur à salutifero firmata temperamento. Ideo ergo simulachris eorum junguntur figuræ draconum, *quia præstant ut humana corpora velut infirmitatis pelle deposita, ad pristinum revirescant vigorem ut revirescunt dracones per annos singulos pelle senectutis exutâ.* De *Æsculapio* autem hoc (cujus filii credebantur esse *Machaon* & *Podalirius*, filia autem *Salus*) inter cætera porrò poëtantur; *Ipsum ab Apolline patre ex Coronide matre esse progenitum, in monte Titthæo expositum, à capra nutritum, à cane custoditum & tandem ab Aristane pastore repertum & pro novo* Numine *servatum ob irradiantem verticis ac vultus splendorem*; Chironi *Centauro Thessalo deinceps à Mercurio traditum Medicinæ incunabula didicisse, uberiorem autem ejus cultum ab* Api *præcipuo Templi Ægyptii ministro combibisse & perfectionem ab* Apolline *parente perdidicisse, & sub hæc præ sacra auri fame omnem orbis regionem circuisse & ubique venale* ἀξίωμα *studiumque suum languentibus prostituisse & ad postremum ob scientiam inflatum apud Epidaurios se* Deum *nominâsse, & jactasse;* se vel mortuos posse ab inferis excitare, *atque ad prævias Plutonis querimonias ob tantam vanæ gloriæ arrogantiam cælesti Jovis zelotæ fulmine ictum miserè conflagrasse & animam arrogantem efflasse, prout notant notarum scriptores ad illud Virgilii* 7. Æn.

Nam-

Namque ferunt famâ, Hippolytum, postquam arte novercæ
Occiderit, patriasque explerit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Ætheria, & superas cœli venisse sub auras,
Pœoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.
Tum Pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem Medicinæ talis & artis,
Fulmine Phœbigenam Sygias detrusit ad undas.

Variis autem in locis hoc animal superbiæ Medicæ mortale pro Numine post mortem suam à cæcigenis Ethnicis colebatur, præcipuè autem Romæ in insula Tiberina, quæ talem Biremis formam habere videtur qualem accepisse consabulantur ab eâ navi qua ille Archiater Romam advectus esse vulgo credulo creditur, prout elucet è Mythologia Johannis de Montlyard, qui ex Natali Comite l. 4. c. XI. *ad nominatissimum illum Principem Condæum* Henricum de Bourbon *anno* CIↃ IↃXCIX. *sic scripsit* : Ovide au XV. des Metamorph. dit, qu' Æsculape se transfigura un jour en Serpent. Car

comme la peſte affligeoit une fois cruellement la ville de Rome, ſi que tout le ſçavoir & experience de leurs Medecinis ne pouvoit apporter aucun ſoulagement à leur mal : adonc ils deſpeſcherent une Ambaſſade vers Apollon à Delphes pour avoir ſon advis & conſeil : lequel leur fit reſponce qu'ils n'avoient qu'à s'adreſſer à ſon fils ; & ainſi les renvoya à Æſculape. Alors le Senat Romain fit une ſeconde deſpeſche en Epidaure : où les Ambaſſadeurs arrivez expoſerent au Conſeil de la ville le Subject de leur legation, ſupplians vouloir faire ceſte faveur & courtoiſie aux Romains de leur donner Æſculape, pour avoir gueriſon de la maladie qui les tourmentoit ſi indignement que leurs bourgeois & citadins mouroient à gros tas ſans ſecours ne ſoulagement quelconque : adjouſtans pour plus vray-ſemblablement les inciter à condeſcendre à leur requeſte, la reſponce qu'ils avoient eüe de l'Oracle. La choſe miſe en deliberation les voix & opinions furent fort diverſes ; les uns accordans cette courtoiſie & charité ; les autres la refuſans, remonſtroyent qu'ils en pourroyent peut-eſtre avoir affaire pour telle neceſſité, & ni le pourroyent recouvrer aſſez à temps. En fin l'affaire fut ſi longuement & ſi doubteuſement diſ-

puté

puté que le jour se passa sans rien conclure. La nuict suyvante Æsculape parut en songe au chef de l'Ambassade Romaine, tenant de la main gauche un baston enlacé d'un Serpent, & de la droite agençant sa barbe. Si luy fit promesse de quitter son Temple d'Epidaure desguisé en Serpent, & s'en aller avec eux à Rome. Et de faict si tost les Ambassadeurs esveillez se furent mis en prieres & oraisons pour sçavoir de luy s'il desiroit qu'on luy dressast là quelque autel au nom de la Republique des Romains, ou s'il auroit patience jusqu'à tant qu'il fut arrivé à Rome: voycy qu'ils apperçoivent dedans ledict Temple un grand Serpent sifflant si estrangement que tout le Temple en fut esloché & croula depuis les fondements jusques au faiste, si que son autel & son image, & toutes les reliques du Temple en furent esbranlées. Il avoit en outre les yeux si resplendissans de feu que les Romains en furent grandement effrayez. Mais le Prestre recognoissant ceste Transfiguration les asseura qu'ils auroient bonne & favorable issüe de leurs souhaits, & exhortant d'adorer ce Dieu devotement, ils s'en mirent en devoir: lequel pour tesmoigner qu'il exauçoit leur priere, faisoit bransler la creste qu'il avoit sur la teste; & se prit derechef à sif-

ſercomme auparavant. Puis devant que ſortir du Temple il ſe tourna de coſté & d'autre comme diſant *A Dieu* à ſes autels & meſmes à tout le baſtiment. Delà il paſſa à travers la ville au veu & ſceu des habitans, leſquels l' accompagnans il ſe traina tant qu'il arriva au port, où eſtoit le navire des Romains, dedans lequel il entra volontairement: leſquels ayans ce qu'ils deſiroyent, firent voile & reprindrent leur voute, tant qu'arrivans à Rome par le Tybre, ſa venüe ouïe, il fut receu en tout honneur & reverence par le Senat & tout le Peuple accompagné des Dames & Veſtales, avec pluſieurs ſacrifices & encenſemens, ayans pour ceſt effect dreſſé pluſieurs autels ſur la greve: durant leſquels comme il contemploit de coſté & d'autre la ſituation du païs, il apperceut une belle iſle ſur le Tybre, dedans laquelle (monſtrant qu'il vouloit choiſir ce lieu pour ſa demeure) il quitta la forme de Serpent & reprint la ſienne divine. Ainſi par la venue de ce Dieu ceſſa la peſte à Rome. *In illa autem Inſula fingitur* hic Impoſtor *in manu habere* baculum nodoſum, *quo innuunt difficultatem Medicæ artis*: laureâ coronatus, *quod ea arbor ſit plurimorum remediorum*; *&* Draco *ejus cuſtodiæ additus, quæ res ad utramque hominis valetudinem maxima eſt*, juxta cre-

crebrum illud Ciceronis ad ſuam Terentiam: *Valetudinem tuam cura diligenter.* Diligentius autem curetur Valetudo animæ, ut Conſcientia per Agnum Dei Crucifixum ſemel ſanata ne denuò vulneretur, vel cauterio notetur.

§. 15. Habentur denique Nummi Impp. *Conradi Saliqui* & *Michaëlis Paphlagonis*; quorum ille repræſentat mulierem ſtolatam, dextrâ ramum olivæ, ſiniſtrâ haſtam ferentem, cum inſcriptione: PAX PERPETUA; hic verò continet effigiem Salvatoris, dextra globum, ſiniſtrâ librum tenentis, ſolioque inſidentis, additâ cum inſcriptione: CHRISTUS PAX VERA. Vera autem hæc Pax à Mundo, cujus Princeps eſt Diabolus, nunquàm conſpicitur neque cognoſcitur Eſ. 48. ℣. 22. atque c. 57. verſ. 21. ſed quoad ejus fieri poteſt, pervertitur & eluditur: quia tranſcendit in tantum vel ſubtiliſſimum quemque naſutæ ac acutæ rationis mundanæ captum, ut Mundus nequam nequeat ſponſam Regiam diligere quam nequit intelligere; ſed malit ſuas Religiones Babylonicas diligere, juxta illud Philonis Judæi Alexandrini: *Religio ſua cuique videtur optima, ut quæ non ratione, ſed affectu dijudicatur.* Plura adderem, ſed cum in Mundum invitum (qui jacet totus in *Falſæ Pacis* ſterquilinio tanquàm

quàm porcus in volutabro) nequeat conferri beneficium, facile abs quovis benevolo Lectore excusabor, ob illud ICtorum l. 50. ff. de R. J. *Culpâ caret, qui scit, sed prohibere non potest.* Potest enim nemo Potentatuum prohibere, quominus tam Pontificii concordantes malè quàm Protestantes discordantes bene (absit *Nemesis* adverbio) se cognominent *Orthodoxos*, cùm tamen non plures unâ possit esse Ecclesia Catholica Orthodoxa, ob illud Aristotelis: *Plus uno nequit Verum esse.* Ah *cæcitatem!* Matt. 6. v. 23.

§. 16. Quamvis igitur, si antiquæ Coronarum origini (quæ per aliquammulta retrò secula ad *Janum* bifrontem inventorem à plerisque transscribi adsolet) insistamus, nullatenus inficias eamus; Triumphantium coronas primitus fuisse laureas: postmodum tamen illas exstitisse aureas, petas ex A. Gellii l. 15. c. 6.

§. 17. Atenim ita aurum sæpè lauro erat ornamenti gratiâ superinductum, ut, etsi coronæ auro elaboratæ magis conspicuæ forent, laureis neutiquam locus adimeretur. Nam quemadmodum laureati Triumpho milites aderant, ut annotant Philologi ad illud Ovidii:

Ite, triumphales mea tempora cingite lauri,

& nihilominus vallares, murales navalesque insuper aureas aut ipsimet Imperatores gesse-

gesserunt, aut ad minimum sibi in Triumphi symbolum præferri jusserunt: Ita Imperatores dum sibi Triumphum solemni ritu peragerent, laurea aureaque pariter coronâ exornabantur, ut edocetur è Livii lib. 10. mihi pag. 285. col. 2. ubi commemoratur *de toga prætexta, tunica palmata, toga picta & corona triumphali laureaque.* Lauro olim ille malignus malignæ Conscientiæ Imperator *Caligula* ad minima quæque tonitrua caput obvolvebat, credens, hanc plantam cœlo esse tam amicam, ut nullo unquam fulmine afflari queat. Quòd quum fulminans Divina Ira nullum lauri aut auri idolum curet, sed suo tempore in quodvis caput nequam se penetret; longe tutius gaudet, qui Conscientiâ maculosâ, dubiosâ, formidolosâ & scrupulosâ caret. Emaculata enim Conscientia est talis secura laurea, qualis sanctè ridet omnia Mundi & Orci fulgura.


§. 18. Coronam autem auream, cui res præclarè ab Imperatore gestæ conspiciebantur insculptæ, fuisse tanti ponderis, ut vix à toroso lacertorum validorum bajulo bajulari posset, Juvenalis innuit, dum cecinit:

——— ——— — *magnæque coronæ*
Tantum Orbem, quantæ cervix non sufficit una

Quippe

Quippe tenet ſudans hanc publicus, & ſibi Conſul
Ne placeat, curru ſervus portatur eodem.

Tali Coronâ Triumphali triumphabunt præſtabilioribus olim in illo Regno (de quo ſcribit Auguſtinus de tripl. hab. c. 1. t.9. col.810. *Regnum Dei eſt omni fama majus, omni laude melius, omni ſcientiâ innumerabilius, omni gloriâ excellentius*) illi, qui vocati fuerint ad nuptias Agni, poſteaquam ſecuti fuerint veſtigia Agni Apoc.14. verſ.4. Ad quem locum piè alluſiſſe videtur *Leydenſe Conſiſtorium Eccleſiaſticum*, dum ſibi hujuſmodi effingendum curavit ſignaculum protrepticum:



§. 19. Cæterum Coronam Civicam civis civi condonabat, à quo ereptus extremo discrimine erat, ut palam tali teste testaretur, cui suam salutem deberet, & vitam suam acceptam referret. Ea autem contexebatur è frondibus iligneis: quippe quoniam antiquitus Quercus glandifera (quæ erat Arcadum amica, & non Jovi modò, sed ejus quoque germanæ atque uxori Urbium præsidibus dicata) esuritioni consulebat humanæ. Quò respexit non tantum Claudianus, dum in laudib. Stilicon. c. 3. præscripsit:

Mos erat in Veterum castris, ut tempora quercu
Velaret validis fuso qui viribus hoste
Casurum potuit morti subducere civem;
At Tibi qui poterit pro tantis Civica reddi
Mœnibus? aut quæ Te pensabunt facta Coronæ?

Verum etiam Ant. Thylesius Consentinus in Comment. de Coron. §. Reddebatur. ubi ait: *Pia erat Civica nec ingloria, quâ qui Civem, unde nomen nacta est, ab hostibus circumventum magis alterius quàm sui capitis memor liberâsset, magnificis verbis pro concione laudatus à Duce suo laudabatur.* Hæc Corona (quantumvis aliàs fuisse *lignea*, aliàs *esculea* perhibeatur) aureæ illi, quæ olim *Demosthem* adjudicata fuit, antehabebatur. Eâ dignum *L. Gellius Censorinus M. Tullium* frequenti

quenti Senatu pronunciavit, patefacto pariter atque oppresso scelere Catilinario. Hanc autem, servato parente, non minus modestiæ quàm pietate & fortitudine clarus adolescens P.C. *Scipio* Carthaginiensium domitor repudiavit. Hâc Corona indignũ se reddidit Hercules, juxta illud Melanchthonis: *Chalcidensis ille Lyricorum Princeps* Linus, *qui primus liberales doctrinas ex Phœnicia in Græciam attulisse scribitur*, Herculem *literas & Musicam docuit: quem adolescentem cum objurgaret colendus ille præceptor, discipulus iratus & ingratus tabulam, in qua literarum characteres pinxerat, capiti objurgantis tantopere illisit, ut amplius non objurgârit, sed actutum exspirarit:* cum tamen Deo Creatori, pio genitori, idoneo præceptori, & probo animarum pastori non possit reddi ἰσόῤῥοπος. *Ingrati* autem *omni ope divinâ humanaque indigni videntur*, ut colligas ex oratione oratorum Campanorum ad Senatum Romanum apud Livium l. 7. Inter cæteros autem *Lini* versus superantes hi in *Spem* ambo olent magis lucernam Christianam quàm Ethnicam:

Ἔλπεσθαι χρὴ πάντ᾽. ἐπεὶ οὐκ ἔστ᾽ οὐδὲν ἄελπτον.

ῥάδια πάντα Θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.

Quid? quòd sua cuique militi Christiano Corona Civica à supremo Imperatore Chri-

Christo post hanc vitam in Ecclesia Triumphante non denegabitur, qui jam in Ecclesia Militante tam bene stabit & tam legitimè pugnabit, ut superet & demonstret, suum πολίτευμα esse in cœlis Phil. 3. ℣. 20. Hac Coronâ se indignos commonstrârunt, de quibus sic legitur Psal. 78. ℣. 9. *Posteri Ephraimi armati, arcu jaculantes, prælii tempore terga vertebant.* Doleo vicem magnæ illius stellæ è cælo Ecclesiastico delapsæ, cujus hanc facit mentionem Epiphanius: *Doctissimus ille vir* Origenes Adamantius *sub ipsa concione, quam ad frequentem populum habebat, ad illud Psalmi* 49. vers. 6. *pervenit: Peccatori autem dixit Deus*; Quare tu enarras *Justitias meas*, & assumis *Testamentum meum* per os tuum. *Hîc Origenes Conscientia, velut terra movet insolito succussu. Nam Origenes librum, quem manu tenuerat, clausit, & ubertim illachrymans abiit è cathedra, quod meminisset, se Alexandriæ vi Tyrannidis attractum Diis obtulisse thura: Auditores omnes sui Oratoris miserti cum flente flentes concionem solverunt.*

§. 20. Muralis autem Corona ex auro in formam muralium pinnarum conflata nemini nisi illi ab Imperatore exercitus dabatur, qui primus vi & armis animosè hostium mœnia in urbem transcenderat. Coss. Romanos Livius lib. 30. inter cætera vocat *Muralibus insignes Coronis*, Quot autem

tem

tem Coronis Muralibus Romanus ille Achilles *L. Sicinius Dentatus* gavisus olim fuerit, jam supra cap. IX. commonstravimus. Coronam Muralem hodieque in Ecclesia Militante nanscisccatur ille, qui inter quosvis Satanismos cum Psalte psallit Victor: *Ego per Deum meum transilio murum.* Murali istiusmodi Coronâ se olim *Joseph* ille castus dignum præstitit, ubi appetentem heri sui partem adulterare noluit; sed aufugere ab accensa illa gehenna sub umbram divinarum alarum maluit, juxta consilium fidelis Poëtæ Catecheticum:

Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?
Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas

cum illis furum furibus omnibus, qui per cunctabundum *adspectum* perveniunt ad inflammantem *affectum*, ab inflammante affectu ad libidinosum *tactum*, & ab libidinoso tactu ad nefandum *actum*, ut loqui amant ICti. Si enim lacessitus servus cum illiciente hera rem clam habuisset, Prorex Ægypti non evasisset, sed Spiritum Chrismatis sui cœlestis ardentem & lucentem extinxisset & homo trium literarum infamis apud solem Justitiæ oculatissimum audiisset, juxta illud Phocylidis interdictum: Μήτε γαμοκλοπέειν. Quia furem furum agit, qui clam alterius uxorem permolit & nullus perpendit quod

Læta

Læta Venus veniens tristis abire solet.

Nemo autem unus Coronâ tali facilè gaudebit nisi quicunque in loco & tempore talem artem condidicerit, de quali ex ore sponsæ ad sponsum fit mentio in Cantico Canticorum hac benevolentissima allocutione: *Fuge, dilecte mi, & assimilare capreæ cervorumque hinnulo salienti in montibus aromatum.* Percalluit hanc artem Propheta Habacuc confitens c. 3. ℣. 20. *Jehovi Dominus robur meum est, qui disponit pedes meos tanquam cervarum, & super excelsa mea facit ut incedam.* Percalluit quoque hanc artem ille aëripedis cervi æmulus Propheta Regius *David* qui Psal. 119. vers. 32. Deum suum sic alloquitur: *Ego percurram præceptorum tuorum viam, quum meam dilataveris animam.* Percalluit hanc quoque artem Apostolicus ille gentium Doctor qui 2. Tim. 4. vers. 7. sic insit scribere: *Certamen illud præclarum decertavi, cursum consumnavi, fidem servavi &c.* O saltatores saltatorum! Saltandi hac arte quoque imbutum fuisse arbitreris Theologicum illum Jesuiticæ militiæ Tribunum *Drexelium*, quippe qui inter cætera sic notissimos quosque suæ sibi turmæ commilitones alloquitur part. 3. de Christo moriente cap. 5. §. 7. mihi pag. 356. *O Veri Policiti! O falsi Christiani! O pii Pharisæi, qui omnia religiosis vestris ceremoniis metimini, qui consilia vestra*

vestra soli Fortunæ applicatis, qui ad omnem illius motum vos movetis, & utcumque est ventus, exin velum vertitis. Et in Antigraph. hom. c. 4. pag. 938. ubi cumprimis Conscientiam multorum Jesuitarum & aliorum Papistarum Pharisaicam Lectores suos sic docet cavere & propriam curare: *Conscientiam Pharisaicam* appellamus, *quæ camelum glutit, percolat autem vinum in quod fortè illapsa est musca. Hoc genus hominum Christus singulariter notans* Matt. 23. ℣. 23. Væ vobis, *inquit*, Scribæ & Pharisæi Hypocritæ! quia decimatis mentham & anethum & reliquistis quæ graviora sunt, Judicium & Misericordiam & Fidem. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. *Judæi & eorum Pharisæi crimina capitalia non curabant, non vitabant, in minimis noxis solliciti trepidabant. Die Parasceves Pilati prætorium ingredi summæ religioni habuerunt; innocentem cruci affigere negocii nihil penitus illis facessebat. Haud absimiles reperias inter* Christianos, *quibus* grande piaculum *est, in ægroti gratiam lixæ carnis jusculum* die Veneris *prælibare, at verò alios maledictis figere, aliorum laudibus obtrectare, invicem mordere, invicem comedere & consumere, itáque humanas carnes dentibus quasi concerpere, ludus & jocus est.* Conscientia Pharisaica *ex asse. Quod B. Lucas* 11. 42. in Hebræos hypocratas scripsit, id in *Christianos hos Pharisæos di-*

dictum puta : Væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham & rutam & omne olus, & præteritis Judicium & Charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. *Narrat vir eruditus*, feminam illustrem *genibus reptantem in sacrarium ingressam*, singulari reverentiæ argumento; *illud ipsum tamen* rebus omnibus *despoliavit*. O *Christiani* Pharisæi! *qui relinquitis quæ graviora sunt Legis, in minutiis hæretis, & solidas Virtutes negligitis*. Peregrinatiunculam *omittere* magnum *censetur* nefas; *fortunis aliquem evolvere, famam illi diminuere, in ludicro & vili ponitur. Quicquid Exterioris Cultus est, omnesque Cæremoniæ accuratissimè servantur*; Interiores *Fidei*, *Amoris*, *Spei* Actiones *vix quidquam curantur. En tibi! quàm ampla etiam nunc Pharisæorum familia? Alterum ergò est*, Propriam Conscientiam *unicè* curare. *Hoc certè* Thomas Morus, *doctrinâ & sanctitate vir magnus, præstitit eximiè. Qui literis, quas è fatali carcere ad alios misit, hæc quoque inseruit* : Circa aliorum Conscientias curiosus non sum, meam solius diligenter curo. Et profectò in mea curanda (parcat

Animarum Pontificiarum Ecclesia est ceremoniarum quasi Leviticarum plena.

mihi Deus!) satis superque quod agam, inveni. *Nobile prisci ævi monitum est*:

Tecum habita, & nôris, quàm sit tibi curta supellex.

Suam quisque Conscientiam quàm diligentissimè curet. Tametsi totum Galliarum Regnum pro domo tibi sit unica, si Tecum ipse habitare nescias, *nusquam habitabis*, *etsi habites ubique. Ergo* Tecum *Habita*. Et part. 2. de Christo moriente cap 11. §. 5. nu. 3. *Ne quæso pannum nostrum tantummodò laceremus*, *sed pectus nostrum mutemus*, *erigamus illud ad alta.* Ceremoniis tam vacuis *non gaudet Deus. Ah! quanti sunt*, *qui* die Parasceves *templa obeant*, *ad Christi cenotaphia procumbant*, simulachrum Crucifixi *venerentur*, *pectus tundant*, *stipis aliquid spargant*: *hæc* signa boni luctus *sunt*, *sed* signa *tantùm* &c. Et parte 3. de Christo resurgente cap. 8. col. 2. pag. 431. *Lugentis Ecclesiæ sacrum carmen est*: Ecce quomodo moritur Justus, & nemo percipit corde. *Esa. 57. vers. 1. Verissimum. Moritur Christus*, *& quis est*, *qui hanc Mortem percipiat corde?* Iconem Crucifixi Jesu salutamus osculis. *Piè hoc*: *sed ubi* Cor? *Cæremoniis inhæremus*, *sed ubi* dolentis animus? *Crucem veneramur*, *sed quis pendentis in Cruce* societatem *ambit*? *Morientem* Christum *adspicimus*; *sed ubi commorientes*? *Ah*! Nemo *percipit corde.* Corde Petri Apostoli igitur Alexander VII.

caret, si verus Apostoli Petri successor audire gaudet, & emorientem è Mundo Christum, cujus *Vicarius* cognominari avet, nunquam ita corde percipit, ut omni pompæ mundanæ valedicat, omnia præsidia humana aboleat & ad aram crucis confixus miracula edat, latronem animæ suæ convertat, Orationem heptalogicam ad populum Romanensem habeat, pro Protestantibus (quos jamdudum irrito Anathematis fulmine afflat) preces fundat & tandem Spiritum suum in misericordes Patris cœlestis manus transcribat. *Empedocles* à paucis laudatur, quod aliquando rogatus, *Cur viveret*? sapienter responderit: *Vt cœlum adspiciam; tolle cœlum, & nullus ero*; quantò magis hodiernus Pontifex Romanensium animarum Maximus *Fabius Chisius* à multis collaudabitur, si quantocyus primos quosque sibi obvios sic convenerit: *Ego* HERI *vitam vixi inferno dignam*; HODIE *memetipsum totum à capite usque ad calcem* ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν *secundum utramque Petri Apostoli epistolam Catholicam emendabo*; CRAS *verò juxta epistolam Pauli Apostoli Canonicam ad Romanos Romam totam reformabo, & majora miracula patrabo isthac meâ tempestate in Italia, quàm Petrus ætate suâ in Palæstina.* PERENDIE *autem tria illa superbæ Magnificentiæ, sacræ Avaritiæ & præpotentis Luxu-*

riæ Tabernacula insipienter insipienti Mihi super edito Babylonicæ Vrbis monte structa desolabo, in Mundum universum emigrabo, æternum Angeli Apocalyptici Euangelium omni creaturæ prædicabo, cunctos Orthodoxos & Heterodoxos, & Judæos & Turcos & Ethnicos reliquos precibus & lachrymis ad unum unius pastoris ovile convocabo, præclarum illud Petri & Pauli B B. certamen sub crucigero Bonæ Conscientiæ vexillo Catholico constanter certabo, fidem fortiter servabo, cursum aëripedibus perseverantiæ Christianæ plantis consummabo & tandem Romam remeabo, ut ibidem inversis vestigiis crucifigar. Nemini enim suorum discipulorum magister meus summus Christus *in Testamento suo duos ita legavit Paradisos, ut uno perfruatur in hac Vita & alterum consequatur post hanc vitam. Quapropter malo ante novissimum diem evadere Martyr Christi mei in hoc Mundo transituro quàm* post extremum judicium *Martyr Diaboli in inferno æterno.* Æternâ autem animorum pacificorum Virtute totus ille prænobiliorum Jesuitarum exercitus sub Apostolico Christiani Amoris signo florebit, quibus præ ignobiliore Lojolitarum sanguinolentorum Turbâ Magnâ

De meliore luto finxit præcordia Titan,

& οὐρανόθεν Deus instillavit, ut venerabili Patri suo laudato *Drexelio Jeremiæ* Macaritæ humiliter auscultent, cujus vox exaltata tanquam tuba ipsos in Zodiaco sign.

Præ-

Prædeſtination. IX. ſic alloquitur: *Euangelicus ille paterfamilias voluit frumentum & lolium unà ſurgere.* Sinite, *inquit*, utraque creſcere, ſed uſque ad meſſem. *At nos præproperi & in perniciem noſtram feſtinantis ingenii homines, ut primum noxiam herbulam conſpicamur, mox clamamus*: Carduos ad ignem, ad flammas lolium, inimicos ad Orcum. *Lentius, ô boni, lentius! Non ſic licet ante meſſem in agros graſſari. Tempore meſſis dicetur meſſoribus*: Colligite ea in faſciculos ad comburendum. *Cur ergo vota noſtra damnamus ipſi, tam malè feſtinato impetu, quid inimicos ad pœnas raptamus? Hoc genus lolii falcem & ignem non effugiet, ſed nondum eſt meſſis.* Chriſtiana Charitas facilè excuſat errorem hominis, ubi interlucentem ſpectat candorem hominis, uſqueadeò uti exclamet: O *candidius permultis aliorum Jeſuitarum pectoribus pectus! O excellentiſſimum Lojolitarum præſultorem!* Præſultoris hujus veſtri Pacifici Pacificam Artem, ô vos reliqui Jeſuitæ, ite, ut primo quoque die aut nocte tam perfectè condiſcatis, ut veſtro inconſiderato Domino Papæ ex nominatiſſimo illo Papiſticæ veſtræ Confeſſionis Confeſſore *Johanne Fero* eruditè ac candidè perſuadere valeatis, *quod non omnes* Hæretici *comperiuntur, qui à vulgo Romanenſi Hæreſiarchico* Hæretici *dicuntur*. Tunc enim Corona veſtra

Muralis expers erit tantæ maculæ, quantam eo die *Eusebius Pamphili* adspersit suæ, quo in Chron. lib. post. p. 160. sic scripsit: *Petrus Apostolus, cum primus Antiochenam Ecclesiam fundâsset, Romam mittitur, ubi Euangelium prædicans* XXV. *annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat.*

§. 21. *Castrensis* verò Corona, *Palata*, seu *Vallaris* itidem ex auro confecta à Summo Militiæ Præfecto donabatur illi commilitoni, qui primus inter oppugnandum occuparat hostile vallum. Tali inter cæteros Corona Vallari gloriosè triumphabit, qui animosè pugnabit & generosè superabit, quando ipsum Mors hostium ultimus circumvallabit, oppugnabit & coangustabit. Notum est Inferni ingenium, cuniculi & strategemata. Dum in hoc terrarum orbe vitam colimus, nunquam ab insidiosis Satanæ Tentationibus tuti securique evadimus, quippe qui se nunc in draconem deglutientem, nunc in leonem rugientem, nunc in vulpem ablandientem, nunc in apocalypticum Lucis Angelum transfigurare callet. Etenim verò vaferrimus hic hostis noster tum nobis solet maximè insidiari, cum videtur maximè feriari. Non enim unquam pervigil ille machinator interquiescit, neque inducias adpromittit, neque pugnam intermit-

mittit, ut militiæ ac malitiæ suæ capitalissimæ finem faciat, sed ut nos vigilantes ac pugnantes sub benedicto Imperatoris nostri Crucifixi labaro commilitones in tales dormitantes, luxuriantes & imbelles calones convertat, quales inter medias securitatis incuriosæ incuriæque securæ delicias atque ocia ignava violentissimo insultu repentè obruat sibique subjiciat. Quid quæris? Hic inimicus homo est talis antiquus draco, ut eorum insidietur calcaneo, quorum nequit nocere cranio. Certè nunquam in nos acriore furore insurgit, quàm cum pugnæ finem imminere comperit. Si enim ille nobis in ultimo vitæ nostræ conflictu per emissarium illum Equitem suum cadaverosum *Thanatum Adorophagum* Victoriam, quam jam spe habebamus in manibus, potest extorquere è manibus; certè nostra corpora, animas ac famam per Triumphum ducet æternum Victor ac Lictor pro captivis mancipiis in tale ergastulum infernale, ut nemo inde exeat & redeat, qui semel intrat. Quia ex inferno nulla datur aut speratur redemptio. Quapropter nullo totius suæ militiæ milite magis delectatur Princeps Mundi & Inferni *Pancacus* quàm effronte, audace & rapace Morte. Mors enim ad omnem ipsius nutum & votum terra marique o-

minibus omnia rapit: mendicum & magistratum juxta habet, parcere aulis & caulis nescit, sed pari vi procul ullo status, sexus, ætatis atque autoritatis delectu Theologos, Medicos, Jurisconsultos, Philosophos, Musurgos, expertissimos Thalassiarchas, fortissimos belli Duces, Reges, Imperatores, senes cum juvenibus & infantibus lactentibus, Reginas, Dominos illustres, bellas puellas, sordidatas ancillas & virgines nubiles tanquam segetes falce suâ avarâ jamdudum demetit & nondum usquam dicit: *Sufficit.* Sufficit autem cuivis Christiano ad ultimam palæstram benè præparato præter cætera credenda credere, quod sibi *dies mortis momentanea* sit *natalis vitæ æternæ*, juxta illud vatis Christiani credentis & confitentis:

Mors hæc Reparatio Vitæ est.

§. 22. Quicunque verò prælio navali inter invadendum ante alios socios primus armata manu in oppugnatam hostilis classis navem transilierat, *Coronâ* aureâ *Rostratâ* seu *Navali* cohonestabatur, quam ad instar prorarum navalium Dux donator conficiendam curârat. Talem Coronam hodieque promeretur, qui in Ecclesiasticis Jehovæ bellis emissariam hæresiarcharum sophisticantium classem primus involat, impugnat, superat. Quid namque aliud

aliud ſunt evulgati Præadamitarum, Socinianorum, Quaquerorum & id acus aliorum Antichriſtorum novorum Codices quàm enavigantes papyracei ex Tartareo Diaboli mendacis Cocyto myoparones ad capiendas perdendaſque tales indociles & incautas animas, quales nondum rectè condidicerunt illud Chriſti magiſtri: *Eſtote prudentes tanquam ſerpentes, & ſimplices tanquam columbæ.* Columbinæ quoque ſimplicitatis pariter atque ſerpentinæ calliditatis tincturâ imbutos olim fuiſſe illos credas, qui libros libris memoratis affines, flammis exurebant. Act. 19. verſ. 19. Exurebat etiam, forſitan ad imitationem iſtiuſmodi zeli, zelus *Lutheri* Albimontanus 4. Id. Decemb. anno c I ɔ I ɔ x x. libros nonnullos Tiberinos, ut elucet ex tom. 1. Jenenſ. mihi fol. 353. Comburere autem videtur Deum in cœlis cum toto Mundo & omnibus quatuor elementis, quando Inquiſitio Papalium animarum Cacozelotica mancipat tranſlata Orthodoxorum Biblia & Theologica monumenta edacibus Vulcani flammis, ob illud Origenis Adamantii: *Scriptura divina eſt Mundus intelligibilis, cujus quatuor ſunt Elementa:* Terram *Hiſtoria*, Aquam *Ethica & Moralis ſenſus*, Aerem *Phyſica*, Ignem *Theologia & Divinæ Majeſtatis Contemplatio repræſentat.*

Hodiè autem, præter cæteros, hujusmodi Corona Triumphali triumphet Triumphus Veritatis *Rulæi* qui pro virili primus nostratium Protestantium expugnavit navem falsitatis pertinacissimi illius promachi occæcati *Johannis à* Papistica *Cruce*; quem Dei misericordia donet Euangelicâ luce. Luce enim hac illustratus *Saulus*, evadet beatus Vitæ æternæ Candidatus *Paulus*.

§. 23. Obsidionalem denique Coronam universus militum exercitus illi Duci victorioso, à quo in summa desperatione ab Osidione erant sua ipsorum castra liberata, donabant. Atenim quanquam isthæc Corona duntaxat è viridi connectebatur gramine inde decerpto, ubi legiones & phalanges obsessas liberator liberaverat, juxta illud Ant. Thylesii Consentini comment. de Coron. *Hac universus exercitus obsidione receptus Ducem liberatorem suum tanti beneficii memor gratias suppliciter agens exornabat gramine indidem in coronam decerpto, ubi obsessus fuerat ipse, sive vallo castrisque inclusus, sive murorum ambitu.* Illa tamen præ cæteris præstabilibus præstabilioris existimabatur excellentiæ ac nobilitatis tantæ, ut Plinius lib. XVI. c. 4. ausit prodere: *Gramineâ autem coronâ nulla planè nobilior fuit; gemmatæ, aureæ, vallares, murales, civicæ, triumphales, post*

post hanc fuere. Fuit quippe hæc *graminea*, prout Aringhus eximiæ eruditionis vir ad Ferdinandum III. Imp. anno cIↃ IↃ CLI. scripsit, contestando; *nulli nisi ab universò exercitu olim decreta, cæteræ vel ab ipso Imperatore concessæ sunt, cum unam hanc haud Imperator militi, sed ipsimet Imperatori miles donaret.* Donatum enim hac Dei sui bellatoris gramineâ, veluti Martem alterum venerabantur & exquisito quodam ac divino prosequebantur Romani honore. Donabatur hac olim *P. Decius Mus* Tribunus plebis, posteaquam exercitum in angustiis Gauri montis insidiis hostium Samnitium clausum, succurrens liberaverat, teste *Aurelio Victore* lib. de Viris illustr. Urb. Rom. pag. 61. Decreta hæc quoque olim fuit per S. P. Q. R. *Fabio Maximo* Dictatori Verrucoso, cum eo auspice ac duce ex Italia esset atrox Carthaginiensium diritas ejecta. Donatam autem istiusmodi Coronam quoque esse aliis ab aliis, petas è Perotto & Paradino; quippe qui insuper commemorant, per *Gramen* quamvis denotari *herbam*; nec non summum Victoriæ signum apud antiquos fuisse; *Herbam porrigere victos.* Victarum autem Portarum Stygiarum Victori ac Triumphatori Imperatorio *Christo* crucifixo præ cæteris cunctis nos congratulantes ac jubilantes commi-

litones *Coronam Obsidionalem* summam summâ grati animi pietate decernamus & deferamus. Et quemadmodum enim Aquila volatilium Rex nonnunquam pro pullis suis liberandis ungue & rostro pugnat & ex rapto victitat: Ita Imperator summus *Christus* Rex cælitum Victoriosus flagrans amore liberandi suam sponsam electam *Ecclesiam* ab obsidentibus innumeris Potestatibus hostilibus Tyrannicis advenit, vidit, conflixit, occubuit, vicit, exarmavit, spolia detraxit & totam captivitatem Phlegethontæam, Mundum Elephantum, Mortem Leonem, Peccatum Basiliscum, Diabolum Crocodilum & Infernum Cetum gloriosè ante Currum Triumphalem duxit, quando è sepulchro resurrexit & cælos conscendit, juxta illud Augustino à plerisque adscriptum: *Adscendit ad Patrem per id quod homo erat, sed mansit in Patre per id quod Deus erat. Adscensionis ergo Dominicæ inclytum & regale Mysterium, quod Christus terram levavit ad cælum, totus canit mundus, & festis agit gaudiis Triumphos Domini, quia erexit à terra inopem, & de stercore exaltavit pauperem, eumque levavit ad Patrem. Pavet omne cælum, mutantur astra, concurrit confestim fulmineus ille Militiæ cælestis exercitus. Vident Regem suum vivæ carnis manubias reportare, atque hoste debellato hominem in superna conscendere, agno-*

scunt

ſcunt in cicatricibus ſigna bellorum : adorant in carne vulnera jam ſanata, ubi nihil peccati macula extinxerat, nec quidpiam ſuâ virulentiâ gravidus ille veneni draco vomuerat. Serpens enim veſtigium in petra non figebat. Plaudunt agmina, tubæ ſonant, lætis ſe miſcentia blanda modulamina choris funduntur. Fundamus itaque & nos noſtrum ἐπινίκιον Triumphale accinentes præcinenti ſymphonico Angelorum cæleſtium choro in immortalem Liberatoris noſtri triumphantis honorem : *Io Triumphe! Io Triumphe! Io Triumphe! Triumphet hoſtes ſuos & noſtros noſter Imperator, Victor ac Triumphator ex hoc Nunc uſque in ſecula ſeculorum. Hæc eſt dies illa feſta ac glorioſa, quâ nunquam mundo illuxit major ulla, jubilemus & gaudio triumphemus in ea.* Confuſus jam eſt *Mundus vulpinus* in Principe ſuo lupino per Leonem de tribu Juda, & *Mors Tyrannica* abſorpta eſt in Victoria. *Minax Munde*, ubi eſt potentia tua? *Atrox Mors*, ubi eſt ſtimulus tuus Peccatum? *Pugnax Diabole*, ubi eſt Victoria tua? Non es jam niſi talis *Cerberus* catenæ tenebrarum pœnalium æternæ adalligatus, qualis quidem adſoles quoſvis prætereuntes viatores allatrare, ſed neminem potes morſicarre niſi omnem tibi ſic appropinquantem, ut valeas in eum involare tanquam in quamvis reprobam perditionis animam. Immortalem igitur

Deo habeamus gratiam, qui nobis elargitus est Victoriam per Dominum nostrum Jesum Messiam. Jam Mori ne formidemus in terris, cum reconciliatum habeamus Deum in cælis. Qui autem hîc benè moritur, ibi benè oritur. Quia igitur, ut inquit Leo serm. 1. de adscens. Dom. pag. 203. *Christi adscensio est nostra provectio, & quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis; dignis exultemus gaudiis, & piâ gratiarum actione lætemur.* Atenim hoc probè conscіamus: Quò profundius jam inter exinanita humillimarum animarum viburna descenderimus, hoc deinde altius inter paradisiacos cælestis Libani cedros adscendemus, juxta illud Augustini: *Resurrectio Domini spes nostra est, Adscensio Domini glorificatio nostra est. Si ergò rectè, si fideliter, si devotè, si sanctè, si piè Adscensionem Domini celebramus, adscendamus cum illo, & sursum corda habeamus. Servator noster adscendit in cælum, non ergo turbemur in terra. Ibi sit Mens, & hic erit Requies. Adscendamus cum Christo interim corde, ut cum dies ejus promissus advenerit, sequamur & corpore. Scire tamen debemus, Fratres, quia cum Christo non adscendit Superbia, non Avaritia, non Luxuria, nullum vitium nostrum adscendit cum Medico nostro. Et ideo si post Medicum desideramus adscendere, debemus vitia & peccata deponere. Inter deponenda, prima sit omnium Superbia.*

Et

Et videte Magnum Miraculum. Alius est Deus: Erigis te? Fugit à te. Quare hoc? Quia excelsus est, humilia respicit, & alta de longè cognoscit. Humilia de proximo respicit, ut attollat; Alta, id est, Superba, de longè cognoscit ut deprimat. Deprimeret calamum scripturientem gravitas materiæ in altitudinem, si eo exciperentur plura affluentia de arte Triumphantium Christianorum quotidiana. *Non solum enim*, teste Leone serm. 1. de adscens. Dom. *Paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetravimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm per Diaboli amiserimus Victoriam.* Tali Obsidionali Coronâ, si vellet, Gratitudo Hodierna posset dignari Pium, Felicem Augustumque illum Angliæ Angelum *Moncum*, quippe qui in fideicommissario Imperii Militaris Generalis officio suo sua non quæsivit, sed ea quæ erant alterius. Alter autem ille erat exsulans Rex *Carolus* II. O rarum raræ dilectionis Jonathanem in patrium Regem ac Gregem! Grex enim Britannicus ab obsidentibus lupis adspirante cælestis favoris favonio est divinâ tanti Imperatoris prudentiâ tam subitò liberatus, & Rex in Regnum suum hæreditarium anno cIↄ Iↄ CLX. tam auspicatò relatus, ut ab utroque tam in vita sua quàm post mortem suam Josua ille salutari possit *Pater Pa-*

triæ Magnificus. Tali Corona olim fatali Orbis die procul dubio quoque triumphabit qui nunc exercitum proximorum à variis miseriis ac penuriis circumsessum, præsentaneis misericordiæ consiliis & auxiliis quantocyus liberabit Matt. 25. ℣. 35. 36. Quia è suis quæque fructibus cognoscitur arbor, utrum sit planta plantata à Patre cæli, an verò sata à Patre inferni Esa. 61. ℣. 3. Quotus autem quisque ex ullis pungentibus immisericordiæ infernalis tribulis potest colligere lenientia misericordiæ cælestis olea? A quali enim quisque est patre adoptatus in filium, talem communiter ita æmulari amat, ut conspicias filios cæli imitari Deum qui est Pater Misericordiarum; filios verò inferni sectari Diabolum, qui est Pater immisericordiarum, juxta illud Philosophorum: *Suam quæque operatio formam arguit & prodit.* Prodit monumentis fides aliquammultorum autorum, Bernhardum fuisse in vita suâ tantum cultorem Misericordiæ, ut in agone mortis sortitus Victor sit Coronam Justitiæ. Præviam autem ejus pugnam victricem sic edissertat Guilielmus Abbas: *Quum ægrotans Bernhardus jam extremum trahere Spiritum videretur, in excessu mentis suæ ante Tribunal Domini sibi visus est præsentari. Affuit autem & Satan ex adverso, improbis eum accusationibus pulsans. Ubi verò*

verò ille omnia fuerat prosequutus, & viro Dei pro suâ dicendum parte; nihil territus aut turbatus ait: Fateor, non sum dignus eo, nec propriis possum meritis obtinere Regnum cælorum: cæterum *Duplici Jure* illud obtinens Dominus meus, *Hæreditate* scilicet *Patris*, & *Merito Passionis*, altero Ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus *Dono* Jure illud mihi vendicans non confundar. *In hoc verbo confusus inimicus, Conventus ille solutus, & homo Dei in se reversus est.* Est quoque Corona Obsidionalis βραβεῖον Archiatri tanti, de quanto sic conscribit Crucius. l. 2. epist. mihi p. 174. *Multorum ea morborum vis est, ut certam homini mortem intentent,* nisi periclitanti ac penè depositæ saluti præstò *sit Medicus, veluti Gangræna, Syncopis profunda, Lethargus, Pleuritis, Angina, Hydrops, Apoplexia. Quibus omnibus qui medentur malis, qui Mortem imminentem solertiâ suâ propulsant & animas ad Orcum spectantes redonant Valetudini, sine qua Vita vitalis non est, Dii quidam in terris habendi sunt, quorum opera magnus ille rerum arbiter Deus, humano generi benignè prospectum esse voluit. Non alio certè nomine vetus superstitio,* Æsculapium *cælo dicavit,* & *adscripsit choro Divorum. Etenim si dare vitam, proprium Dei munus est, certè datam tueri, & jam oppressam penè restaurare, aut fugientem retinere, Deo proximum fateamur oportet, & si in quoquam, certe in Medico locum habere,*

bere, Græcum illud: ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον. Neque *enim corporis tantum quæ vilior hominis pars est, curam gerit, sed & animi, imò & animæ. Quæ quia in hoc corporis tugurio, labem sæpe trahit à situ, non alia certior atque efficacior ejus curandæ ratio est, quàm si corporis morbis occurratur tempestivè. Qui ut animæ vigorem non raró aut impediunt, aut etiam extinguunt; ita iis, liberata, alisque fidei subnixa ad cælum tanquam ad* Originis *suæ sedem libero volatu contendit. Qui lymphatum, phreneticum, furiosum restituit, nonne totum restituit hominem? At cujus ope tanta salus nisi* Medici? Theologus *efficit, ut homines à vitiis resipiscant; at* Medicus, *ut sit quà possit resipiscere. Frustra enim ille* Medicus *sit animæ, si jam fugerit anima, cui paratur* Medicina. *Frustra Lethargico suadeat, si suadentem non audiat. Frustra Phreneticum moneat, nisi primum* atra bile *ipsa furoris causâ, à* Medico *sit liberatus.* Quò nimis ambitiosè respexisse olim videtur Syracusanus ille Medicus *Menecrates*, qui, teste *Æliano*, ab ægrotis qui convaluerant curati, aliam non stipulabatur mercedem, nisi ut se appellarent *servos ipsius*; ipsum autem cognominarent *Jovem*. Est denique ille militiæ Christianæ Candidatus Coronâ Obsidionali neutiquam indignus, qui tantum Liberatorem se novit monstrare, ut dextrè non tam linguâ facundæ eloquentiæ quàm palmâ jucundæ beneficentiæ possit dive-
xan-

xantiſſimum illud Stygium propugnaculum expugnare, ex quo aliquammulti fratres ſophiſtici de tribu cognatorum Jobi, communiter vel Catholicum Orthochriſtianorum paucorum exercitum afflictatum à fronte, vel unum aliquod ejuſdem membrum gregarium à tergo oppugnant, hujuſmodi Enthymematico grandiſonæ bombardæ Dialecticæ globo:

Ille homo eſt deſolatus, caſtigatus, verberatus, flagellatus, vulneratus, diffamatus, depauperatus.

Ergo cæco larvatæ ſanctitatis vulnere laborat, cujus ratione è paterno gratiæ cæleſtis ſinu, quo Deus ſolos filios ſuos genuinos complecti amat, eſt deturbatus, reprobatus, abjudicatus, condemnatus.

Ille ego, qui alieniſſimum iſthoc ab alma Sp. Sancti Philoſophia reor eſſe Sophiſma: prælibatum abeo illud *Thomæ de Vio* in Monte Pietatis c. 2. n. 1. *Suam cujuſque dubitationis ſolutionem veram ex ſuis propriis principiis indagare oportet.* Oportet quoque præcognitum eſſe illud Auguſtini: *Dei Judicia plærumque ſunt occulta, nunquam tamen injuſta.* Hinc ad iſtiuſmodi ſcandalum ferè nihil reſponderes, etiamſi vel *δωδεκάκρουνον στόμα* (ut conjugibus *Cratini* Comici Græci vocibus utar) haberes & tot reſponſa reſponderes, quot creaturæ converſabantur

&

& conſervabantur olim in arca Noæ, quæ *noſtro* Sardanapalorum *ſeculo* poteſt eſſe præconio pœnitentiæ, ubi more mundi antediluviani *eſtur*, *potatur*, *luſitatur*: nuptiæ, epulæ, choreæ, cantilenæ Jubalicæ, Comœdiæ Venereæ, luxus & luxuria cum tota reliquorum vitiorum turba tam floreſcunt quàm tiliæ folioſæ in pleriſque cœmeteriis, ubi jacent trophæa mortis. His enim oculis ante me meis ego hîc video tantum Divinæ Providentiæ abyſſum, ut nolim me periculoſè eidem ullatenus merſare, ſed malim ſecurè ad ejuſdem crepidinem ſtare, & me, quoad poſſim, integrum ſervare & non niſi hæc paucula exarare.

I. Mortalis omnis eſt Vaſallus Monarchæ illius Immortalis, qui Electis ſuis μαμμηντρέπτοις præter alia communia vitæ, famæ, victus & amictus feuda feudum illud Chriſtianæ Doctrinæ inæſtimabile elargitur. Noli igitur mirari, tantùm feudorum Dominum exhibitionem talium angariorum, qualibus Eccleſia communiter indit nomen Θλίψεων, efflagitare & ſic nos inter crucifigendum & patiendum rationem poſcentes interpellare è Deut. 32. ℣. 39. *Vt ſciatis, quia Ego ſolus ſum Dominus, & non eſt alius præter Me.*

II. Pater cæleſtium curarum Optimus filios ſuos adoptivos in ſuccenſo Tribulatio-

tionis fumosæ crucibulo ita deformat, ut eos imagini filii sui unigenæ crucifixi conformet; ita collutulat ut repurget; ita vitiat ut redintegret; ita occæcat ut illuminet; ita infamat ut nobilitet; ita contristat ut exhilaret; ita vulnerat ut sanet, ita mortificat ut vivificet, ita ad inferos præcipitat ut ad cælos reducat, ita denique in exilio depauperat ut in patria collocupletet juxta illud Calvini Johannis Magni in Gen. 3. ℣. 29. *Miseriæ omnes, quibus subjecta est ac obnoxia hominum vita, necessaria sunt exercitia, quibus nos Deus partim ad Pœnitentiam sollicitat, partim ad Humilitatem erudit, partim reddit imposterum cavendis peccati illecebris cautiores & magis attentos.*

III. Pater cælestium curarum Maximus sæpiculè suam ipsius domum paternâ Judicii duriusculi virgâ castigat, ut Academiam Catholicam aperiat, ex qua florentissimus quisque hujus seculi Aglaus sic philosophari discat: *Si iste Pater tam acriter animadvertit in filios suos legitimos de stirpe ligni fructuosi vivâ, quanti rigoris exempla prodet in nos nothos de caudice ligni arefacti mortua? quippe qui quidem post hanc vitam in cælum intrare volumus, sed in hac vita quicquam tolerare nolumus.* O hypocritas! O animas à nuptiali Renatorum Dei filiorum veste nudas! Quid multa? Parit Ecclesia nonnunquam talia ἀμβλώματα, qua-

qualia à vera illa Luce Chriſto excidentes unà cum vita non niſi *ἀπιςίας θάνατον* ſuſtinent, ut eloquitur *Methodius* tract. Sympoſ. in perſona *Procles* Virginis. Virgo autem illa anima eſſe non videtur,quæ à quavis peccatrice cogitatione non abhorret tanquam à ſubterraneo *Meſſeniorum Theſauro.* Theſauro namque divinæ iræ ditiores quàm Theſauro divinæ gratiæ ſunt illi, qui Mortem nolunt ubique exſpectare, nec vitam continuè emendare, juxta illud Iſidori de ſum. bon. l. 2. c. 13. *Feſtinare ad Deum unuſquiſque debet dum poteſt, ne, dum non vult cum poteſt, tardè velit, cum non poſſit.* Poteſt ille ſibi olim ſub fatale rapidæ Mortis diluvium nequicquam ſperare fautricem Omnipotentis Dei Miſericordiam, qui jam non formidat reformidatque formidabilem Omnipotentis Dei Juſtitiam,ſed omne ad reſipiſcendum ſibi indultum Tempus gratioſum convertit in abuſum Chriſtianæ Libertatis malitioſum, juxta illud Gregorii lib. 16. moral. c.31. *Quiſquis Eum* Juſtum *nunc non timet, poſtea non valet invenire* Miſericordem, *& Omnipotentis Dei* Miſericordia *dicitur ejus non recordari, qui Omnipotentis* Juſtitiæ *fuerit oblitus.* Oblitus ſum adſcribere, quod quemadmodum totum Macrocoſmi cælum gemino rotatur cardine, quorum ille dicitur Aſtrologis *Arcticus* ſeu Septentrio-

trionalis, iste verò *Antarcticus* seu Meridionalis *Polus*; Ita Microcosmicum totius vitæ nostræ cælum inter duos apices extremos (quorum ille salutetur *Prosperitas*, iste verò *Adversitas*) ita vertitur, ut rara Mediocritas fere Prosperitati se aggreget. Quòd quum vix *Unus è mille* Mundi Achillibus progignatur tantus Atlas, qui percalleat artem tranandi sanctè secundùm voluntatem Jehovæ, mellitum Prosperitatis mare, in quo vel ipse sapientissimus Rex *Salomon* modò non eo die mersus periit, quo naufragium fecit; eapropter summus ille suarum Electarum animarum Medicus subinde ad Prosperitatis Mel ita ipsis affundit Adversitatis fel, ut neutiquam sibi persuadeant neu effutiant; *Se malle Exules voluntarios semper inhabitare hanc terram hospitam quàm adspirare supernam patriam.* Reliqua, super hoc Themate expectoranda, relinquo vel tali fœcundo facundoque juveni, qualem sic informatum, ditatum & dotatum vult M. Cicero ut requirenti quavis horâ satisfaciat: *Efferat se in adolescente fœcunditas*; vel *cæli volucribus & maris piscibus*, hoc est, Theosophicis Spiritibus sublimiora & profundiora scrutantibus, ut loquitur Arnobius. Mihi namque accuranda est parsimonia preciosissimi Temporis, cujus pertranseuntis velocitas velocior velocissimâ illa

illa eſt ſphærâ , de qua ſic fingit ac pingit Poëta :

rbis ut Orbita volvitur incita Turbine mir

Caput XIX.

QUemadmodum in Regno Divinæ Dextræ Luminoſo dantur variæ Coronæ glorioſæ ; Ita in Regno Divinæ ſiniſtræ tenebroſo variæ ſpectantur Coronæ contumelioſæ. *Contumelioſarum* autem Ethnicorum *Coronarum* una , teſte *Thyleſio Conſentino* ;

tino, ex velleribus compoſita olim dabatur adulteris ad Magiſtratus arreptis, ut mollities argueretur deſtinata. Deſtinata quoque eſt Corona Ignominiæ *Alphonſo* X. Hiſpaniarum Regi, qui Providentiam cæleſtem identidem culpans effutiit; *Si ipſe principio Mundi adſuiſſet Deo, multa melius ordinatiuſque condenda fuiſſe atque jam ſunt.* Deſtinata etiam eſt talis Corona *Friderico* II. Imp. qui ſæpè fabulatus eſt; *Tres fuiſſe inſignes Impoſtores, qui genus humanum ſeduxerunt, Moſen, Chriſtum & Mahometem.* Deſtinata etiam eſt talis Corona *Luciano* Apoſtatæ, cui in *Nigrino* Servator noſtrûm *Chriſtus Jeſus* Nazarenus crucifixus eſt ἀνεσκολοπισμένος σοφιστής. Deſtinata quoque talis eſt Regi *Roderico*, dum *Cavam* Comitis *Juliani* filiam vitiando, perdidit Hiſpanias, utpote qui ipſe in prælio cæſus periit; cadaver ejus nuſquam, ſed veſtis, corona, calceus & equus ad flumen ſunt inventa. Invenitur autem hoc ei ſcriptum Epitaphium: *Hîc jacet ultimus Rex Gothorum. Memoria ejus in omni ore amareſcat, & nomen ejus in æternum putreſcat.* Deſtinata quoque eſt talis Albigauno illi Imp. *Proculo* glorianti; *ſe* XV. *dierum ſpacio devirginâſſe virgines* 100. *Sarmaticas bello captas.* Deſtinata quoque talis eſt Imp. *Licinio Liciniano*, qui præ ingenio illiterato illiteratus *Literas literato-*

K *rum*

rum nuncupavit *Venenum & Pestem Reip.* Destinata quoque est talis olim Phocylidæ; cujus ἀντιφιλοσοφία hæc fuit: Πρώτιστα πλοῦτον εἶτα δ' εὐσεβήσομεν. Destinata quoque est talis Corona *Bonifacio* VIII. Pontifici Romanensium animarum Maximo, de quo plerique filiorum suorum & dixerunt & scripserunt: *Benedictus Cajetanus Anagninus intravit ut Vulpes, regnavit ut Leo, mortuus est ut Canis.* Destinata quoque est talis Corona *Johanni* XXIII. Pontifici Romanensium animarum Maximo, qui (cum ad Græcos misisset efflagitatum, ut se Romanæ sedi ac pedi subjicerent) hoc accepit responsi: *Potentiam tuam summam circa tuos subditos firmiter credimus, Superbiam tuam summam tolerare non possumus, Avaritiam satiare non valemus. Diabolus tecum, quia Deus nobiscum.* Destinata quoque est talis Corona *Johanni* XXIV. Pontifici Romanensium animarum Maximo, quem Concilium Constantiense sub Imp. *Sigismundo* coëgit, ut se Papatu abdicaret, eò quod argueretur & convinceretur esse *Hæreticus* negatæ animarum immortalitatis *manifestus, Atheus, Simoniacus, Mendax, Hypocrita, Homicida, Veneficus, Aleator, Adulter, Sodomita &c.* Jer. 23. vers. 40. juxta illud Gregorii: *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit.* Destinata quoque est talis Corona *Atheniensibus* illis

illis qui talia illustrissima ingenia è sua Rep. per Ostracismum vel exilio vel letho summovebant, in qualibus præfulgentissimum aliquod Virtutis lumen elucebat, ut in *Aristide*, *Cimone* atque *Themistocle* compertum est. Destinata quoque talis Corona est prisco illi ludimagistro *Cerbero* plagoso de tribu *Orbilii*, juxta Epitaphium hoc ipsi à Tito Vespasiano Stroza positum:

Jam male servabat Stygius tot millia custos,
Nec satis in foribus janitor unus erat.
Cerberus *ast illi superis modò raptus ab oris*
Additur & pariter limina dira tenet.
Verberibus pueros olim vexavit acerbis
Nunc rabido terret pallida Regna sono.

Hac denique Corona ignominiosâ suummet synciput olim coronabat *Popilius Lenas* eo ingratitudinis suæ nobilis die, quo ad *M. Antonii* triumviri jussum, viro illo Aristocratico *M.Tull. Cicerone* quondam causarum utriusque desperatarum patrono victorioso interempto, perinde atque Victor gloriosus Currum Triumphalem conscendit, quo junctis duobus leonibus vehebatur, subnotans; *Magnanimos Pontentatus æque à se esse devictos atque ferocissimas feras perdomitas*, prout collucet ex Appiano, Plinio, Crinito, Neandro, Alciato & Goltzio; juxta illud Claudiani lib. I. in Eutrop.

——— —— *non bellua tetrior ulla est,*
Quàm servi rabies in libera colla furentis,
Vah insolentiam Triumphatoris! Triumphatori huic barbaro ferè exæquatur alter ille Sardanapalus *M. Antoninus Bassianus Varius Heliogabalus* Imp. quippe qui triumphans quaternis canibus, mox tigribus sic curru junctis vectus est, ut à non nemine admurmuratum sit: ὅμοιον ὁμοίῳ ἐφίεται. *Simile simili gaudet.* Abs tali Infamiæ Corona abhorrebat olim *M. Cato*, qui lib. de re militar. scripsisse perhibetur hortamentum populo Romano, ut re bene gesta potius *coronatus* Superis supplicaret, quàm victus *sub corona* turpiter venderetur. Vendentur ita turpiter olim sub publicâ Ignominiæ Corona omnes hœdi Immisericordiæ reprobi, invidi, avari, superbi, luxuriosi, rixosi, qui a Judice Judicii novissimi supremo, ad sinistram collocabuntur, pro abjectissimis mancipiis tradendi Diabolo tortori ad compingendum & torquendum in inferno æterno. Æterna autem gloriæ beatæ coronâ triumphabunt illi Misericordiæ Candidati electi & humiles, qui ad Judicis dextram consistent. Consistunt autem in hac vita variè varii variis Honorificentiæ Coronis coronati. Coronâ namque Grammaticorum olim Romæ insigniebatur *Palæmon Vicetinus*, posteaquam interrogatus

quid inter *ſtillam* & *guttam* intereſſet, reſponderat: *Gutta ſtat, Stilla cadit.* Corona Arithmeticâ triumphet Meybomius, qui ſic eſt elocutus: *Non Rhetoricè, ſed Arithmeticè orandum eſt, ut cum Deum per* Additionem *peccatorum* Multiplicando *offenderimus, credamus per* Diviſionem *ſanguinis Chriſti* Subtrahi *omnes inde* Regulas Falſi *de incruentis Franciſci vulneribus & quibusvis Supererogationis operibus atque Meritis.* Merendi autem vox ſæpius decet forum quàm chorum, juxta illud ICti Bartoli in l. qui filiabus. n.3. ff. de leg. 1. ubi ait; *Quod quis ex eo, quod eſt filius, dicitur* Mereri, *cum ex filiatione oriatur affectio, quæ ſufficit ad merendum.* Coronam Logicam ambiebat *Scribonius*, quando in ſuo Triumph. Logic. Ram. lib. 1. cap. 5. ſcribebat: *Fortuna eſt Cauſa per accidens, quando præter Efficientis ſcopum aliquid accidit.* Fortunæ *autem nomen ignoratio cauſarum confinxit. Cum enim aliquid præter conſilium contigerit,* Fortuna *vulgò dicitur; nec inſcitè Juvenalis:*

Nullum Numen abeſt, ſi ſit Prudentia, ſed Te
Nos facimus, *Fortuna*, Deam cœloque locamus.

Temerè enim & fortuitò contigiſſe omnia illa arguimus effecta, quorum cauſam noviſſe & reddere certam nequimus. Et ſanè in omnibus quæ Fortunæ *adſcribuntur, cauſa aliqua certa ſubeſt,*

ut maximè nobis ſit incognita. Omnia ſiquidem diſponente & ordinante DEO *fiunt ob aliquam cauſam, ut rectè Plato philoſophatur de Vniverſitate.* Hinc ſunt qui *Fortunæ* adſcribunt, quod olim *Marius* ſexto Conſulatu mendicabat, ſeptimo imperabat; & quod *Scipio Naſica* ex Conſule captivus, ex captivo Conſul factus eſt. Perrarò autem Ethnico *Fortunæ* vocabulo in ſuis abutuntur ſcriptis atque dictis veri Chriſtiani. Chriſtus enim ipſe, quem ſequuntur Ducem ac Lucem, non niſi ſemel legitur dixiſſe Luc. 10. ℣. 31. κτ̀ συγκυρίαν. Hinc religio eſt ipſis aut dicere cum Maximo Monacho: *Fortuna eſt ſimilis ſagittario. Interdum enim in nos jaculans tanquam in ſcopum quendam, interdum in ea, quæ nobis adhærent, omnia dirigit.* Aut ſcribere ex Anton. Meliſſ. part. 1. ſer. 7. *Fortuna ſimilis eſt malo certaminum Præſidi. Nam ſæpè coronat illos qui non vicerunt.* Aut edisserere ex Apulejo; *Non de nihilo veteris priſcæque doctrinæ viros finxiſſe ac pronunciâſſe Cæcam ac prorſus Exoculatam eſſe* Fortunam, *quæ ſemper ſuas opes ad Malos & Indignos conferat, nec unquam judicio quemquam mortalium eligat.* Aut aſſerere ex Plinio: *Hedera complexu necat arbores: Ita Fortuna proſpera, dum blanditur, ſtrangulat & perdit.* Aut credere ex Plutarcho: *Ut deciduæ ſtellæ ſubitò exſtinguuntur; Ita quos Fortuna ſubitò in ſumma provexerit;*

xerit, *repentè ſolent corruere.* Omnes enim Chriſtiani Iſraëlitæ, quos Chriſma cæleſte condocuit novam terræ Chananææ linguam, mallent ſub Hieroglyphico *Capricorni ſigno* in Fortunatas Maris Atlantici Inſulas ultra Gorgonas terve quaterve enavigare quàm vel ſemel in *Divinam Providentiam* blaſphemare & cum Idololatris Romanis *Fortunam Barbatam* & *Exſecratam* adorare. Adorare enimverò eam ſuorum gentilium Deam (quam Pacuvius *Brutam* vocat, cum Dignum Indignumque internoſcere nequeat) vel ipſe C. Marius nolebat, ſed reſpondebat; *Non ſanæ mentis hominem eſſe, qui ſe* Fortunæ *committeret.* Quantò magis *Chriſtiani* cum Carpophoro *Fortunam* neſciant. Neſcire enim illam voluit *Auguſtinus*, quando *ipſum pœnituit*, *ſe* Fortunæ *nomine uſum eſſe.* Excuſetur itaque *Eraſmus Rotterodamus*, qui ſcripſit: *Vt grando illiſa tectis diſſultat, magno quidem fragore, verum nullâ noxâ; Sic inſultus Fortunæ nihil poteſt in Sapientem.* Valeat autem Primus ille Romanorum Rex *Romulus*, qui eum nequaquam *Beatum* prædicandum dixit, qui propter amicos, aut alias *Naturæ* dotes exſultaret, cum hæc omnia ſint talia fallacia atque fugacia, qualia in ſua poteſtate habeat *Fortuna*. Valeat quoque *Tullus Hoſtilius* Tertius Romanorum Rex, qui, teſte *Flav. Blon-*

do lib. I. de Roma Triumphante, nemini nisi *Fortunæ* actus suos adscripsit omnes. Apud Christianos enim nequaquam est gratum auditu illud Boëthii l. 4. prof. 7. *In vestra est situm manu, qualem vobis* Fortunam *formare malitis.* Quia rarius in Tabernaculis Sanctorum canitur *de Bona & Mala Fortuna*, quàm de *Divina Salute*, *Gratia*, *Benedictione* & *Ope* pariter atque *Desertione*, *Ira*, *Maledictione*, *Vltione & Punitione*. Hinc Orthodoxus Catechismus Belgicus omnia subjicit paternæ DEI manui quæst. 27. & 28. Gesondtheyt en Kranckheyt / Rijckdom en Armoede / Voorspoet en Tegenspoet. Quamvis igitur ex Macrobio pro istis Relativis vocibus voces *Sortis prosperæ & adversæ* possint substitui; bona tamen Christiani populi pars adèò adumbrat morem usurpantium inveterata *Fortunæ Vtriusque* vocabula, ut vix illi illis se abstineant, qui illud *Mornæi* non ignorant: *Humanam rationem occæcatam esse fundamentum cui superstructum est totum Fortunæ Fanum*; juxta illud M. Ant. Cocc. Sabellici: *Stultum vulgus omnia uni refert accepta* Fortunæ, *quæ præter opinionem eveniunt*, *cum tamen sint* duntaxat *ἐγχειρία* seu *Occasio*. *Occasione autem omni est Virtus major multoque potentior.* Hinc vel ipse Crucius noster suis commendat Conjugium

Illud quod liquidus Fortunæ *rivus inaurat.*

Ambie-

Ambiebat isthanc quoque nominatissimus ille Lutheranorum Theol. *Spangenbergius*, cum ad hunc propositum Syllogismum

[*Corpus Christi est crucifixum;*
Panis est Corpus Christi:
Ergo Panis est crucifixus]

in triv. lib. 5. sic respondebat: *Est Fallacia Accidentis. Major ait de Corpore Christi materiali; Minor verò de Sacramentali.* Sacramentalem autem hanc Hypothesin explicatius tradidit Lutheranissimus ille Lutheri σύγχρονος *Johannes Bugenhagius* Pomeranus in Psal. 114. mihi pag. 637. his pauculis: *Non ergo nunc offertur Patri Christus à nobis in Missa, id quod nulla Scriptura dicit, sed manducatur à nobis quicunque eum desideramus in Sacramento Panis & Vini, secundùm Christi institutionem in memoriam mortis ejus, id est, illius oblationis sive sacrificii semel facti in Cruce. Memoriale ergò Christi est ista Manducatio, & Testamentum, quod nobis visibile reliquit edendum & bibendum per Fidem, in remissionem peccatorum & Fidei confirmationem, quoties voluerimus, ut visibili signo intra viscera nostra recepto admoneremur, adhuc eum semper esse nobiscum, qui visibili specie abiit in cœlum, sicut dixit Matth. ult. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Et in Psalm. 110. ℣. 5. pag. 619. & 620. *Ut alia Opera Creationis & Providentiæ Divinæ in Patribus antiquis taceam, Mirabilia Opera Re-*

demptionis ex Ægypto ſolet Scriptura prædicare, cujus Memoriale erat Feſtum *Azymorum*, *Feſtum Tabernaculorum, item Lex illa lata in monte Sina, item tota Terra Chanaan, quæ ſcribitur fluere Lacte & Melle. Unde hîc dicit*; Eſcam dedit Timentibus ſe. *Omnia enim neceſſaria Corporis adiiciuntur iis qui quærunt* ante omnia *Regnum Dei & Juſtitiam ejus*; *ſicut & in alio Pſalmo dicitur*: Nihil deeſt Timentibus eum, Divites eguerunt &c. *Hoc quoque Memoriali voluit cognoſci Deus inter Gentes, niſi Inferorum Tenebræ ubique Omnia occupaſſent. Sic enim* Paulus *loquitur Act.* 14. Deus in præteritis generationibus dimiſit omnes Gentes ingredi vias ſuas; & quidem non ſine Teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implens Cibo & Lætitiâ corda eorum. *Præterea Deus Timentes ſe ſuo paſcit Verbo & Euangelio, ſecundùm illud*: Eſurientes implevit Bonis &c. *Et*: Non in ſolo Pane vivit homo &c. *Contra verò deſerit contemnentes, ut Amos* 8. Emittam famem &c. *Nunquam enim* qui non timent Deum, *intelligent Opera Dei, Teſtamentum Gratiæ, Promiſſiones & Euangelium Pacis. Iſta Opera Dei & Verba Fide ſuſcepta ſive comeſta, ſunt nobis* Memoriale Perpetuũ, *quod Deus bene faveat nobis, utcunque diverſum* Naturæ *appareat.* N*am Ejus Promiſſiones habemus, quibus credimus & credentes ſalvamur.* Non *enim*

enim immemor potest esse sui Testamenti, id est, *fœderis nobiscum initi. Nam quo pacto fiet, ut possit semetipsum negare Deus? Ipse enim est* Hoc Ipsum verbum *quod promittendo locutus est nobis. Quod* Verbum *denique pro Nobis* Caro *factum est*, Summum Sacramentum, certissimum Signum & Pignus nostræ Salutis; *quomodo enim non cum Illo Nobis Omnia donavit? Hoc* Summum Sacramentum, *id est*, Verbum *Caro* factum, *Esca est Timentibus Deum*, id est, *Credentibus & sua Peccata agnoscentibus, qui* isto Pane solo *se credunt refici. Quod Sacramentum* qui non timent Deum, *nunquam edere possunt, ut ista* clarè *vides Job. 6. Est autem* Sacramentum Hoc edere, *Credere* Christum *pro Te* Carnem & Sanguinem *factum & utrumque in rem tuæ salutis expendisse. Si Ita edis, habes Vitam Æternam*. Sacramentum *verò* Externum Panis & vini *sive* Corporis & Sanguinis Christi, *hujus* tantùm Signum *est, quod sine hoc* Indignè *sumpseris ad Judicium.* Quapropter censeo, *nunquam vel docendum vel scribendum esse* de Externo Eucharistiæ Sacramento *sine isto de quo diximus* (*quod receptum quidem est ab oculis nostris* in cælum, *sed tamen* semper sua Virtute *præsens est* Timentibus Deum) *ne scilicet* Sacramentum sine Fide *amplecti videamur.* Rhetoricæ cælestis Coronâ coronabat ipse olim Mosen suum Deus, quando ipsum super Israë-

litis refractariis sic in deserto alloquebatur Exod. 32. ℣. 9. 10. *Vidi Ego populum istum, quod ecce populus durâ cervice est. Nunc igitur sine Me, ut accensâ irâ consumam eos: efficiam verò te in gentem magnam.* Enimverò veræ fidei Oratio videtur esse Deo Omnipotente potentior haud secus atque si ab hac sola Regina Rex cœli invictissimus vinci vincirique posset. Coronâ Rhetoricâ gaudeat quoque Bernhardus, qui serm. 3. de fragment. 7. misericord. sic elocutus est: *Tria sunt quæ sic roborant, & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriæ voluntatis, nulla æstimatio cœlestis beatitatis ab altitudine Spei dejicere possit in ea firmiter radicatum. Tria, inquam, considero, in quibus tota Spes méa consistit, Charitatem adoptionis, Veritatem promissionis, Potestatem redditionis. Murmuret jam, quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibusve meritis obtinere speras? Et ego fiducialiter respondeo: Scio cui credidi, & certus sum, quia in Charitate nimiâ adoptavit me; quia verax in promissione, quia potens in exhibitione. Licet enim ei facere quod voluerit. Hic est funiculus triplex, qui difficilè rumpitur, quem nobis à patria nostra in hunc carcerem usque dimissum firmiter, obsecro teneamus: ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat & pertrahat usque ad conspectum gloriæ Magni Dei.*

Co-

Coronam Cabaliſtarum Rabbinicam affectare conantur, qui ſuper nomine יְהוָה hæc piè ſpeculantur:

י *ſignificat* Patrem, *quia eſt initium decadici numeri.*

ה *ſignificat* Filium, *ab* הָיָה, *id eſt*, fuit, *quia per* Filium *Omnia* exiſtunt.

ו *quia eſt* Conjunctio Copulativa, *notat* Spiritum Sanctum, *qui mutuo Amore jungit Patrem & Filium.*

ה *hoc inferius innuit* Humanam *in Chriſto* Naturam, *quemadmodum ſuperius* illud *exprimit* Divinam.

Coronâ denique Eteologicâ triumphet Cl. *Iſaacus Voſſius*, quippe qui memorabili ac notabili illo anno CIƆ IƆ CLX.(quo præter cætera *MariaTereſa* Regis Hiſpaniarum *Philippi* IV filia nupſit *Ludovico* XIV.Galliarum Regi) talem *de Vera Mundi Ætate Diſcurſum Belgicum* in lucem emiſit, ut reliqui Chronologi, ſi poſt ſufficiens ſapientis mentis examen velint, confiteri poſſint; *ſe errâſſe errorem* 1440. *annorum, atque ignoraſſe, iſthunc annum eſſe annum ab orbe condito* 7048. ob illud ICti *Hilligeri* ad Donell. Enucl. l. 1. comm.

c. 6. lit. A. *Communem Errorem Jus facere, communis error est.*

§. I. Alii admirentur *M. Antoninum* Imp. l. 4. τῶν εἰς ἑαυτόν. §. 12. sic philosophantem: *Qui* περὶ τὴν ὑστεροφημίαν seu *Famæ* post mortem *cupiditate ducitur, non cogitat, quemlibet eorum, qui ipsius mentionem sint facturi, mox ipsum etiam moriturum: deinde itidem eum qui huic succedit, idque eo usque, dum omnis memoria per attonitos inani Fama, extinctosque homines propagata aboleatur. Quin etiam finge* immortales fore eos, qui tui recordentur, immortalemque tui futuram memoriam; *quid ergò id ad Te, ne dicam* mortuum; *quid vel vivo Tibi* Laus *proderit? nisi ratione cujusdam Dispensationis: omitte enim nunc intempestivum* de Naturæ Munere *sermonem, cum aliud nobis hîc propositum sit. Omne* quod pulchrum est; *ex seipso tale est, atque in seipso absolvitur, nullamque sui partem habet* Laudem. *Ideò id quod laudatur, eo ipso neque pejus fit, neque melius. Idque etiam de iis intelligi volo, quæ communiori sermone* Pulchra *aut* Bona *dicuntur, ut quæ ex Materia fiunt, & Artis Opera. Id autem quod reverà Bonum est, non magis aliâ quadam re opus ad id, ut sit bonum, habet, quàm Lex, Veritas, Tranquillitas Animi, Verecundia: quid horum vel si laudetur, bonum fit, vel vituperatione corrumpitur? Smaragdus enimverò nisi laudetur, de Bonitate suâ aliquid* amittit? *Quid Aurum, Ebur,*

Pur-

Purpura, Culter, Flosculus, Arbuscula?

§. 2. Alii admirentur Occamum Tract. II. p. 2. c. 10. sic suo populo Pontificio prophetantem: *Dicendum quod simplices non debent præsumere, sed Scripturæ firmiter inhærere: ut quod ex ea evidenter conspexerint inferri, hoc modò Explicitè credant, sive fuerit sive non fuerit à Papa & Cardinalibus declaratum: ratio hujus est; quoniam Papa & Cardinales non sunt Regula Fidei nostræ.*

§. 3. Alii admirentur *Q. Metellum*, quem *Sabellicus* inter rara felicitatis humanæ exempla numerat. A primo enim Originis die ad ultimam usque mortis horam ad summum vitæ beatæ cumulum pervenisse dicitur. Nam præter honores amplissimos à IV. filiis illatus est rogo, uno Prætore, tribus Consularibus, duobus Triumphalibus, uno Censorio, qui cum VI. liberos relinqueret, XI. nepotes reliquit, nurus verò generosque & reliquos, à quibus Patris nomine salutaretur, XXVII. Cum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla causa tristitiæ interveniret, ut ferè Cælitibus beatis adæquaretur. Denique spacio ultimæ senectutis defunctus, lenique mortis genere inter oscula complexusque carissimorum pignorum exspiravit.

§. 4. Alii admirentur rotundum Anselmi spiritum spirantem sic: *Ego sum de familia Chri-*

Christi; ego sum de Militia Regis æterni, paratus vinciri, cædi, uri, mactari pro Domino Jesu.

§. 5. Alii admirentur Isidorum Pelusiotam l.1.ep.364. sic scribentem: *Ex carne nostra Tympanum efficiamus; sic nempe ut nullum præposteri affectus motum habeat, verùm terrenis membris mortua & exstincta sit.*

§.6. Alii admirentur Ambrosiũ de dignit. sacerdot. c.2. sic fabulantem: *Honor & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari; si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares.*

§. 7. Alii admirentur Nazianzenum orat. 7. ad Cives sic confabulantem: *Quantum cœlum terrâ preciosius est: quantum anima Corpori, Spiritus carni, divina humanis præstant; Tantum Episcoporum Principatus omnia Civilia Regna & Potestates antecellit.*

§. 8. Alii admirentur Bisterfeldium scribentem inter cætera contra Crellium; *quod Sapientia in Deo nihil est aliud quàm Potentia.*

§.9. Alii admirentur nostrum Stresonem in anal. Act. Apost. cap. general. sic occlamantem: *Ministri non debent pati, ut auditores eos nimium admirentur.*

§. 10. Alii admirentur Hieronymum Conscientias sic percellentem: *Scire volui, quos Deus diligeret, & quos odisset; & inveni Justorum quidem Opera in manu Dei, & tamen,*

utrum

utrum amentur à Deo, an non, nunc eos ſcire non poſſe, & in ambiguum fluctuare, utrum ad probationem ſuſtineant, quæ ſuſtinent, an ad ſupplicium; in futuro igitur ſcient.

§. 11. Alii admirentur Auguſtinum Conſcientias perculſas ſic ſuffulcientem in Pſal. 149. *Eſt quidam modus in Conſcientia gloriandi, ut noveris Fidem tuam eſſe ſinceram, noveris eſſe Spem tuam certam, noveris Charitatem tuam eſſe ſine ſimulatione.*

§. 12. Alii admirentur Cyprianum lib. de Mortal. Conſcientias ſuffultas ſic erigentem: *Viget apud nos Spei robur, & inter ipſas ſeculi labentis ruinas, erecta mens & de Deo ſemper anima ſecura.*

§. 13. Alii admirentur hoc Diſtichon *Thomæ Mori* Magni magnæ Britanniæ Cancellarii:

Quid *Bonus* eſt *Princeps*? Canis eſt, cuſtos gregis, inde
Qui fugat ore lupos. Quid *Malus*? Ipſe Lupus.

§. 14. Alii admirentur *Joannem Secundum* Epigrammatographum, qui non neminis enſigeri enſi hoc inſcripſit Diſtichon:

Pro Domino ſontem mihi fas haurire cruorem,
Cum furor innocuum juſtus in arma vocat.

§. 15. Alii admirentur miram illam *Alexandram Chriſtinam* Suecorum Exreginam, quæ noſtro ævo ex Regno ſuo Lutherano
in

in Hierarchicum Tiberinarum Ceremoniarum Statum ludibunda transiit.

§. 16. Alii admirentur censuram *Lutheri*, à quo de *Hadriano* IV. & *Alexandro* III. Pontificibus Romanensium animarum Maximis (quorum hic quum Venetiis abhinc annis 471. collo supplicis illius Imp. Barbarossæ *Friderici* I. pedem imposuerat, acclamari jussit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis &c.*) tom. 8. Jen. fol 207. & 208. sub Rubr. Wieder das Babsthumb zu Rom vom Teuffel gestifft. in præfation. sic scribitur: Ich halte woll / wo sie ietzt sind in jenem Leben; Oben / Mitten oder Vnten in der Helle; so dürffen sie keines Peltzes. Vndt sindt die allerheyligsten Väter die allerhellischsten worden: Dann von ihrer Busse lieset man nichts; sind in ihren Sünden / der sie als der löblichsten Thaten gerühmet haben sein wollen / gegestorben. Dann wo die verzweiffelten Buben nicht Bäpste undt grobe Vngelehrte Esel des Teuffels wehren / sondern rechte fromme / gelehrte Bischove gewest; hätten sie freylich gewust / ja eß hätte sie müßen höchlich erschrecken / daß sie solten einem Keyser / als der Majestät von Gott geordnet / undt zu Ehren geboten 2. Pet. 2. auff den hals tretten / vndt darzu so schmählich mit der Schrifft auffs schändlichst vndt lästerlichst verkehret / verhönen / wie hic Alexander III. den Spruch Psalm. 90. Auff der Ottern vndt Basiliscen wirstu gehen, vndt auff den Lewen vndt Trachen wirstu tretten, durch sein Hellisch Teuffelisch Maul /, wieder den Keyser zum spott vndt Rach / so bitterlich gifftiglich brau cht. Dann in diesem Fall solte

te man billicher also sagen; Daß der höllische Trache vndt Lewe / Otter vndt Basilisce Alexander III. gehet vndt tritt einem Christlichen Fürsten / vndt in dem Fürsten Christo selbst auff den hals; Das ist die Wahrheit. Vndt solche böse That dieses schändtlichen verdampten Pabsts Alexandri solten die Keyser / Könige / Fürsten vndt Weltliche Herrn den Bäpsten / ja Bestien nimmermehr vergeben / sondern ewiglich gedencken vndt auffrücken zu ewiger Schande dem Römischen Teuffelischen Stuhl / gleichwie Christus solches den Bäpsten vndt Stuhl zu Rom / nimmermehr vergibt / noch vergeben wirdt; Seine Christliche Kirche auch nicht. Dann eß rewet sie nicht; Sie büssens auch nicht die lästerlichen verzweifelten Buben / sondern lachens noch darzu / vndt haben wollgefallen dran / alß sey eß wollgethan / wolten woll gern an allen Keysern / Königen / Fürsten solch gräwlich Exempel vben / wann sie darzu kommen kündten. Vndt wer ein fromm Christen ist vndt seyn will / der solt auch allein vmb dieser einigen That willen / den nahmen Pabst anspeyen / so offt er ihn höret nennen / oder lese / oder dran gedächte. Dann was der Pabst thar einem Keyser / solcher Hohen Person von Gott gesetzt / thun / das thurste er viel mehr Dir vndt Mir / ja der gantzen Christenheyt / auch Christo undt Godt selbst thun / wie sein Vater der Teuffel auch thut / vnd ihn solches zu thun gelehret hatt. Dann Keyser Friedrich ist kein Vnchrist noch Ketzer gewest / hat die Kirch mit ernst gemeinet / Gerechtigkeit / Zucht vndt Ehre sehr lieb gehabt / Vngerechtigkeit sehr feindt gewest / den Feinden wo sie sich erkennet / vberaus gnädig vndt barmhertzig sich erzeigt / Ein sehr trefflicher / thewrer / weidlicher / kühner vndt sieghafftiger Fürst /

daß ich ihn in meinem Hertzen sehr lieb habe. Hat auch einen starcken Zug wieder die Saracenen/ die Christen zu retten gethan / darüber sein Leben gewagt/ vndt im Waßer verlohren; vndt solchen thewren Mann soll solcher vnflätiger Wanst / fauler Bauch / garstiger Balck vndt schändlicher Sack / der kein Bisschoff / noch einiges Ampt in der Kirchen hat (Denn Bapstumb ist vom Teuffel, wie wir wißen) mit füßen tretten / Dem er nicht werth wehre / die Schuch aufs zu ziehen. Solte nicht ein Babst (wann er ein Christ wehre) dencken ; Wann ich gleich nicht seiner Crohn vndt Majestät von Gott geordnet (wie er 1. Pet. 2. spricht : Ehret den König) schonen wolt ; So will ich doch schewen die H. Tauffe vndt das theure Bluth Christi, damit Er zum Christen geheyligt ist / daß meine Füsse darann sich nicht so gräwlich versündigen. Ja woll! waß solten die lästerlichen Buben vndt Gotts verächter / die grossen groben Esel / Tölpel / Knebel / Rültze / Filtze / Rangen / Klötze / Plöche / vnvernünfftige Narren / die Teuffels Larven vndt Putzen dencken / ohn waß dem Teuffel woll gefället? Vndt wenn er schon ein Ketzer vndt böse wehre gewest / solte Jhn darumb ein Pabst / der 100 mal ärger ist / mit Füssen tretten ? So schmählich mit verfälschtem Wort Gottes hönen ? Lehret vns die Schrifft kein ander weise die Sünder zu straffen / dann daß man sie mit Füssen trette / oder zwinge sie dem Teuffel die Füsse zu Küssen. Wenn ein Funck vernunfft oder ein Tropff ehrlich Bluthes in den Bestien vndt Barbaris den Bäpsten wehre/ solten sie sich in ihr Hertz schämen / daß sie den allergeringsten Christen liessen die Füsse Küssen / Schweige / daß sie solten den selben mit Füssen tretten ; vndt thüren solches

ches thun den Christen in den höchsten Majestäten. Aber sie halten Christum für eine Fabel / das zeigen sie mit solchen schönen Früchten ihrer Heyligkeit. Nihilominus tamen Pontificius ille Dominus *Villamontius*, ut adulatricem excusationem hîc prætexat, ait; *Dominum Papam* Alexandrum *eo die non nisi voluiße Mundo toti ostendere Pontificalem suam Magnificentiam.*

§. 17. Alii admirentur *Josuam Stegmannum* Lutheranæ Theologiæ Doctorem, in sua Assertione veri Christianismi, inter cætera sic lamentantem: *Magnus quoque Christianismi defectus est, quod plerisque in locis nulla amplius* Disciplina Ecclesiastica *locum habet. Bene olim cum Ecclesia agebatur, cum adhuc* Disciplina Ecclesiastica *vigeret, cum* Clavis Ligans *censoriam virgulam adhuc exerceret; cum* Excommunicationis fulmen *etiam Reges formidarent; cum* Theodosius *Imperator ab* Ambrosio *Anathemate ictus clamaret*: Mihi & ingressus in Templo Dei non patet, & insuper quoque cæli clausi sunt; *cum ab* Ottone *Brandenburgense, quem* Ludolphus *antistes excommunicârat, etiam canes carnis objectæ frusta accipere recusarent; cum* Xaverius *præfectum diris devotum, ne salutatione quidem dignaretur, dicens*: Me quidem amicum non habebit, quamdiu habuerit inimicum Deum; *cum* Satisfactiones Canonicæ *adhuc in fervore essent, & illi qui in gravia Crimina prolapsi*

lapsi fuerant, cogerentur veste lugubri incedere, jejunia peragere, eleemosynas erogare, stare certo loco Templi qui pro Pœnitentibus erat designatus, cum lachrymis, suspiriis & aliis reatus signis, quibus petulantiores coërcebantur. At Hodiè *repagulis istis effractis*, Clavis Ligantis *autoritate imminutâ*, Excommunicatione *submotâ, quanta quæso secuta est dissolutio, quanta licentia? quis non blasphemus impune blasphemat? quis non adulter securè peccat? quis non prædator effrenè deprædatur? Sola* Pecunia *curva* recta *facit* omnia: *penitus prostitutum est hujus Clavigeræ munus; omnes volunt esse Exleges; nemo delicta sua corrigi æquò fert animo; Sunt qui moniti*, Quid tua refert? *audent reponere, aut cum perverso illo Dialectico regerere*: Si mea culpa unius est, quid id ad Te? *Si tua, quid id ad Me?* Si nostra, quid id ad Alios? *Si aliorum, quid id ad Nos?* Si aliquorum, quid id ad Cæteros? *Si cæterorum, quid id ad Aliquos?* Si omnium, quid id ad Paucos? *Si paucorum, quid id ad Omnes?*

§. 18. Alii admirentur Hugonem Grotium, in sua Appendice ad interpretat. Locor. Nov. Testament. sic exarantem: *Nisi Schisma esset, non haberent multi, unde viverent; & cum ipsi* sine spe mercedis *de sacris Literis non cogitaturi quidem fuerint, alios de se metiuntur.*

§. 19. Alii admirentur Campanellam de Mo-

Monarch. Hiſpan. c. 22. ſic ſcribentem: *Habet & ſeculum noſtrum ſuos Solones, Lycurgos & Joſephos, à Deo ipſo miſſos; verùm illi opprimuntur, neque à Principibus admittuntur, falſiſſimumque eſt, quod vulgò dicitur;* Nullas noſtra ætate Solones aut Ariſtoteles naſci; *imò naſcuntur & hodie illis etiam præſtantiores, ſed latent, dum gentiles in admiratione ſunt, Chriſtiani verò invidiâ laborant.* Si enim *Lumen Mortis* Ethnicum potuit affulgenti fulgore ſuo lunari concitare incredibilem admirationem ſui; quid non præſtaret *Lumen vitæ* Chriſtianum circumfulgentibus omnibus clàritatis ſuæ radiis ſolaribus, niſi vel ſub modium vel ſub lectum Chriſtianonymum ab ambitioſis, avaris & luxurioſis veteris *Adami* Regis ambactis abſtruderetur?

§. 20. Alii admirentur Meteranum qui l. 25. pag. 279. de Politicâ S S. Scripturæ interpretatione inter cætera commemorat, *quod Rex Magnæ Britanniæ* Jacobus *duo illa Regna Anglicum & Scoticum, unâ inſulâ comprehenſa, unire & copulare aggreſſus ſit, curaveritque numos aureos & argenteos cudere cum hac inſcriptione:* Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet; *rurſuſque alios cum hac:* Tueatur unita Deus. *Duplis autem Anglicanis (ut vocant) hæc inſcripta erant:* Faciam eos in gentem unam.

§. 21. Alii admirentur Wolfgangum Mu-

Musculum, qui in 1. Cor. 5. scribit; *Etiam Satanam esse Ecclesiæ Ministrum.*

§. 22. Alii admirentur illos Majorum Gentium Deos, qui ex Plenitudine Potestatis sola, quam *Summam Autoritatem* vocant, ad bella consurgunt, quantumvis destituantur *Intentione* Recta & *Causa* Justa. *Justa* autem *Bella*, prout Augustinus scribit qu. 10. super Josue, *solent definiri, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est.* Est autem *Recta Intentio*, non nisi talis Midæ virgula, qualis inaurat omnia hominis dicta & picta & facta & pacta, juxta illud Aristotelis l. 6. Eth. c. 12. de Operibus ex Intentione bonitatem trahentibus; *Justa agentes non esse justos, si illa vel ignorantiâ faciant, vel ob aliquid aliud, & non ex ipsâ.* Ipsa igitur raritate rariora bella ille Hypsicrates conflabit, in quo extrema voluptatum paucitas militabit. Militabit autem periculosè, cuicunque bellum fuerit tale idolum, ad quale solum confugerit irato divinæ Visitationis tempore. Tempore enim belli non omnia, quæ justa plerisque bellatoribus videntur; aliis justioribus Prætoribus censentur justè geri, sed per insidias & prædas multa contra Jehovam & conscientiam, ab illis

ad-

admittuntur, qui illud Auguſtini oblivi-ſcuntur: *Non quæritur Pax, ut bellum geratur, ſed bellum geritur, ut Pax acquiratur.* Acquiritur enimverò jamdudum bello Archidamico tam maligna fama, ut contagioſæ æquiparetur peſti à Floro & ICtis, qui ajunt; *Idem* Bellonæ *quod* Peſtilentiæ *ſit remedium, à qua fugitur* Maturè, *Securè*, Longè, *Cautè*. Quia *Tempore* Belli *&* Peſtis *ſilent omnes* LL. *poſitivæ, & utcumque obſervari ſolet ſolum* Naturæ *ſeu* Gentium *Jus*, teſte Baldo & Dd. in l. caſus 8. C. de teſtam. & Jaſ. in l. ult. C. eod. n. 6. ob illud *Plutarchi*: C. Marius clɔ Camerinos, qui ſe, in bello adverſus Cimbros, viros ſtrenuos præſtiterant, honore Romanis æquavit, idque præter omne Jus. Reprehendentibus autem hoc factum reſpondit; *Se ob Armorum ſtrepitum non potuiſſe Legum vocem exaudire.* Exaudire enim ſummus Militiæ Imperator (qui experientiâ rei Martiæ, virtute bellica, authoritate caſtrenſi & felicitate victorioſâ floret) vix unquam ſolet Oratores verba egregia facturos de *Religione Orthodoxa, Pietate Chriſtiana, Honeſtate Bonorum Morum Aurea* & *Conſcientiâ Intemerata*, juxta illud Auguſtini: *Quid culpatur in Bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendiſſe Timidorum eſt, non Religioſorum. Nocendi cupi-*

L *ditas*,

ditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, & ſi qua ſimilia; hæc ſunt, quæ in bellis Jure culpantur. Notum eſt illud Plinii l. 8. c. 12. *Dracones exſugentes ſanguinem elephantorum occidunt eos, & ipſi viciſſim inebriati opprimuntur: Ita ſæpenumerò in bello pars utraque & perimit & perit, damnum dat & accipit.* Notius eſt illud Xenophontis: *Sapientis eſt à bello abſtinere, etiamſi graves belli cauſas habeat.* Notiſſimum eſt illud Eraſmi Roterodami: *Arator, niſi incurvus ſit, prævaricatur, ut dicebant Antiqui: Ita miles, niſi impius ſit, parum eſt miles.* Miles quidem omnis (qui nullam aliam callet artem quæſtuariam quàm illam bellicam, quæ docet vivere ex rapto, ubi non licet vivere ex ſtipendio, uſqueadeò ut vereatur ſibi defore quotidianum panem, ſi totus Mundus bello antiquiſſimo noviſſimum imponeret finem) benevolas præbet aures concionatori concionaturo ex Juſtino, apud quem Pharnabazus l. 7. *Indignum* ait *Bella non perfici, ſed redimi; hoſtem precio, non armis ſummoveri.* Sed *in his*, prout ſcribit in ſuo Mercurio epiſt. l. 2. p. 100. *Crucius*, reconditam Dei ſapientiam *miremur, cui Bellorum hæc rabies militat, & qui Principes ſtrictis in mutuam perniciem armis, lictores eſſe vult, & ſatellites Ultionis Divinæ in impias gentes.* Nempe *ut in malè affectis corporibus interdum utilis eſt ſanguinis miſſio:*

miſſio: Ita magno populo expedit exhauriri ſentinam Civitatis, & in Mundi luxuriantem nimis agrum, divinam immitti falcem, quæ ſuperflua aliquot millia Peſte demetat aut Bello. Vel ex Amantio & Mirabellio: *Ut in admirandis Operibus, ſed inutilibus major eſt laus artificis, cujus arte res confecta eſt, quàm Regis, cujus impendio: Ita Belli Gloria maximâ ex parte penes militem eſt conductitium, quorum induſtriâ geritur res, minima pars ad Reges redit, qui aliena etiam pecuniâ militem conducunt,* & proinde *ſua ſuorum commilitonum officia* nonnunquam ſic convenire neceſſe habent ex ore C. Jul. Cæſaris:

——— ——— *Reddenda eſt Gloria vobis,*
Non ſolus vici. ——— ———

Ejus autem auris atque animus abhorret ab Oratore eloquente, vel ex Franciſco Tortio: *Grammatici* Bellum κατ' ἀντίφρασιν *dictum volunt, quod nihil habeat neque bonum, neque bellum; nec alia niſi tali ratione nuncupetur* Bellum, *quali* Furiæ *cognominantur* Eumenides. *Philoſophi malunt à* bellua *iſthanc vocem derivatam, eò quod animalia rationalia belligerantia pluſquam belluino animalium irrationalium ritu in mutuum exitium ſic congrediuntur, ut ea inter concertandum ex Horatio Venuſino ſic interpelles:*

Neque hic lupis mos, neque fuit leonibus
Unquam, niſi in diſpar feris.

Furorne cæcus, an rapit Vis acrior?
An culpa? Reſponſum date.

Poëtæ denique veteres (qui rerum vim atque naturam ſagaciſſimè perſpexerunt & aptiſſimè ingenioſis adumbrationum ſymbolicarum emblematibus effinxerunt) tradiderunt; Bellum *ab Inferno Orco* immitti, *idque* Furiarum miniſterio; *neque quamlibet* Furiarum *ad hoc negocii conficiendum eſſe idoneam, ſed deligitur miniſtra Acherontigenarum Larvarum omnium peſtilentiſſima, cui nomina mille, mille nocendi artes. Hæc innumeris armata colubris, Tartareâ buccinâ claſſicum præcinit:*

Bello armentur equi, minitantia caſtra
ſequantur.

Pan inſano tumultu complet univerſa mari terraque. Bellona ſanguinolenta furioſum quatit flagellum. Furor impius, ruptis omnibus vinculorum nodis, evolat horridus ore cruento. Talia gignit Bellum. *Talia enim ſunt Belli decora; Profuiſſe nemini, obfuiſſe territorio toti, nulla habitâ ratione aut recordatione præſentis ac præſidentis Mundo Dei, cui videntur ſic oggannire:* Recede à nobis militibus, qui ſcientiam viarum tuarum nolumus. *Vah inſolentiam & impudentiam! Ita enimverò gerunt plerique cæcos in polluto corpore animos, ut Dei Juſtitiam videre neſciant, & admoneri indignè ferant;* In Bello (quod, poſteaquam ritè denunciatum eſt & indictum, ſuſcipitur & geritur aut pro rebus

rebus petitis aut pro aris ac focis, juxta illud Ambrosii: *Fortitudo, quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena Justitiâ est*) maximè Jura Belli humana secundum LL. Divinas esse conservanda, ut sine injuria in Pace vivatur; partâ autem Victoriâ conservandos esse hos, qui se inter rebellandum non inhumanos neu truculentos gesserunt, sed per humanum errorem vim vi armatâ armatam specie defensionis repellere gestierunt: in urbibus autem diripiendis evertendisque id considerandum esse, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat; *sed hoc demum non paucis videtur esse*, Verè ac germanè militare, *nihil arbitrari æqui & boni propter se esse sancitum, nulli se Juri esse subditos, se in vaginis suis* LL. *omnes sub ferro gestare, & quicquid conscelerato animo collibuerit, id solum esse Jus fasque. Quid? quod non rarò in sacra Militia ludus & jocus sunt, è vineis vites eradicare, arbores pomiferas exstirpare, flavas segetes cremare, pagos & agros pessimè mulctare, virgines deflorare, matronas adulterare, mulieres signatas exenterare, urbes solidas solo adæquare, templa sacrilegiis profanare & reliqua omnia ita deformare, ut nihil relinquatur nisi varia variæ perditionis vestigia & plurima mortis imago cum isthoc epitaphio*: Quodcunque secum ferre nequit militis *Avaritia*, perdit

 Invi-

Invidia. Vel ex Ludovico Vive, sic scribente, partim ad Hadrianum VI. Pontif. Rom. Anim. Max. *Sunt nonnulli docti homines, qui proximi & probati Principibus, magnaque apud illos autoritate, cum de Bello consuluntur, ita de Justo & Injusto Bello disserunt, ut facilè ex eorum oratione ansam Principes aliqui, in suos affectus proni & præcipites, arripiant, existimandi quodlibet Bellum, modò placeat, Justum esse. Prætextus & Colores nunquam desunt, dum non desit facultas & occasio. Qui si aliter censerent ac disputarent, injectâ in Principum animos religione, cohiberent ac revocarent homines ad arma proclives, & affectionibus impulsos.* Partim ad Henricum VIII. Magnæ Britanniæ Regem: *Bellum non est facilè suscipiendum, nec certa Pax speratâ Victoriâ permutanda. De nullâ re magis aut crebrius deliberandum est quàm de Bello,* in quo non licet Bis peccare, *& ad quod Princeps descendere vix debet*, etiam inevitabili necessitate pressus, *omnibus primò remediis tentatis, & frustra consumptis. Nullum est tam felix Bellum, quo non potior sit* iniqua Pax, *sive curas, sive sumptus, sive discrimina consideres, & contempleris. Itaque de Jure suo citius decedat Princeps, quàm de Summa* salutis publicæ *periclitetur, & tantam fortunæ plagam levi lateris inflexione declinet. Varii sunt Belli casus, & exiguo momento maximas res volvit. Unde* Mavortem *veteres nominaverunt* Bellum, *in cujus ma-*

nus

nus est suscipere, non deponere. Initia Belli penes Principes sunt, Exitus penes Fortunam, *seu verius* Deum, *cujus Voluntatem erga nos, non sine causa ignoramus: videlicet nescii*, quàm apud Eum gratiosi simus. *Itaque non secus*, quàm Pecunia nostro arbitrio *aleæ exposita, illicò alieni fit Juris; incertum*, Cui cessura sit: *Ita Princeps & tota Ditio in sortem Eventus conjicitur, moto bello. Quàm multos pœnituit Belli vel prosperè cœpti?* Nec ulla *Resp. instabilior est, quàm quæ sæpè movet arma. Quoties in extremum discrimen* Athenæ *venerunt? à Persis exustæ, à Lacedæmoniis oppressæ, ac spoliatæ mœnibus: à Philippo fractæ: à Mithridate occisæ: à Sylla propemodum deletæ. Bellatrix illa Roma à* Tatio *capta est, à Porsena obsessa, à Gallis incensa, à Pyrrho territa, ab Annibale concussa, suis denique armis dilacerata. Dicet aliquis*: Armis & Bello crescunt Regna. *Sed & Eisdem quoque pereunt. Minus forsan in Pace est Splendoris & Gloriæ*, falsæ illius *quidem, sed plus Quietis, minus Controversiæ ac Periculi, & proinde firmitatis plurimum.* Non laboro, *inquit* Theopompus Spartæ olim *Rex Sapientissimus*, quàm amplum filiis Regnum tradam, sed quàm mansurum ac stabile. N*ihil ab aliis repetis, sed nec abs te alii: in quorum utroque est periculum, sive cum fortiore congrediaris: sive cum debiliore, quippe nihil est tam infirmum, cui suæ ad nocendum vires desint: destitutaque facultate omni juvandi ac*

benefaciendi, multum adhuc ad lædendum supereſt, tanto videlicet promptius eſt, malefacere, ſeu robore ſui ſeu imbecillitate noſtræ. Vel ex Eraſmo Roterodamo: *Belligeratur aſſiduè, Gens cum Gente colliditur, Regnum cum Regno, Civitas cum Civitate, Princeps cum Principe, Populus cum Populo, & quod* Ethnici *quoque fatentur impium*, affinis cum affine, *cognatus cum cognato*, frater cum fratre, *filius cum patre*: denique, *quod Ego ſane puto his omnibus atrocius*, Chriſtianus cum Chriſtiano. *Et (ô cæcitatem Mentis humanæ!) hæc* nemo *miratur*, nemo *deteſtatur.* Sunt *qui applaudant, qui vehant laudibus; qui* Rem *pluſquam* Tartaream *appellant* Sanctam, *ac Principes ultrò furentes inſtigant, oleum* (quod ajunt) *camino addentes.* Vel ex Reinero Neuhuſio Reformatorum Belgarum ICto orat. 3. de Pace & Bello pag. 17. *Bellum tam peſtilens & exitioſum, ut univerſam morum luem ſimul invehat. Tam illud injuſtum, ut à peſſimis latronibus optimè ſoleat adminiſtrari. Tam impium, tam crudele, ut cadere prorſus in Chriſtianum hominem nullo unquam tempore aut poſſit aut debeat.* Vel denique ex tolerantiore Auguſtino: *Militare non eſt delictum, ſed propter prædam militare peccatum eſt: nec Remp. gerere criminoſum eſt, ſed ideo regere Remp. ut divitiis augeas, videtur eſſe damnabile. Propterea enim quadam Providentia Militantibus ſunt ſtipendia conſtituta,*

ne

ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Cum igitur *Bellum* non tantùm ab Oratoribus & Versificatoribus *discors, miserum, nefarium, sacrilegum, violentum, sanguinolentum, turbulentum, cruentum, inexpiabile, immane, triste, lachrymabile, ferale, fremebundum, furibundum, infelix, minax, rapax, ferreum, insanum, rabidum, perniciosum, funestum & luctuosum* nuncupetur, verum etiam à ICtis Pacificis *Pesti* æquiparetur, qui ajunt; *Tempore* Belli *&* Pestis *silere omnes positivas* L L. *& solum* Naturæ *seu* Gentium *Jus* utcunque *observari*, prout suprà pag. 241. jam inculcavimus: nec non *idem sit remedium* Bellonæ *quod* Pestilentiæ, *à qua nemo consulentium velocius ac felicius liberatur nisi fugitivis pedibus atque votivis precibus è* Jer. 44. v. 13. *Ab Ense, Fame & Peste libera nos, Domine*: eapropter Bella litigiosa non debent esse æterna, sed ante prima quæque finiri hyberna Matt. 5. v.26. *Malus* enim *Prætor est, qui perennibus actoris reique litibus gaudet*; *Bonus* autem *Princeps in tempore lites amputat & summoperè curat, ne illæ evadant immortales* Mynſ. ad §. item verborum. n. 8. Instit. de inutil. stipulat. & Dd. ad l. quidam. ff. si cert. pet. & ad. c. nonnulli. §. cum autem. de rescript. ob illud Apostoli Jacobi. 4. v. 1. *Unde* Bella *&* Pugnæ *inter vos? Nonne hinc, quod in membris vestris vestræ militant Voluptates?* Voluptates

igitur minimæ in talium Magnatum membris militare censentur, quales *Pacem Sanctam*, Concordem, *Niveam*, Sideream, *Almam*, Felicem, *Piam*, Honestam, *Tutam*, Securam, *Lætam*, Togatam & *Laurigeram* tantopere amant, colunt, suspiciunt, ut æmulentur Serenissimos Potentissimosque illos Principes *Ignatium Leopoldum* Imperatorum Germaniæ, *Johannem Casimirum* Regem Poloniæ, & *Fridericum Guilielmum* Electorem Brandenburgicum, quippe qui bello hactenus insuperabiles cũ *Suecis* bello nobilibus anno CIↃ IↃ CLX. pepigerunt Pacem, de qua olim scripsit Fr. Guicciardinus hist. lib. 16. *Nihil sanctius, nihil magis necessarium, nihil Deo gratius* communi *inter Christianos Principes* Pace *futurum video.* Video Augustinum in Psal. 84. scripsisse: *Duæ sunt amicæ*, Justitia & Pax, *Tu forte unam vis, & alteram non facies. Nemo enim est qui non velit* Pacem, *sed non omnes volunt operari* Justitiam. *Interroga omnes homines*; Vis Pacem? *Uno ore respondebit tibi genus humanum*: Opto, Cupio, Amo, Volo. *Ama Justitiam, quia duæ amicæ sunt* Justitia & Pax, *ipsæ se osculantur*; *si amicam* Pacis *non amaveris, non te amaverit ipsa* Pax, *nec veniet ad te.* Video Cassiodorum edisseruisse: *Pax vera est Concordiam habere cum Moribus probis, & litigare cum vitiis.* Video Leonem condocuisse:
Tunc

Tunc est Vera Pax *hominis* & vera Libertas, *quando* Caro *Animo* judice *regitur*, & Animus *Deo præside gubernatur.* Video Hugonem in suo animæ claustro paucis fratribus devotis hæc verba fecisse: *Falsæ Pacis tres sunt species. Est enim Pax* Æstimata, *Pax* Simulata, *Pax* Imperata. *Cum enim inter Seculares Pacem quærimus, dum discordes ad Concordiam revocamus, æstimant Seculares, quod* Pacem *inter nos habeamus: dum in vestimentis ovium* foris *eximus*, & Intus *quasi Lupi Rapaces* gregem simplicem *furtim lacerando dispergimus*, Pacem *simulamus, sed non habemus; cum verò* Prælati *subditis imperant, & eos* Disciplinæ Legibus *non coarctant*, Pacem *docent & non tenent: æstimant* Pacem *Seculares;* simulant *perversi Claustrales; imperant & non tenent lepidi Pastores. Sic igitur* æstimatur *à nescientibus*, simulatur *à non habentibus*, imperatur *à non tenentibus: sed* Veræ Pacis *tres sunt species, scilicet* Pax *Probata*, Pax *Confirmata*, Pax *Certa.* Certa autem Pace in Rebus Mundi Publicis, non gaudent nisi *soli*, ut pro suo suorum more interpretandi Scripturam loquitur Bernhardus, *homines Bonæ voluntatis. Voluntatis autem Bonæ non est, sed plane Iniquæ, qui nequaquam Pace contentus, superbo oculo & insatiabili corde inquietus anhelat ad Gloriam Mundi.* Video denique Franciscum Petrarcham reperire paucissimos in suo Audito-

rio Auditores his auſcultantes: *Quatuor vobiſcum habitant* Pacis *hoſtes*, Avaritia, Invidia, Ira, Superbia. *Has in æternum exilium pellite*, Pax æterna *erit*. Erit itaque omnium conſultiſſimum, ut neutiquam Diſſertatio noſtra ſe longius in longum latumque querqueræ hujus Materiæ campum Martium effundat, ſed duntaxat ex Crucii Mercur. l. 2. epiſt. pag. 166. adſcribat: *In armis interim utrimque partes; & Bellum hoc* Inducias *parturire aut* Pacem, *multorum eſt ſententia. Viderint qui* habenas *tenent*. Omnibus *enim quidem* bonis *expedit ſalvam eſſe Remp. ſed iis maximè, ὧν κράτος ἐστὶ μέγιστον, qui Tutores ſunt & Depoſitarii publicæ ſalutis, & quorum fidei concredita eſt Imperii Dignitas, Juris pignora, Cura patriæ Libertatis & Religionis.* Certè *Pax Bello longè præferenda; nec adeò quiſquam ſenſum humanitatis exuit, quin illam malit, niſi ſub dulci ejus nomine Bellum ut anguis in herba lateat; vel pactio ſit ſervitutis, Morte triſtior, & quovis ſupplicio longè magis formidanda, viris ad Libertatem natis: aut ſi plus nobis ab ea periculi, quàm ab Armis: quæ tum longè tutiora ſunt, cum* Pax *inſidiarum plena, nec talis eſt in receſſu, qualis fronte apparet.* Ut enim nulla venena præſentius nocent, quàm quæ ſapidiſſimis cibis admiſcentur: Sic nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quàm quæ ſub plauſibili vocabulo & honeſtis nomini-

ni-

nibus tegitur; nullæque insidiæ capitaliores sunt, quàm quæ latent sub velo Pietatis, & sanctissimarum necessitudinum: *præsertim apud eos, quibus cessante Bello, argentatis hastis rem gerere familiare est, & promissis ac donis sollicitare fidem eorum, qui sedent ad Reip. clavum*; quo more *Rex Macedoniæ* Philippus *callidus ille regnandi, ex Apollinis oraculo pugnare jussus est, insidiasque struere libertati Græciæ. Sed reprimo Me.* ἀκίνδυνον γάρ ἐστι τῆς σιγῆς γέρας.

§. 23. Alii admirentur talem Philosophiæ Candidatum, qualis ex utroque Ctisis sexu potest conflare *Circulum rotundum*, atque ex eodem extrahere *Quadrangulum*, atque ex Quadrangulo *Triangulum*, atque ita deinceps post Mercurialem rari ac cari unius alicujus *Circuli novi* quæsiti acquisitionem,

αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

24. Alii admirentur Bernhardum de Morte (de qua bene subeunda sic monuit Seneca: *Nihil interest, quando aut quo loco desinas; desine quocunque voles: tantùm bonam clausulam impone.* Ex fine enim suo unusquisque aut justificatur aut condemnatur, *ut scribit Cyprianus*) sic eloquentem: *Bona est Mors* propter requiem, *melior* propter novitatem, *optima* propter securitatem; juxta antiquam illam Etymologiam Ecclesiasticam: *Vita longæva nihil nobis confert,*

nisi quod plura mala partim spectamus, partim exantlamus, partim perpetramus.

§. 25. Alii admirentur illos holophantas qui infestâ sinistri oculi acie feriunt magnum illum *Calvinum*, à quo de Translatione Septimi ab Adamo Patriarchæ prophetici ad Gen. 5. vers. 12. pag. 49. sic scribitur: *Porrò si quæratur, quorsum translatus fuerit* Henoch, *& qualis sit Nunc ejus conditio: respondeo;* Privilegio singulari *talem ejus fuisse transitum, qualis aliorum hominum futurus erat. Etsi enim ipsum exuerit quod corruptibile erat, exemptus tamen fuit à violenta separatione quam Natura refugit.* In summa, *ejusmodi Raptus placida fuit lætaque migratio ex Mundo. Neque tamen in cælestem gloriam receptus est, sed tantùm præsentis vitæ miseriis solutus, donec veniret Christus resurgentium Primitiæ. Et quum unum fuerit ex Ecclesiæ membris, exspectare eum necesse est, donec prodeant omnia simul Christo obviam, ut totum corpus capiti uniatur. Si quis illud Apostoli Hebr. 9. vers. 27. objiciat;* Constitutum esse Omnibus semel mori: *facilis est solutio, quod* Mors *non semper divortium sit animæ. Sed* Mori *dicuntur, qui corruptibilem exuunt naturam, qualis erit Mors eorum, quos dies ultimus superstites inveniet.* Sed verò ablandiente dextri oculi specie adspiciunt *Lutherum* qui in Esa. 56. §. *A facie enim malitiæ* fol. 214. sic edisserit: *Antequam veniet*

Ca-

Calamitas, auferentur Justi, & venient in Pacem, & requiescent in cubilibus suis, quia Rectè ambulaverunt. Est autem insignis Locus, qui consolatur nos, fore ut securi post Mortem in Pace quiescamus, ubi nulla sentiamus incommoda. Quomodo *autem hoc fiat &* Ubi, *non est nostrum scire. Satis enim hoc est scire, fore Pacificam Quietem.*

§. 26. Alii admirentur Originem Adamantium hom. 24. in Luc. 3. pag. 235. qui mirè præscribit sequentem ad beatum moriendi genus parasceven: *Quomodo Johannes juxta Jordanem fluvium venientes ad Baptismum, & alios abigebat dicens:* Generatio Viperarum, quis præmonstravit vobis, ut fugeretis à futura Ira? Ferte igitur fructus Pœnitentiâ dignos. *Porrò eos qui confitebantur peccata, suscipiebat: Sic stabit in Igneo Flumine Dominus Jesus juxta flammeam rhomphæam* Gen. 3. vers. 24. *ut quemcunque post exitum vitæ hujus, qui ad Paradisum transire desiderat, & purgatione indiget, hoc eum Amne baptizet, & ad cupita transmittat: Eum verò qui non habet Signum priorum Baptismatum, Lavacro Igneo non baptizet. Oportet enim prius aliquem baptizari Aquâ & Spiritu, ut cum ad Igneum Flumen venerit, ostendat; Se & Aquæ & Spiritus lavacra servâsse, & tunc mereatur etiam Ignis accipere Baptismum in Christo Jesu.*

§. 27. Alii admirentur *Bonifacium* III. Ponti-

Pontificem Romanenſium animarum Maximum, qui Clavibus cœli uſurpatis prædominabatur in Imperatores & Reges.

§. 28. Alii admirentur Oecolampadium, qui in Zachar. 11. verſ. 16. ſcribit; *Malignum Antichriſti Imperium eſſe opus Dei: quia dicit*: Ego ſuſcito. *Et* 2. *Theſſ.* 2. §. Deus *dicitur mittere* efficaciam erroris. *Per* Antichriſtum *autem* (præmittit idem ibidem verſ. 15. de vera *Pſeudoprophetæ* ætate) *ne ſomnies* hominem quendam ſingularem, *in noviſſimis temporibus*, appetente die Judicii *proditurum*, *ſed intelligas* Totam illam Congregationem *Malè* docentium, ac *contra Verbum Dei*, ſub prætextu Chriſti, *plebem* ſeducentium. *Nihil enim aliud eſt* Antichriſtus *quàm* adverſarius Chriſti. *Chriſtus* omnia *facit* ad gloriam Patris, *&* Veritatem *amplexatur*; *Antichriſtus* ſua *quærit*, *contempta* gloriâ Dei, *Mendaciisque* ſuum Imperium *ſtatuit. Pollicetur ſanè* Spiritualia, *ſed tantùm* Externa quædam *docet & ad Hypocriſin facientia*. Veriſſimus *autem* Character Antichriſti *eſt quærere* Libertatem Carnis, *& ſectari* Commoda Propria *ſub Chriſti & Euangelii prætextu*. Apud Judæos *auditus eſt* Antichriſtus, *jam tunc quum audirent Phariſæos & Scribas ſuos inſtigantes*, *ut eligerent magis dimitti Barrabam & crucifigi Chriſtum. Habuerunt quoque quum obſideretur Jeruſalem*, Antichriſtos

ſtos *Doctores reparaturos* priſtinam Libertatem, *pro qua omnia agebant & patiebantur.* Quod *prædixit eis Dominus* Joh. 5. *verſ.* 43. Ego veni *in nomine Patris mei*, nec recipitis Me; ſi venerit Alius *nomine ſuo*, Illum recipietis. *Porrò* Antichriſtus *etiam* ex media Eccleſia *prodiit* multoſque *ſeduxit*, ſtatim ipſis Apoſtolorum temporibus, *cui ſe*, mendax *Hypocritarum* populus *facilè credit* in ſuam perniciem, *quales* Johannes *in ſua Epiſtola taxat*, *item* Petrus, & Paulus *ad Theßalonicenſes*.

§. 29. Alii admirentur Philoſophum illum Leontinum *Gorgiam*, qui præter cæteros ambitioſos ſecularis famæ negociatores (quos Tertullianus vocat *Gloriæ Animalia*) in publica confluentium auditorum corona jactare auſus eſt; *ſe poße copioſiſſimè dicere, non tantum de qualibet re, de qua quilibet præſentium averet audire, verum etiam de quacunque alia, quæ apud quoſcunque abſentium in diſceptationem quæſtionemque vocaretur.*

§. 30. Alii admirentur Poëtas tales temerè κατακροτοῦντας, qualium unus ad *Nicolai Machiavelli* Florentini fores ſic modulari non erubuit:

Supremum per te nacta eſt Prudentia *culmen*,
Ulterius nec quò progrediatur, habet.

Alter verò ſic ad aures *Gulielmi Butleri* Cantabrigienſis Medici cantillare auſus eſt:

Hip-

Hippocratis laudes noli mirarier; una
Butlerii superat Coa miracla manus.

§, 31. Alii admirentur ferale spectrum illud Fœminæ Candidatæ Clavigerum, quod se in Regiomontana Borussorum arce vel interdiu iterum iterumque conspiciendum præmonstrat, quotiescunque non nemini primario ex Electorali Domo Brandenburgica fato concedendum est,

Quod parcit Capiti nulli, sed abhinc rapit Omnes
Magnos & Parvos in sua busta cava.

32. Alii admirentur *Miracula* illa *Mundi*, VII. famosa, Templum *Dianæ* Ephesiæ, *Sepulchrum* Mausoli *Regis Cariæ*, Colossum *Solis* apud Rhodios, *Jovis Olympici* simulachrum ex ebore à *Phidia* factum, *Muros Babylonis*, Pyramides Ægypti, & *Domum Cyri* Medorum Regis, quod *Menon arte prodigiosâ illigatis auro lapidibus fabricavit.* Quamvis autem hæc singula olim tot laudibus fuerint celebrata ut nihil divinius ars humana excogitare posse crederetur: ea tamen omnia cum tempore rerum edace ita interciderunt, ut eorum vix ullum amplius vestigium hodie exstet. Hinc ea multi multæ vanitatis arguunt, & insuper ab incomparabilibus excludunt, dum sic cum Martiale canunt:

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis;
Assiduus jactet nec Babylona labor;

Nec

Nec Triviæ Templo molles laudentur Iônes;
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens;
Aëre nec vacuo pendentia Mausolæa
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.
Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro,
Unum præ cunctis fama loquatur opus.

§. 33. Alii denique admirentur, cur Johannes Apostolus duriusculo hujusmodi hortamento suam priorem ad tales electos Dei filios epistolam Catholicam, in quales nulla videbatur posse cadere ἀποστασία ad Idololatriam, sic claudat: *Filioli, cavete vobis ab Idolis.* Idola gemmea, aurea, argentea, lapidea & lignea Judæi hodierni quidem ἔξωθεν non adorant; adorant tamen ἔσωθεν omnia Christianonymorum idola,

ממון רשקר , מעזים

& consimilia in Europa, Africa, Asia & America.

§. 34. Ego autem Æternos Æternæ Æternitatis utriusque Annos demirabor, & paulisper contemplabor eo modo Magnum illum Castellæ & Legionis Regem *Ferdinandum:* quo se præparabat ad mortem. Ille enim ab *Isidoro* de imminente ultimâ Fatalis Termini horâ præmonitus, regalem chlamydem, auream coronam & reliquum Ornatum Regni augusti pomposum,

quo

quo ornatus & oneratus in templum ægrotus delatus fuerat, ad aram ſic reſignavit ei Domino, à quo Feudum Regale Vaſallus acceperat: *Tua eſt Poteſtas, tuum eſt Regnum, Tu es ſuper omnes Reges, Regnum quod Te donante accepi; ecce reddo Tibi; tantùm animam meam de militia hac ereptam, ut ad Te ſuſcipias, deprecor.* O illuminatum à lumine cœleſtis gratiæ almo Regem! Rex enim hic oculo mentis prophetico inter cætera vidit I. quod *non ſunt hominis bona, quæ ſecum ferre non poteſt*, ut ait Ambroſius in Luc. 16. verſ. 12. Sed *aliena*, prout innuit *Cœlius Calcagninus*, quando in illuſtri *Herculis Strozæ* funere ſic perorat: *Cum enim quotidiè videamus in rebus humanis nihil certi, nihil explorati, fluxas opes, lubrica Regna. Cum ea quam tanto quærimus opere Gloria, res ſit omnium vaniſſima. Cum res deſultoria ſit Magiſtratus, & crebrius ad immerentes accedens: ita ut neque in felicitate, neque in rerum amplitudine quiſquam ſibi tantillum polliceri poſſit. Cum univerſa mortalium vita ſit innumeris acta miſeriis, nec aliquid ſit homine aut infelicius aut ſuperbius; jam ego nihil video, quod ulli commodius aut opportunius precari queamus, quàm propriam Mortem: quæ quàm celerrimè fieri poteſt, nos manu fati eximat, eripiatque aliquando ex hac rerum viciſſitudine, atque in patriam revocet.* Revocaturo enim omnia ad Chriſtianam ſuam ſcientiam facilè

cilè conſtabit, nullam inter omnes manſiones cæleſtes dari, de qualium unâ cuipiam habitatorum unquam dicere conſcias è Plauto: *Nunc tu hinc emigra; ſceleſtæ hæ ſunt ædes, impia eſt habitatio. Quæ hîc monſtra fiunt, anno vix poſſim eloqui.* Eloqui autem poſſis; nos in hac miſerabili exilii lachrymoſi valle quotidiè per varias Mortis Citationes ad tranſmigrandum hinc inquietari, & ſæpenumerò (gratias cœlo!) ſub talibus oves paſtoribus converſari, de qualibus ſcripſit Auguſtinus: *Deus dat terrenum Regnum & piis & impiis, ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet.* Placeat igitur Magnatibus ruminare ſymbolum Conſtantis II. Imperatoris: *Mali Principis malus exitus.* Exitum autem bonum ille Princeps facilè ſortietur, qui ante mortem ſuam ex filio hujus ſeculi uterino fiet talis filius Dei genuinus, ut Superna provideat, antequam ab Infernis opprimatur, ob illud Gregorii l. 14. mor. c. 13. *Deſiderium cæleſtium neſciunt, qui cor in terrenis voluptatibus defigunt.* Non eſt enim de progenie DEI qui magis obſequitur ſuæ humanæ Voluptati quàm divinæ Voluntati. II. quod nemo mortalium verè unus Spiritus evadit cum immortali Deo, priuſquam deſtiterit adhærere Mundo cadaveroſo. III. Quod cunctæ defunctorum animæ Orthochriſtianæ ab Angelis transfe-

ferantur ad illum latronem ſanctificatum, cui Chriſtus crucifixus adpromittendo dixit: *Hodiè mecum eris in paradiſo.* Paradiſus itaque eſt illud Templum aulicum, ubi vox Concionatoris ſonat Iſidorum. Iſidoros autem tales, quales & ſemetipſos & Principes ſuos poſſint ſalvare, conſpicias perpaucos, ſed tales γλωσσοχαρειτοῦντας concionatores palatinos comperias permultos, quales malunt perdere ſemetipſos totos & Principes ſuos quàm ſolos collativos illos Deos *Ventres* ſuos, Philipp. 3. ℣. 19. Quare qui ita ſe effarciunt, pejus cæcutiunt, quàm ille Pontifex Romanenſium animarum Maximus Marcellus II. qui anno CIƆ IƆ LV. de ſuo Throno Hierarchico dixit: *Non video, quomodo, qui locum hunc altiſſimum tenent, ſalvi eſſe poſſint.* O veritatem è tripode! Nihil igitur adde niſi X. verba: *Exactiſſimam Olim Paſtores Politici Eccleſiaſticique* ἀρχιποιμένι Chriſto Judicaturo *Reddent Rationem.*

§. 35. Quod quum *Creaturæ ſupponant Bonitatem in re quam amant*, ut exarat *Philippus à Sanctiſſima Trinitate* in ſua ſumma Philoſophica part. 3. quæſt. 24. art. 3. ſub fin. pag. 793. *amor* autem *ſollicitus ſit de omnibus ad rem amatam pertinentibus, quamvis aliàs videantur eſſe minuta*, ut inculcat Ameſius in 1. Pet. 1. doc. 4. rat. 2. pag. 24. eapro-

propter jam nos ſextuplices Coronarum laudatarum Icones cum ſuis Gnomis in gratiam eorum (qui autore deſtituuntur, à quo effinguntur) ſubjicere conſultum duximus. Ecce igitur

I.

Laurea.

Me pompæ provexit apex.



II.

Civica.


Servati gratia Civis.



III.

Muralis.


Excidii Turribus Honos.



IV.

Vallaris.

Hoc Valli Insigne Recepti.



V.

V.

Roſtrata.

Claſsis Monumenta Subactæ.



VI.

Obſidionalis.

Merces Sublimis Honorum.



Quibus præmiſſis Coronis corollaria ſubſequentia ſubnexum abimus.

I. Sum-

I. Summa Ecclesiæ Catholicæ Corona est, quod *Λόγος ille* factus est *Caro*, juxta illud decantatissimum:

Sum quod Eram, nec Eram quod Sum, nunc dicor Utrumque.

Nisi enim ille Sol Justitiæ gratiosus ex Alto Nobis ortus esset, æterna animabus nostris nox foret. Quapropter è tanta Mortis umbrosæ caligine traducti in gloriosam beatæ vitæ lucem, nos nobis Christianis magis congratulari jam possumus, quàm illæ filiæ, quas olim ad congratulandum sic exhortabatur Canticum Canticorum: *Puellæ Tzijonis, prodite spectatum Regem Salomonem cum coronâ; quâ ipsum ipsius mater coronavit die sponsaliorum ejus & die lætitiæ animi ipsius.* Quod si transgrediamur à Typo ad Antitypum, de quo elocutus est Ambrosius lib. 3. de Virg. *Omnia habemus in Christo, & Omnia Christus est Nobis*; internis mentium credentium oculis conspiciamus Christum Regem nostrum gerentem *in Regno Potentiæ* Coronam ferream, in *Regno Gratiæ* Coronam argenteam; sed in *Regno Gloriæ* Coronam auream.

II. Illud Chrysostomi tom. 4. hom. 8. in c. 3. epist. ad Coloss. *Nihil hac linguâ sanctius est, quæ in adversis gratias agit; certè non est inferior linguâ Martyrum; utraque pariter coronatur. Si ergò dolores pertulerit, & gratias*

egerit, Martyrii Coronam sortitur.

III. Uniusmodi viâ non datur Corona in Christiana Militia. Apostoli Petrus, Paulus, Jacobus, alii, cum adversus Diabolum & vitia nos armant, illud identidem inclamant: *Resistite Diabolo, Resistite.* Animum invadit Ira? *Resistite.* Sacra auri fames lacessit? *Resistite.* Invidia præcordia oppugnat? *Resistite.* Arrogantia supercilium erigit? *Resistite.* Acedia torpida degravat? *Resistite*, juxta illud *Guntheri* in Corona Imperiali:

Imperium nullum, sed Virtus sola coronat;

ob illud M*acrobii Aurelii* Theodo*sii* l. 1. in somnio Scipionis cap. 7. *Beatitas debetur Conservatoribus Patriæ. Solæ autem* Virtutes *faciunt* Beatum, *nullâque aliâ quisquam viâ hoc nomen adipiscitur. Unde qui existimant nullis nisi* philosophantibus *inesse* Virtutes, *nullos præter Philosophos* beatos *esse pronunciant. Agnitionem enim rerum divinarum* Sapientiam *propriè vocantes, eos tantummodò dicunt esse* Sapientes, *qui* Superna *acie mentis requirunt, & quærendi sagaci diligentiâ comprehendunt, & quantum vivendi perspicuitas præstat, imitantur. Et in hoc solo esse ajunt Exercitia Virtutum, quarum Officia sic dispensant:* Prudentiæ *esse, Mundum istum & omnia quæ Mundo insunt, Divinorum contemplatione despicere, omnemque animæ cogitationem in sola Divina dirigere.* Tempe-

perantiæ, *omnia relinquere, in quantum Natura patitur, quæ corporis usus requirit.* Fortitudinis, *non terreri animam à corpore quodammodo ductu Philosophiæ recedentem, nec altitudinem perfectæ ad superna adscensionis horrere.* Justitiæ, *ad unam sibi hujus propositi consentire viam uniuscujusque Virtutis obsequium. Atque ita fit, ut secundùm hoc tam rigidæ Definitionis abruptum Rerump. rectores* beati *esse non possint. Sed* Plotinus *inter Philosophiæ professores cum* Platone *princeps* libro de Virtutibus, *gradus earum vera & naturali Divisionis ratione compositos per ordinem digerit*: Quatuor sunt, *inquit*, quaternarum genera Virtutum. *Ex his* PRIMÆ Politicæ *vocantur*, *Secundæ* Purgatoriæ, *Tertiæ* Animi jam purgati, *Quartæ*, Exemplares. *Et sunt* Politicæ *hominis, quia* sociale Animal *est. His Boni viri Reip. consulunt, Urbes tuentur, his parentes venerantur, liberos amant, proximos diligunt, his civium salutem gubernant, his socios circumspectâ providentiâ protegunt, justâ liberalitate devinciunt; hisque sui memores alios fecere merendo. Et est* Politicæ Prudentiæ, *ad Rationis normam, quæ cogitat, quæque agit universa dirigere, ac nihil* præter Rectum *velle, vel facere, Humanisque actibus tanquam Divinis arbitris, providere.* Prudentiæ *insunt Ratio, Intellectus, Circumspectio, Providentia, Docilitas, Cautio.* Fortitudinis *est animum supra Periculi Metum agere, nihilque*

nisi Turpia *timere*, *tolerare fortiter vel adversa vel prospera.* Fortitudo *præstat Magnanimitatem*, *Fiduciam*, *Securitatem*, *Magnificentiam*, *Constantiam*, *Tolerantiam*, *Firmitatem.* Temperantiæ, *nihil appetere pœnitendum*, *in nullo* Legem Moderationis *excedere*, *sub* Jugum Rationis *Cupiditatem domare.* Temperantiam *sequuntur Modestia*, *Verecundia*, *Abstinentia*, *Castitas*, *Honestas*, *Moderatio*, *Parcitas*, *Sobrietas*, *Pudicitia.* Justitiæ, *servare unicuique quod suum est.* De Justitia *veniunt Innocentia*, *Amicitia*, *Concordia*, *Pietas*, *Religio*, *Affectus*, *Humanitas. His Virtutibus vir bonus*, *primum Sui*, *atque inde Reip. Rector efficitur*, *justè ac providè gubernans Humana*, Divina *non deserens.* Secundæ, *quas* Purgatorias *vocant*, *hominis sunt*, *qui Divini capax est*, *solumque animum ejus expediunt*, *qui decrevit se à corporis contagione purgare*, *& quadam Humanorum fuga solis se inserere Divinis. Hæ sunt* Ociosorum, *qui à Rerump. actibus se sequestrant. Harum quid singulæ velint*, *patet è virtutibus* Philosophantium *laudatis*, *quas solas quidam existimaverunt esse* Virtutes. Tertiæ *sunt*, *purgati jam defecatique animi*, *& ab omni Mundi hujus adspergine pressè puréque detersi. Illic* Prudentiæ *est*, *Divina non quasi in electione præferre*, *sed sola nosse*, *& hæc* tanquam nihil sit aliud, *intueri.* Temperantiæ, *terrenas cupiditates non reprimere*, *sed penitus oblivisci.*
For-

Fortitudinis, *Passiones ignorare, non vincere, ut nesciat Irasci, cupiat Nihil.* Justitiæ, *ita cum Superna & Divina Mente sociari, ut servet perpetuum cum ea fœdus imitando.* QUARTÆ Exemplares *sunt, quæ in ipsa Divina Mente consistunt, quæ* Νοῦς *vocatur, à quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem defluunt. Nam si rerum aliarum, multò magis virtutum* ἰδέας *esse in Mente credendum est. Illic* Prudentia *est Mens ipsa Divina.* Temperantia, *quòd in se perpetua Intentione conversa est.* Fortitudo, *quòd semper idem est, nec aliquando mutatur.* Justitia, *quòd perenni Lege à sempiterna operis sui continuatione non flectitur. Hæc sunt* Quaternarum Quatuor Genera Virtutum, *quæ præter cætera, maximam in* Passionibus *habent differentiam sui.* Passiones *autem (ut scimus) vocantur, quod homines metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. Has* Primæ *molliunt,* Secundæ *auferunt,* Tertiæ *obliviscuntur, in* Quartis *nefas est nominari. Si ergò hoc est officium & effectus Virtutum,* Beare, *constat autem & Politicas esse Virtutes, igitur ex Politicis efficiuntur Beati.* Beati enim censentur illi Rerump. Reges, qui ita philosophantur, ut identidem tali Justâ gaudeant Multitudine, qualis universitatem Divino atque Humano Jure sociatam videas in L L. obsequium consentire, & constante Virtutum tam ociosarum quàm negociosarum exercitio post hanc vitam

in cœlum pervenire. Pervenire autem in cœlum nemo quiſquam ſolet niſi vel Marte aperto vel arte opertâ. Habet enim ſua quoque Stratagemata Eccleſia. Eccleſiæ igitur Renatæ renati filii communiter pugnando Regnū Diaboli ſuperant. Atenim ſi Venus ſalax vellicat, novum armorum genus capeſſendum, juxta illud Apoſtoli acclamantis ex 1. Cor. 6. verſ. 10. *Fugite fornicationem.* Quò Auguſtinus reſpexit ſer. 20. de Temp. l. 395. quando dixit: *Quod Libidinem fugiendam eſſe ſuggerimus, Apoſtolus Paulus evidenter oſtendit: qui cum omnibus vitiis prædicaverit reſiſtendum, dum contra Libidinem loqueretur, non dixit*, Reſiſtite, *ſed* Fugite fornicationem. *Ergò contra Libidinis impetum apprehende Fugam, ſi vis obtinere Victoriam. Nec tibi verecundum ſit fugere, ſi Caſtitatis palmam deſideras obtinere.* Hoc Strategema olim in Ægypto Joſephus tam benè calluit, ut non tantùm fugerit, ſed & in fugæ teſtimonium pallium reliquerit. Sic, ſic & apud Deum & apud mundum Caſtitas *in perpetuum coronata triumphat.* An autem omnes licentioſorum temporum modernorum juvenes evadant Joſephi triumphales, qui ſoli cum ſolis filiabus nubilibus in longinquum abeunt & redeunt palliati, divino relinquendum eſt tribunali, cujus ſolius eſt ſuper arcana cordium dijudicare facta ju-

juvenum quorum quemque jamdudum sic alloquitur Ecclesiastes ille Regius Salomon: *Esjoue toy*, Jeune! *en ta Jeunesse*, *&* *que ton cœur soit gaillard* és Jours de ta Jeunesse; *& chemine selon* les Voyes de ton Cœur, *& selon* le Regard de tes Yeux; *mais cognoy que* pour Toutes ces Choses *Dieu t' amenera* en Jugement. *Oste le Marrissement de ton Cœur, & oste le Mal de ta Chair: Car l'Adolescence & Jeunesse ne sont que Vanité.* Quod si quis Juvenum tempus habet nullum ruminandi isthæc Jedidjæ verba multa, ille tempus subsecet ullum applicandi sibi subsequentia Pauli verba tria ex 1. Tim. 2. 22. *Juveniles fuge Cupiditates.* Cupiunt autem Juvenum plerique *se amicire* à la mode; *gestar calceos, pileos & capillos* à la mode; *tondere mystacem* à la mode; *aperire caput* à la mode; *salutare* à la mode; *perorare* à la mode, *exarare literas* à la mode: *lusitare* à la mode; *cantare* à la mode, *saltare* à la mode; *potare* à la mode; *pugnare in duelli campo* à la mode; *basiare bellas puellas* à la mode; *prodeambulare cum virginibus* nubilibus à la mode, &c. &c. &c. quæ nemo adscribat nisi qui juvenes amandos non amat neque recogitat; *se quoque juvenem olim fuisse*, ob illud vatis pervulgatum:

Angelicus juvenis senibus Satanizat in annis.

Quod idem jam dudum comperias non se-

mel fuiſſe, eſſe atque fore verum, tametſi ſit Poëticum. Quippe quoniam

Mendaces omnes non fingunt omnia Cretes.

Silentio tranſeo, quod vel ipſe mendaciſſimus Mendaciorum Pater Diabolus, cujus Proprium propriiſſimum eſt Mentiri, mentiri *ſemper* & *ubique* nullus ſtudeat atque ſoleat. Solet quidem ex ſuo ipſius Theſauro atro ater iſte Theologus atque Politicus proferre puta putidaque fallacia, ſed ex alieno nonnunquam expromere talia veracia, ut rectiſſimè de eo Apoſtolus conteſtatus ſit: *Satanas ſe in Angelum Lucis transfigurare callet.* Callet quoque Pontifex Romanenſium animarum Maximus tale Artificium cauponandi Hierarchicum, ut ſecundùm λαμυρίαν ſuam Pſeudopropheticam veris falſa doctè miſceat. Enimverò ſi hic Hierarchicus Imperator *ſemper* & *ubique* pura putaque expectoraret mendacia, facilè cognoſceret Omnis omninò omnium ſuarum ſibi devotarum ranarum grex, qualis ipſis in caſtellis ac ſacellis ſuis præſideret Rex, juxta illud Apoc. 9. v. 11. ubi hic *Angelus Abyſſi* cognominatur partim Hebraicè אֲבַדּוֹן partim Græcè Ἀπολλύων.

IV. Illud Lutheri in ſchol. ad Eſa. 34. §. Et erit vir ſicut qui abſconditur, mihi fol. 75. *Obſerva hîc inſignem commendationem* Magiſtratus, *quod ſit* ceu Murus *qui defendat*

à

à vi ventorum & pluviæ. Item quod ſit ceu Rivus *in arido loco & petra umbræ.* Has ſimilitudines *diligenter conſidera, & videbis, quàm magnifica res ſit*, Magiſtratum eſſe, *ut rectè à Chriſto ἐυεργέται ſint dicti. Hæc autem omnia* majora *videbuntur, ſi circumſtantias omnes expendas. Si enim* Magiſtratus officium *eſt, ut ſit* Honori *Bono Operi*, & Timori *Malo Operi, neceſſe eſt ut in ſe Satanam cum omnibus ipſius membris concitet. In his autem conſiſtere & non frangi animo, Divina Virtus eſt. Meritò igitur geſtant Coronas tanquam Victores omnium Malorum, Satanæ & Mundi.* O vocem ab omnibus Chriſtianorum Regibus Cedro litterandam & Auro! Aurearum pariter atque argentearum Caſtrenſium, Regalium, Pontificalium & Triumphalium gratiæ, gloriæ, honorificentiæ, ſapientiæ & opulentiæ Coronarum toties meminerunt ſacræ Literæ 2.Sam. 12. vſ.30. Eſth. 8. ℣. 15. Job. 19. ℣. 9. Pſal. 8. ℣. 6. & 21. ℣. 4. & 103. ℣. 4. Prov. 4. ℣. 9. & 12. ℣. 4. & 14. ℣. 18, 24. & 16. ℣. 31. & 17. ℣. 6. Eſa. 28 verſ. 1.35. & 62. verſ.3. Jer.13. verſ.18. Thren. 5. verſ. 16. Ez. 16. verſ. 12. & 21. verſ.31.32. & 23. verſ. 42. Zach. 6. verſ. 11. 1. Theſſ. 2. verſ. 19. 2. Tim. 2. verſ. 5. Apoc. 4. verſ. 4, 10. & alibi, ut ægerrimè adſcribam vocem illam Auguſtini controverſam: *Cum Deus coronat Merita noſtra, nihil*

aliud coronat quàm Munera sua. Quod quum perrarò singulari cuipiam Dei amico ἐξαπινῆς ultima Vitæ hora præsignificetur, omnis alius Rex aut Grex in tempore εὐθανασίαν ita perdiscat, ut ad emortuale illud punctum, à quo utraque dependet Æternitas, nunquam offendatur imparatus, sed singulis momentis excubet & in procinctu perstet, ob illud Christi præmonitum Apoc. 3. vers. 11. *Ecce, Venio Citò, Retine quod habes, ut Tuam nemo alter accipiat Coronam.* Corona Vitæ enim promissa omni quidem Credenti commonstratur, sed non nisi soli Vincenti communicatur Apoc. 2. vers. 10. Mundus autem nonnunquam ita coronat, ut suæ eum Coronationis pœniteat, prout emicuit ex *Adulpho*, *Wenceslao* aliisque Imperatoribus & Regibus de Throno Augusto depositis. *Neque enim Coronis aliquid credendum est, quæ etiam ad imperitos gratia deferre solet*, ut Petronius Arbiter arbitratur.

V. Arbitramur illam esse Orthochristianæ Militiæ indolem germanam, ut nihil temerè jactet sed hoc identidem voce humili ubique sibi suisque inculcet: *Nostræ Pugnæ, nostræ Victoriæ, nostræ Coronæ, nostri Triumphi, nostra denique Trophæa sunt hæc, ut pro Imperatore nostro Dn. Jesu Crucifixo, quem corde & ore nos diligere profitemur, fortia & perpetremus & toleremus.* Quia Virtutes non trium-

triumphant nisi oppugnatæ, usque adeò uti per saxa, per ignes probatæ se semper cum Regina sua Prudentiâ exhibeant nobiliores & fortiores omni fortuna, atque in ipsa Morte gaudeant palmâ victoriosâ, juxta illud Christi Joh. 16. vers. 33. *Ayez bon courage, j'ay vaincu le Monde.*

CAP. XX.

SÆpè compertum est, quod Dona commemorata non viritim, sed cohortibus & legionibus integris præberentur. Præterea spoliorum pars inter milites distribuebatur, exceptis his, quæ Triumpho servabantur.

§. 1. Equidem aurum & argentum & æs & reliqua spolia de hostibus capta atque in Triumpho adducta, Senatus Populique Romani erant, & in publicum ærarium reponebantur: veruntamen Expensæ, quas Pompa Triumphalis requirebat, exinde detrahi solebant. Solebant enim Duces Victores publicis triumphare sumptibus.

§. 2. Sumptibus autem privatis primus triumphavit *Appius Claudius Pulcher* de Salassis ex Alpibus anno U. C. D C X. Et hic enim Dux victoriosus (quum non tot mil-

millia hoſtium modò, quot rigor Legis Triumphalis exigebat, ſed propter deviſtæ gentis inopiam etiam neutiquam tantum auri & argenti in fiſcum detuliſſet, ut Triumphi impenſæ ei à Senatu negari nequirent) ſuis ipſius ſumptibus triumphavit, honorificentiæ magis quàm opulentiæ habita ratione.

§. 3. Exploratum quoque habetur, non nullos Impp. feſto Triumphali die præter viſcerationes magnificum epulum & congiarium dediſſe, atque ſumptus ad ludos edendos eſſe elargitos, prout inter cætera evincitur ex illo Liv. dec. IV. lib. 9. mihi pag. 443. *Triumphus M. Fulvio eſt decretus. Is cum gratias* P. C. *egiſſet, adjecit, Ludos Magnos ſe Jovi Opt. Max. eo die quo Ambraciam cepiſſet, voviſſe, in eam rem ſibi* 100. *pondo auri à Civitatibus collatum, petere ut ex ea pecunia, quam in Triumpho latam in ærario poſituros eſſet, id aurum ſecerni juberent. Senatus Pontificum Collegium conſuli juſſit, num omne id aurum in Ludos conſumi neceſſum eſſet? Cum Pontifices negâſſent, ad Religionem pertinere, quanta impenſa in ludos fieret: Senatus Fulvio, quantum vellet, impenderet, permiſit, dum ne ſummam* LXXX. *millium excederet*; juxta illud Plinii Junioris: *Natura omnes homines reſtrinxit ad Pecuniæ cuſtodiam.*

§. 4. Conferebatur autem reſidua pecu-

cuniæ vis vel in Armamentarium, vel in Fana, vel in Porticus, vel in Janos, vel in Atria, vel in Arcus, vel in Amphitheatra, vel in consimilia Opera Publica. Plures quippe homines percallent benè (si Superis placet) dispensare pecuniam quàm benè curare suam animam, ad exemplum Augustini, cujus voces magistræ exstant in Psalm. 26. enarr. 2. *Quicquid mihi præter Deum est, dulce non est; quicquid mihi vult Dominus meus dare, auferat totum, & se mihi det.*

§. 5. Dabatur olim tale Corpus Juris Civile in publicum, è quali elucet tanta Imp. *Justiniani* cura & gratia & vigilantia pro gaza publica, ut nunquam obliviscatur sui sacri ærarii, sed toties eidem in Institutis, Pandectis, Codice & Novellis primas det, ut *de Privilegiis fisci* non nemo ingentem *librum* conscripserit, juxta illud *Somnii* Legati cælestis ad Imp. Græcorum Agamemnonem:

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
ᾧ λαοὶ ἐπιτετράφαται, prout legas apud Hom. Iliad. β. Utinam filii lucis darent plus studii in collocupletandis animabus suis paupertinis! Erit, erit illud profectò tempus, & illucescet aliquando ille dies, quum omnis Turba Avaritiæ ac cujusvis Malitiæ Magna ubique quæretur, sed nullibi reperietur Psal. 104. vers. 35.

Efflo-

Efflorescant igitur, quoadusque deflorescant. Quia

Accelerabit hyems, semper non permanet æstas.

CAPUT XXI.

REminiscantur alii illud *Hieronymi Osorii* l. 3. de Gloria: *Sola vera Virtus firmam & stabilem gloriam efficiet. Magna enim est vis in virtute, magnum robur & invictum, nempe quæ nec perditorum hominum injuriis infringi, neque invidiæ telis obrui, neque inscitiâ multitudinis obscurari possit; sed ita semper cum amentia & scelere congreditur, ut clarissimum Triumphum agat lumenque suum tandem omnium oculis conspiciendum exhibeat.* Ego verò reminiscar jam illud Pythagoræ: Μὴ ἐν πολλοῖς ὀλίγα λέγε, ἀλλ' ἐν ὀλίγοις πολλά. Quapropter velut per satyram adscribendum erit, quod omni Parasceves Triumphalis ritu peracto, Imperator talem Currum Triumphalem conscendebat, qualis non erat uniusmodi, sed aliusmodi atque aliusmodi, & frequenter à Castrensibus falcatis & Circensibus quadratis artificio distabat, & nonnunquam cum turri rotunda admodum se æquabat, prout ex antiqua moneta subsequentes repræsentant figuræ.

FI-

FIGURARUM

I.



FIGURARUM

II.



FIGURARUM

III.



Qualibus Curribus Triumphalibus magnus ille Iſraëlitarum Propheta *Elias* Thesbites & Imperator noſter generaliſſimus *Chriſtus* in cœlum cœlorum conſcenderint, petas repetaſque ex 2. Reg. 2. verſ. 11. & ex Act. 1. verſ. 9. juxta illud Bugenhagii

in

in Psal. 67. mihi pag. 373. & 374. ubi non tantum pergraphicè Currus & Exercitus Triumphantium & gratias agentium describitur, sed etiam sic subscribitur: *Ipse Deus in Christo in hac Christi glorificatione captivavit vel captivam duxit Captivitatem, id est, ut sui liberarentur qui per Adæ prævaricationem tenebantur in morte captivi, devicit, cepit, ligavit, captivam in Triumpho duxit captivitatem, id est, omne illud quod nos genus Adæ captivaverat, nempe Diabolum, Peccatum, Mortem, Infernum.* Ose. 13. verſ. 14. Quid? quod Deus semper Triumphum suum agit per nos in Christo Jesu, & hoc usque in finem Mundi, quando hic Triumphus perfectè complebitur 1. Cor. 15. verſ. 24. 2. Cor. 2. verſ. 14. Præcellentiore autem Corona Triumphali post hanc vitam nemo gaudebit nisi quem certaminis socium in hac vita ille Apostolus habebit, qui 1. Cor. 4. verſ. 9. scripsit: *Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis & Hominibus.* Hominibus autem aulicis & polemicis concupiscens fieri *æternum Virtutis Theatrum*, poterit æmulari Phœnicem illum Romanæ gentis Prudentem *Catonem Censorium.* Quamvis enim virum hunc optimum invidia Osorum tam truculenter & frequenter exagitaverit, ut quadragies sexies accusatus & in Jus ambulare jussus sit; singulis tamen

men vicibus pro innocente absolutus est. Summa ipsi gloria erat multiplex invidia. Invidiam quoq; fratrum capitalem triumphavit Joseph in Ægypto, dum præter alia forsitan in corde suo volutavit & ruminavit talia: *Ante omnia omnem quidem felicitatem meam præsentem debeo Deo ut architecto Optimo Maximoque, fraternæ autem Invidiæ ut malleo fabrili ad artificium tantum accommodatissimo. O magnificum & ditans Odium! O prosperans & præpotens Invidia! Vestris nequissimis machinationibus tantum non gratiam habeo incredibilem. Vos vestro mihi odio plus profuistis quàm omnis parentum dilectio. Absque vobis fuisset, ego nunquam Ægypti Prorex* ac Christi Typus gloriose *evasissem neque prunas super vestra meorum fratrum capita ignitas mirè congessissem, sed pauper opilio mansissem, donec cum vobis ipsis ipse fame miserè enectus fuissem.* Sic, sic tandem sancta Innocentia & salva Conscientia sub candido Taciturnæ Patientiæ signo omnem omnium Osorum æmulationem triumphant & quamvis adspersam infamiæ maculam emaculant, juxta illud Ambrosii: *Non turbentur innocentes; cum falsis criminibus appetuntur. Visitat Deus suos & in carcere, & ideo ibi est plus auxilii, ubi est plus periculi.* Periculis autem plerique in Christum baptizati non eripiuntur, sed magis magisque immerguntur, dum carcerem, quem *Ter-*
tul-

tullianus vocat *Domum Diaboli*, neſciunt convertere in *Domũ Dei*, cujus ſatellites & apparitores ſunt cœleſtes Angeli; ſed obnixè omnibus Impatientiæ ſuæ manibus pedibuſque Deum à ſe repellunt, dum in iſto probationis Joſephicæ igne, quo Θεόϑει aduruntur, permanere nolunt, ſed ante tempus cœleſtis liberationis exire crucibulo malunt, more illorum reorum, qui ergaſtulum effringunt, atque ita omnem Magiſtratus pœnam aut veniam prædeſtinatam vel vi vel metu excutiunt eluduntque. Hinc perpaucos hodiè tales reperias Joſephos, qualium quiſq; poſſit ſanctè gloriari: *Deus fuit mecum in ignominioſo Tribulationis atq; deſolationis carcere, & tam glorioſè ex eodem me liberavit, ut ipſi immortales ſim gratias canturus*. Canticum enim hoc novum nemo omnium poteſt canere melius tali Quaſimodogenito, qualis conſtanter & perſeveranter credit, quod Deus Opt. Max. (qui ex omni malo nonnihil boni eliquare percallet) inter ſexcentas humanæ mortalitatis culpas, noxas & aberrationes ſuum ſuæ ſolius voluntatis conſilium ad prædeſtinatum ſibi ſcopum & exitum ſapientiſſimè ac ſuaviſſimè perducat, juxta illud Apoſtoli Rom. 8. ℣. 28. *Diligentibus Deum Omnia cooperantur in Bonum.* Jer. 24. verſ. 5. Cui ſic adſtipulatur 1. Pet. 3. vſ. 13.

Quo-

Quotusquisque vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Quia cæleste divinæ Providentiæ Horologium ab æterno usque in æternum insonat ac perseverat tam rectum, ut erret errorem unquam nullum. Quare quamvis cometæ novi inter astra antiqua comparentes Orbi plagas epidemicas minentur, varii tristes nuncii inaudiantur, noxia passim consilia terra marique misceantur, prodigiosa præliorum hostilium ostenta in aëre conspiciantur, ominosa monstra pariantur, domi bellique quadrata rotundis mutari, cœlum cum terra confundi, & omnia alia in antiquum suum chaos refundi videantur; nos tamen cum monte Tzijonis æterno immoti permaneamus, &, quod nostrum est, candidè facere pergamus, cætera autem omnia procul ulla scrupulosa trepidatione soli Divinæ Curaturæ paternæ plenissimè tuti securique committamus, partim juxta illud Prophetæ servi Esaiæ 30. vers. 15. de arte præstolandi in rebus desperatis opem divinam è cælo cælorum: *In Silentio & Spe erit Fortitudo vestra*; partim juxta illud Prophetæ Domini Messiæ Luc. 21. vers. 28. *Quum autem hæc fieri incipient, sursum adspicite & attollite capita vestra, quoniam appropinquat Redemptio vestri.* Quicunque autem nunc in angustâ Regenerationis crucigeræ via Agnũ se-

qui nolunt, tunc capita attollere non poterunt, sed instar animalium brutorum proni spectabunt & cum omnibus terræ nationibus plangentibus pudefacti ejulabunt, juxta illud Vatis:

Væ Tibi Ridenti! Nam Mox Post Gaudia Flebis

Flendi enim necessitas omnibus illis ex justo Dei judicio incumbet Tunc, qui nolunt flere Nunc. Quicunque verò malunt Flere Nunc, illi poterunt Gaudere Tunc: Tunc enim multi erunt Columnæ cæli, qui nunc sunt Quisquiliæ Mundi, juxta illud Augustini: *Tribulatio excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, illuminat cæcutientem, coronat vincentem.* Victo autem Mundo Deus eos constituit tam indignos, ut Mundus eos cognoscere nequeat, quantumvis consistant in media vexationis via tanquam pia sub filii Cruce Maria. O invictissimos Christianæ militiæ heroës! In *Annibale* laudat Livius, quod *non minus hostium, quàm sua loca habuit explorata*: quantò magis nos collaudabimus illum, qui pernoscit *Semetipsum, Deum, Mundum Mundique Principem.* Nulla verò inexpugnabilior datur Apologia, quàm sua cujusque sibi benè conscii Innocentia. Enimverò causa non facilè cadit, qui se suaque omnia nulli alii causidico nisi soli Providentissimo Patri Deo humillimè tradit.

Ca-

CAPUT XXII.

JAmdudum ita fert Ratio Status humani Microcofmica, ut pauci mortalium quærant, unde mœreant, multi verò, unde gaudeant.

§. I. Gaudent enim alii religiofa Pietate, more *L. Cæcilii Metelli* Pontificis antiquorum Romanorum idololatrarum Maximi, quippe quem laudat Plinius, quod conflagante *Vestæ* æde, Palladium è Trojano bello advectum ex invalefcente incendio tantopere fubtraxit, ut in medias fe flammas proruerit & luminibus læfus evaferit, juxta illud Juvenalis:

Da teftem Romæ tam fanctum quàm fuit hofpes
Numinis Idæi: procedat vel Numa, qui Te
Servavit trepidam flagranti ex arce Minervam.

Gloriofior autem cenfeatur Religiofa Euangelici illius Electoris Brandenburgici *Friderici Wilhelmi* Pietas, qui, ut Sereniffimo Potentiffimoque Magnæ Britanniæ Regi *Carolo* II. Reftitutionem Dei Opt. Max. mirificam non tam dicto quàm facto officiosè gratularetur, publicas fupplicationes Eucharifticas $\frac{19}{29}$ Julii anno CIↃ IↃ CLX. omnibus fuis terris Clivicis Marchiacifque folemniter indixit.

 Nihil

Nihil enim magis commendat Christianum Principem quàm *Facere* & *Credere*, ritu boni Episcopi, atque *Punire* & *Audire*, more boni Politici, juxta illud Sex. Aurelii Victoris: *Duo sunt, quæ ab egregiis Principibus exspectantur, Sanctitas Domi, in Armis Fortitudo, Utrobique Prudentia.* Unde compertum est, *urbem Romam* externorum virtute *crevisse.* Quid enim *Nerva* prudentius aut moderatius? quid *Trajano* divinius? quid præstantius *Adriano*? Adde quod ille Princeps Deum suum facilè ad majora quæque eroganda invitat, qui cujusvis ingratitudinis fugitans ei pro concesso uno sibi suisque beneficio magno magnas agit cantarique curat gratias. Quapropter omnem beamus populi pastorem, qui insigniter navat operam, ut quod maximè probat, id maximè consequatur, juxta notorium illud Crucii ad *Abrahamum Meranum* Senatorem Hollandicæ ac Zelandicæ Curiæ nominatissimum: *Duo sunt*, Vir Eximie, *præter alias animi tui dotes, quæ arctissimo vinculo, quasi clavo trabali me tibi jungunt, Studium* Justitiæ *&* Religionis. *Quibus tanquam Virtutum omnium circo,* Populi Salus & Reip. Fortuna *continetur. Hæc enim Vtriusque potissima fulcra sunt & firmamenta: Hæ geminæ quasi faces, quæ aditum nobis, tum ad Vitæ hujus tranquillitatem, tum futuræ beaitu•

titudinem præmonstrant. Vis facilem Tibi & propitium Deum? Religionem *cole, quæ Conscientiam mentis nostræ regit. Vis benevolos tibi probos omnes & bonos? Cole* Justitiam, *illam rerum humanarum divinarumque Reginam, quæ Juris ac Legum sanctione fundat humanam societatem, & sine qua maximæ res & opes, tanquam corpus animâ spirituque defectum, suâ mole collabascunt. Vis amicos utrosque? Religionem cum Justitia conjunge, & Deum Tibi & homines devinxeris. Non satis est aut sine Religione Justitia, aut sine Justitia Religio. Jungi hæc duo & sacro quodam vinculo copulari oportet: nisi à summo fine adeóque à summo etiam Bono aberrare quis velit.*

§. 2. Gaudent alii Pacifici Pace, more Octaviani Caji Cæsaris Augusti. *Adeò namque* hic Princeps, teste Sex. Aurelio Victore, *turbas, bella, simultates exsecratus est, ut nisi justis de causis nunquam genti cuiquam bellum intulerit.* Jactantisque esse ingenii & levissimi *dicebat: ardore Triumphandi, & ob Lauream Coronam, id est, folia infructuosa, in discrimen per incertos eventus certaminum* securitatem Civium *præcipitare. Neque Imperatori Bono quicquam minus quàm* Temeritatem *congruere.* Satis celeriter fieri, quicquid commodè geritur. ARMAQUE *nisi majoris emolumenti causâ, nequaquam movenda esse: ne compendio tenui, jactura, gravi, petita Victoria, similis sit hamo aureo piscantibus:*

„ *bus : cujus abrupti amissique detrimentum*
„ *nullo capturæ lucro pensari potest*. Potest igitur nequaquam laude fraudari debitâ prænobilis ille Danorum atque Suecorum animus, qui maluerunt illo *quasi* Jubilæo *anno* cIↄ Iↄ clx. Pacem amabilem pariter atque amicabilem coagmentare & confirmare, quàm exosum pariter atque sumptuosum bellum administratum continuare atque consummare. *O novum Victoriæ genus & Triumphi argumentum!* Huc convenientius quovis quadrato quadrare videntur illa omnia atque singula lectu dignissima, quæ Clarissimus Dn. *Matthias* Dögens non minus scitè quàm eruditè pertractat in ingeniosissimo suo Opere Teutonico, Typis Elzevirianis Amstelædami anno cIↄ Iↄ cxlviii. evulgato, quod inscribitur Heutiges Tages übliche Krieges Bau-Kunst / ubi lib. 2. p.349. & seqq. inter cætera non tantum contra Reidanum egregiè propugnat, Daß zum Friede rathen der Höchsten Kriegßfürsten Ambt nicht ungemäß sey; verum etiam Pacificum Galliarum Regem Henricum II. laudandum laudat; & gloriosè inculcat; Daß Friede sey das beste unter allen dingen so Gott dem Menschen hat zu erkennen gegeben. Verba autem ipsius ipsissima hæc sunt: Aber ist woll gnugsam Mänschlich / daß wihr dieses zu fürsichtiger führung des Kriegs (so ein abschäwlich Werck Menschliches Wütens) undt

Vnterweiß-wie auch Anreitzung der vberviehischen Krieger vndt Mörder erinnert haben. Wird auch nicht vnserm geschlägt vndt Stande / nach welchem wir geschaffen / rühmlicher seyn / wann wihr vielmehr zu wiederbring-handhab-vndt erhaltung des wehrten FRIDENS allen müglichsten fleiß anwenden? Jah freyligh; Fride ist das beste auch vnter allen. u. s. f. Fride ist dem Vberwinner (wo jemahls / gewißlig heutiges tages) guth vndt furträgligh / dem Vberwundenen höchstnötig: Fride ist mehr zu achten / als unzälige Siegs-gepränge. Wann Igh alhie sage / daß nach unsers einigen Heylands gebuhrt vnter allen Christlichen Fürsten Heinrich der II. König in Franck-reich der ruhmwürdigste gewesen / wird niemand mit Wahrheit darthun können / sam Igh disem mit unrecht was entzogen oder jenem mehr alß billigh zugeeignet. Dann dieser König / lobwürdigsten angedenckens / hiemit er den Lihbsäligen Fride wieder auff Christlichen bodem bringen / die bluht-dürstigen tolle Kriege auß dem Wege raümen / den Mord / brand / rauben vndt stählen / schändung der Weiber / Tod-schläge abschäuliche Bruder-vndt Vatter-Mörde vertreiben möghte; hat sich auß besitz 400. Wollbefästigter / dem Feinde abgenommener vndt mit seinem Volcke besätzter Städte / entziehen wollen: welches in Wahrheit Königlich getahn.

Es mögen nun ihre Ohren spitzen die heutigen Räuber fremder Reiche vndt Herrschafften / die Verwüster der Christenheit (welche sie doch mit ihrem Bluth vndt Leben wieder den vngehewren Türken oder alle ander vnchristliche Streitter beschützen solten;) ja die gifftige Seuchen mänschlichen geschlägts / so immer stäts-wärenden Krigh auß Krigen fort pflantzen / vndt nur in Waffen bleiben / auff daß sie niemals einigen Frieden haben: sie mügen / sag' Ig / ihre Ohren anhär verleyhen / vndt sich verwundern / daß

warlich kein Attila, kein Bajazet hat so viel Christen; Ia kein Vnchristlicher Tamerlan so viel Vnchristen jemals um den hals gebracht, als die heutigen so genante Christen, einer den anderen auff die Fleisch-banck schädlicher weise auff-offeren.

der Franzos den einigen Friede nicht angesähen / sondern gehalten vndt währt geschätzet / ja mit 400. vnterschiedlicher Sieges-geprängen Raube erkauffet vndt außgelöset: Sie wollen Mich in erst berichten / unsere kleine vndt schwache Streitter vndt Vberwinner / Ob nicht umb Christlicher Ehre vndt Gottes-Furcht willen bäßer währe heutiges tages den einigen / lihbsäligen / sehr nützlichen vndt höchstnötigen Frieden überall in der gantzen äusserst-bedrängten Christenheit wieder ein zu führen / als von wegen erlangung 400. Sieges Praghten vndt eroberung so vieler Städte / eine nicht weiniger ihrer Vnterthanen als Feinden unzähliche mänge mit Hunger verderben / mit Fewer außschöpffen / mit Schwerdt ertödten undt umbringen?

Welcher von Vberwinnern aber wirdt iziger zeit der massen glücksälig seyn / daß er so vihl Städte vber meistern vndt seiner Gewalt unterthänig machen könne? Bevorab wann etwan ein Ostände den erobernden Adelbert gantzer 3. Jahr auffhalten; Roschel Ludwigen bey 18. vndt Breda Spinoln ihren belägerer bey 10. Monat müde machen; Hertzogenbusch den Städte-zwinger von Uranien einen Sommer lang abtreiben; Arien in Artois; Torton; Rupes Vigevan in Lombardi / undt andere nicht eher den'n Feinden ergebene / als von den'n Ihrigen wieder entsätzte Städte / mit vnverhofftem außgange der belägerung / zugleich den Vberwinnern vndt Vberwunnenen von seiner Hoffnung undt begihrde abwerffen solten. Aber eß verstummen gegen zahl 400. Städte oder Fästungen unsere sehr-geringe / mannhaffte Krieger / undt schweigen stille; damit sie nu auch mit den'n zähnen knirschen vnd die Nase rümpffen mögen/will Ig den Geschicht-schreiber selbsten beybringen / auff daß sie durch den glantz der sonderbaren Hohheit des Aller-Christlichsten Königs gleich als einen Donnerschlag/ zu bodem fallen mögen/ wann sie auß glaub-würdigem bericht gehöret / was maßen dieser grosse König / hiemit er dem Christen-Kreise den geruhigen Friede wiedergebe / den'n Feinden mehr

von

von seinem Erwerb vndt besitz habe folgen lassen / als diese / Ig wil nicht sagen / mit Waffen vndt Krige Vor sich bringen / sondern auch nicht mit einigem Wunsche vndt hertzens seufftzern verhoffen vndt sich einbilden dürffen. Der König / spricht Johann von Seres in Algemein. Vorzeichnus der Franzôs. Geschichtbeschreib. unter Henrich dem II. bey mir am 1200. blat / gibet dem von Castilien wieder (Wann mit diesem zunahmen heutiges tages / nach dem Catalonien von Spanien weg kommen / vndt die Portugesen ihre Freyheit erlanget / jezt regierender König Philip aber-mahls verehret wirdt / damit ihme solcher Titel nicht new oder ungewöhnlich scheine / wird dessen Groß-Vater / nämlich Philip der Ander / nebens dem Geschichtfasser verbithen) alles was Er Ihm so woll dies-als jenseit des Gebirges abgewonnen hatte ; den'n Savojren die Bresse, die Savoie vndt das Piemont : den'n Genuesern das Inland Corsica : auch ungefähr 400. fäste öhrther, oder mehr, so bey wehrenden diesen mörd-undt schädlichen Krigen erobert worden, welche so viel Landschafften öde gemacht, so viel Schlösser, Sädte vndt Flecken zu grundt verderbet ; so viel Menschen-bluth vergossen ; so viel 100000. Seelen allerhanden Standes ausz dem Läben gerissen hatten, undt behielt kaum das Gebihr von Bolognien und Kales. Also verzehret der Wind in kurtzer zeit alle Mühsamkeiten/allen sawren Schweiß vndt Arbeit vieler undencklichen Jahren / vndt der Herr sagte zu jenem : Du Narr ! eben in dieser Nacht wird man deine Seele van dihr fodern, vndt wessen wird seyn, was du zu sammen gesparet hast ? Vndt es ist nichts/ dann lauter Eytelheit unter allen Menschen / auch wann sie schon auff starcken beinen stehen : In wahrheit / Sie bemühen sich viel um Sachen / welche nur einen Blohßen Schein haben : gewißlich sie beunruhigen sich vergäbens ! Jah gantz recht wirdt dieses gesaget : sintemahl der allerhöchste Ober-herr idwederm Königriche seinen gewissen Kreiß umschrieben undt ertheilet; um welchen zu verwirren oder von einander zu trennen / sich die Menschliche / obwoll überauß grosse vnersätlig-

sätligkeit vergäbens bemühet / was ist derhalben nun die vrsach / daß wir nicht alle mit einmütiger Stimme ruhffen vndt wünschen? Eſz ist kein Stern noch Segen beym Kriege: Wir begehren nur den lieben Friede! *O verba notabilissima* ! Notabiliora autem videntur esse illa πεπαῤῥησιασμένα quæ laudatus Autor ibidem p. 351. inter marginalia hac insigni prudentia prudenter subjungit: Aber Igh zihe eilends die hand ab von diesem Schreibtische / oder vihlmehr von diesem Alter / vndt will meine Sichel nicht in eine fremde / ja Geistliche ärndte einlaßen: die Weltlichen müssen hie ferne von dannen! Trätet härzu ihr Geistlichen Raht-gäber vndt Lehrer der Allgemeinen Liebe.

„ Vndt wird im Rahte verhandelt / daß unzäliche „ überauß fürnäme Außläger der H. Schrifft mit so „ grossem fleiß die zu Gewissen des gemeinen Volks be„ hörige Lehr-stücke getrieben hätten / vndt die Sälig„ keit gemeiner Seelen / nur von wegen genüßung et„ licher wenig Pfenningen / uf fremden Entscheid „ vndt Vrtheil gesätzet: da doch die Welt vielmehr „ wünschte / zu sähen einen vollständigen Inhalt / „ welcher über das Gewissen grosser Fürsten vndt „ Herren wäre zu sammen verfasset. Eine Handlung / „ so von wegen Ruhe des gantzen Erd-kreisses höchst„ nötig / vndt doch in der Taht von solchen Geistli„ chen Lehrern unterlaßen worden.

„ In welcher allerhand vernünfftige Räden zu „ führen vom Wesen vndt Vorhaben der Fürsten / „ wodurch sie die Welt so offt in verwirrung bringen / „ undt selbige mit Rauben undt Plündern / mit Men„ chel-mordt undt andern Todt-schlag erfülten; also „ daß auch deren viele / weil Sie durch Ehr-geitz uber „ den Erd-bodem zu herrschen verblendet / vrsach vndt „ anlaß gegäben / daß gantze Flüsse von Menschlichem „ Bluth übergelauffen.

Als nun die sehr Weise Versamlung der Gelährten diesen Fürtrag gehöret / haben sie zur Andtwort gegäben;

ben; Waß maßen die Versamlung aufffß höchste begeh-
re / daß auch gegenwärtige Fragen mögten bestritten
vndt auffgelöset werden: Nämlich / Ob die Christliche
Gottsfurcht ein gewiß-außgesätztes Vnterpfandt /
deßen sich die Gewalt-thätigkeit des Schwerts über
einen andern Standt angemaßet vndt gebrauchet / zu
lasse? Ob ein Fürstenthumb / so dem rechten Besitzer
mit Waffen vndt Betrug abgenommen / von einem
andern / der mit wahrer Gottseeligkeit begabet / könne
ingehabt vndt behalten werden? Ob auch ein König-
reich / so nach gewissen seiner vhralten woll her ge-
braghter Freyheit regten zu beherrschen / von einem
in Christlichen Glauben gebohren vndt erzogenen Für-
sten möge darum außgesogen vndt verderbet werden /
hiemit man eß ohn Eyfer-sucht / ohne wiederstrebung
vndt Empöruug / möge überherrschen vndt unter-
drucken? vndt weil man so sehr die Achthabung ge-
meinen Wollstands erhoben / daß sie anitzo die Gött-
lich-vndt Menschliche Gesätze gleichsam übermeistern
will; Ob solchs nicht eine schändlichere vndt erschräck-
lichere Abgötterey sey / als des Nabuchodonosors
Bild / vndt das güldene Kalb anbethen?

Endlich sagte die Versamlung / wie daß ihr begäh-
ren könte erfüllet werden / so bald man einen Geistli-
chen Herrn finden möghte / der so Gottsfürchtig weh-
re / daß er mit seinen Schrifften die Fürsten der-gestalt
vom bösen abgeschrecket hätte / gleichwie ihrer viele /
gewißlich mit grosser bemühung / den'n gemeinen leu-
then in diesem vorhaben Furcht vndt zittern eingeja-
get. Daher sie eine allzu fremde Sache zu seyn düncke /
daß vnzäliche gelährte Geistlichen sich bearbeitet von
geringster Rächnung der Krämer vndt Handels-
leuthe zu urtheilen / vndt wie selbige auch von iglichem
vnnützen worte der Höchsten Allmaght Gottes Rechen-
schafft gäben müsten; haben aber inmittels unterlassen
einige Erinnerung zu thun von den'n überaußmerck-
lichen Lastern / Schanden / Mord-thaten grosser Für-
sten vndt Herren / welche mit außgerüstetem Kriegß-
heer andere ihres Stands vndt Lands berauben / jah
so gar Geist-vndt Weltliche Sachen in äussersten vn-

dergang zusetzen keine scheu tragen. Vndt hätten mit mehrer wollthat Menschlichen Geschlächts / auch mit Ewiger Belohnung / ihre Gottes-diener gesprochen über die Handlung Ludwigs des XII. vndt Frantzen des Ehrsten / beyder Königen in Franck-reich / Ferdinanden Königs in Aragonien / vndt Karlen des V. Röm: Keysers / deren Seelen auß dieser Welt geschieden / mit schwährer anzahl mehr als halber Million Todt-schläge / so alle durch den Ehrgeitz zu herrschen begangen / davon Sie auch dem Allerhöchsten Gott im Himmel genauwer Rechenschafft werden gäben müssen; alß wann sie die Bücher nur mit läßlichen Sünden gemeiner Leuthe zuerfüllen ihnen angelägen seyn lassen.

Alle diese Dinge verstand die Ehrwurdigste Versamlung wären zum höghsten nötig / hiemit das arme Mänschliche geschlächt der maßen von Ehrsucht der Krighenden Fürsten gräulich geplaget / einmahl mit dem lang gewünschten lieben Frieden wiedrumb möchten erfrewet vndt getröstet werden: auch zu gleich alle Herrscher vndt Könige abgeschräckt böses zu thun / vndt ihnen woll eingeblawet würde / daß des Teuffels Burg / die mit Schweffel brennende Hölle / Ihnen so woll alß gemeinen Leuthen zum Hoff-lager solle eingeräumet werden. Hæc ita ibi ille, ut facilè Leonem ex ungue! Nam ut prægrandis Colossi statura vel in parva apparet tabula: Ita doctum magnanimi viri ingenium vel paucorum verborum stylo innotescit. O oculatum & cordatum Virum! Vir autem ille illo forsitan die, quo isthæc præscripsit, talia ruminavit, qualia aliquando insignis ille Lutheranorum Theologus *D. Musæus* in hanc ferè sententiam dixit: *Si quis consilium quodpiam, quo Christianis Rebusp. consuli possit, cognovit, & verò illud ante*

ante Mortem suam non patefecit, ille de illo tanquam de speciali sibi concredito atque contumulato Talento cogetur rationem reddere extremo die Christo Judici viventium & mortuorum. Utinam omnes hodierni Aulici atque Politici consimilia saperent atque Regibus terræ polemophilis certatim suggererent! Tunc sanè exsulantem Christi Pacem Catholicam in Europa propediem reflorescentem contueremur & publicâ oris & cordis concordiâ confiteremur:

Nil decet atque juvat mage quàm Concordia Paxque
Christicolas; Gentes impia bella colant,
Dum fuso mutuo discant ex sanguine, quòd sit
Optimus ille Status, Pax ubi læta viget.

Valeant itaque qui paucis his antiquis non acquiescunt, sed de illo novo tanquam de insigni Trophæo Triumphare præsumunt, quod Teutonicus ille Lutheranæ militiæ miles *de l'arriere garde* Jacobus Bohemus in suo *Mysterio Magno* c. 38. §. 14. & seqqq. super Gen. XIV. sub Rubr. Erklärung des Heydnischen Kriegs. pag. 292. sic suis præscripsit: Also sollen wir verstehen / wie die Kinder der Heyligen haben Krieg geführt wieder den Hauffen der Gottlosen vndt sie vertrieben / als auch in des Zornes Eygenschafft / welcher sein Schwerdt durch sie führet / die Heyden vndt Hams Arth zu vertilgen. Dann Abraham zog auß mit seinem gantzen Hause vndt Leuthen wieder die Heyden / welche seines Bruderen Sohn den Loth hatten gefan-

gen mit weg geführet: vndt erschlug die Heyden vndt erlösete seinen Bruder. Dieses geschahe im Eyffer Gottes / welcher also seine Kinder errettet durch die Macht seines Zorns. Dann was dem Gottlosen zum Verderben gereichet / das gereicht den Heyligen zum Leben vndt zu einer Rettung.

Daß aber die jenigen (welche wollen Christen genant seyn / welche solten in vndt mit Christo dem Zorn vndt Grimme Gotts in Christi Tode seyn abgestorben) Kriege führen / das thun sie nicht als Christen / sondern als Heyden; kein Christ krieget. Dann so er ein Christ / so ist er den IV. Elementen des Zorns Gottes in der Selbheit mit vndt in Christi Tode abgestorben / vndt in Christi Geiste der Liebe eines Newen Menschen gebohren / welcher in Gerechtigkeit / in Liebe vndt Gedult lebet / vndt nicht ihme selber / sondern Gott in Christo. Denn ein Wahrer Christ führet seinen Wandel vndt Willen im Himmel / im Leben vndt Geiste Christi, wie S. Paulus saget: Vnser Wandel ist im Himmel. Daß aber die Christen Kriegen / das thun sie auß der Heydnischen Eygenschafft. Denn ein Christ ist nicht von dieser Welt / sein Reich ist im Himmel / vndt Er ist in Christo der Welt abgestorben nach dem Neuwen Geistlichen Menschen in Jhme. Der Heyde als der Halb-Teuffelische Mensch / welcher sein Reich in dieser Welt hat / begehret in den Christen zu Kriegen vndt zu morden / welcher auff Erden nirgend raum hat / welcher in den IV. Elementen des Zorns Gottes lebet / als in Hoffarth, Geitz, Neyd vndt Zorn.

S. Paulus saget: Gebet ewer Glieder zu Waffen der Gerechtigkeit. Denn warumb kriegt man? Vm das Reich dieser Welt; vndt Christus saget; daß Sein Reich wehre nicht von dieser Welt; Also ist auch seiner Kinder Reich in Jhme nicht von dieser Welt. So wir nu vnser Leib vndt Seele begeben zu Waffen Gottes Zorns / vndt suchen dadurch nur die Selbheit / vndt ermorden ein ander vmb des Reich dieser Welt; Jch meine Ja wir sind hierinnen Christen mit dem Munde / aber das Hertz vndt Seel ist ein

Heyde

Heyde, vndt nicht auß Christi Geiste gebohren.

Abraham / alß er die Heyden schlug / begehrte nichts von dem genommenen Guthe / sondern gab dem König von Sodom wieder / was ihm die Heyden hatten genommen / vndt eyfferte allein im Herren / er kriegte nicht umb Landt vndt Königreiche / sondern seinen Bruder zu erretten; Das war doch ein rechter Eyffer / welchen der Herr in ihm trieb. Er stund nicht auff vndt kriegte umb Landt oder Stadt; vndt da Erß gleich erhielt / begehrte er der keines / sondern zog wieder an seinen Orth. Quaſi dicat: *Militia bellatorum hodiernorum multorum Chriſtiana* toto cœlo *diſtat à Patriarchica Abrahami militia.* Cæterùm vixerunt, qui inſuper quoque hîc ad altiora illa Prophetæ Prophetarum reſpexerunt Luc. 21. verſ. 10. *Inſurget gens in gentem & Regnum in Regnum*; juxta illud Poëtæ:

Ante oculos errant extremi ſigna diei;
Mundus ſecurus non tamen iſta videt.

Für augen man frey sehen mag /
Das jetzt sey nah der Jüngste Tag /
Doch ist so sicher blind die Welt /
Daß sieß nicht sieht vndt nichtß drauff helt.

Quid quæris? Chriſtus ſalutatur atque eſt *Princeps* Almæ *Pacis*; Diabolus autem cognominatur atque eſt *Princeps Martiæ Facis.*

§. 3. Gaudent alii talibus Schiſmaticis ſuper Cœna Dominica diſputationibus, ſuper qualibus perdocta illa Ferrarienſis matrona *Olympia Fulvia Morata*, exſulans Euangelicæ Confeſſionis Candidata (quæ non minus floruit tempeſtate doctiſſimæ illius

Bri-

Brittannorum Reginæ *Elisabethæ*, quàm defloruit noſtra ætate florentiſſima illa Roſa Ultrajectina virginea *Anna Maria à Schurman*) juxta illud Vatis :

Sic orimur, morimur velut hortenſis roſa florens,
Funus cum vita cui facit una dies.)

lib. 2. epiſtolar. pag. 158. mentem ſuam Orthodoxam Vergerio ſic aperuit: *Porrò* de Sacramento *magnam eſſe inter Chriſtianos controverſiam non ignoro, quæ facilè jamdudum eſſet dirempta, ſi homines non ſuam, ſed Chriſti gloriam, & Eccleſiæ ſalutem, quæ* Concordiâ *continetur, in conſilium adhiberent.* Adhibeat igitur peritiſſimus quiſque *Trallianus Alexander* aut *Paracelſus Theophraſtus* in tempore huic graviori Schiſmatis Euangelici vulneri Curationem non minus glorioſam quàm medicamentoſam, ut notorium illud Diſcordiæ Proteſtantium diuturnæ βδέλυγμα (cujus malefacio, eheu! una pars partem alteram præ Zelo carnali vulgò taliter tractat, qualiter olim ſe illi mutuo tractabant, de quibus legas Joh. 4. verſ. 9. ὀ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις. *Les Juifs n' ont point de communication avec les Samaritains*) ex Eccleſiis ſummoveatur, & antiqua Concordiæ Philadelphicæ ſanitas ſubſtituatur atque tam cautè quàm pupilla oculi cuſtodiatur. Tanto enim Archiatro divino non gallum gallinaceum, ſed ſele-

selectissimam quamque sacrificabimus Hecatomben. Cur autem jamdudum Medici animarum cuncti cæcum isthunc Ecclesiarum morbum neque per ullum *Concilii* vinum neque per ullum *Colloquii* oleum rectè medicari nesciant, nescire ego pro tempore volo; volunt tamen alii nequaquam nescire, vixisse olim magnæ apud Mundum famæ Theologos, qui extraordinariorum vulneratæ Conscientiæ Casuum (qui non proletaria, sed extraordinaria requirunt remedia) fuerunt tam imperiti, ut tentatissimum illum hominem *Franciscum Spieram* prius desperârint, per Europam diffamârint & condemnârint quàm tantâ curâ curârint, quantâ peritissimus quisque animarum desperabundarum curator curare percallet & adsolet. Quænam autem medicamina ac levamina illa? Hæc ostiatim agi poterunt vel cras vel aliàs. Idem enim illi qui ante tempus vult Euangelicæ Veritati verè propagandæ litare ac militare, atque ita insigniter phrenetico Mundi ingrati ingenio benefacere Luc. 20. vers. 19. 20. plerumque usuvenit quod olim Ultrajectino illi Episcopo secundo *Bonifacio*, qui cum LII. sibi associatis discipulis doctis ad convertendos idololatras anno à partu Virgineo IↃCCLII. abiit in Frisiam. Frisii autem

tem ingratiis suis ad Christum converti nolebant, sed laudatum Antistitem Doquemi ipsis nonis Junii dirè occidebant, juxta illud Livii: *Nihil in speciem fallacius, quàm prava Religio, ubi Deorum numen obtenditur*, Prov. 7. ℣. 14. Siehe! Das ist der Welt Lohn; juxta illud Poëtæ:

Ἀντ' εὐεργεσίας Ἀγαμέμνονα ἔκτανον Ἀχαιοί.

Facile igitur excusatur & veniam meretur qui detrectat serpentem frigore torpentem recondere in sinum suum ad refocillandum.

§. 4. Gaudent alii antiquo illo *M. Curtii* facinore, quod aliquammulti quidem Christiani improbant; *Philippus Lonicerus* autem memoratum Romanum Equitem se pro patria Orco devoventem sic cantans comprobat:

Fortè forum magno medium telluris hiatu
Finditur, expleri vasta vorago nequit.
Injicienda monent divina Oracula *vatum,*
Præcipuum pariant quæ Tibi, Roma, decus.
Vectus equo magnus virtute coruscus & armis
Insilit in vastæ Curtius *antra specus.*
Scilicet est Virtus rerum pulcherrima, per quam
Æternum peperit, maxima Roma, decus.

Decus autem majus in Ecclesia talem Sapientiæ filium manet, qualis jamdudum in oppugnatione vitiorum cluet Victor Victorum, simulatque perdidicit omnes Con-

scien-

ſcientiæ ſuæ latebras atque receſſus ſevero examinis rigore circumſpectè diſcutere; omnem libidinis impetum coërcere, culpis ſuis iraſci, & quotidiè è noxis ſuis partem demere; non efferri proſperis, non dejici adverſis; de aliis ſentire honeſtè, de ſe ipſo modeſtè, Virtuti ſummoperè ſtudere, & neminẽ videre, cum quo ſe commutatum velit; deniq; id evaſiſſe, quod Philoſophia ſuadet & Theologia jubet. Libertate autem verorum Chriſtianorum caret, qui ſervitute quorumvis vitiorum gaudet & nominatum Superbiâ, Avaritiâ & Luxuriâ ſcatet.

§. 5. Gaudent alii tali nimis bono *Militiæ Imperatore*, qualis *ſignis nunquam decertat, niſi ſumma neceſſitudo aut ſumma ei occaſio data ſit.*

§. 6. Gaudent alii talibus patribus, quales majorem navant operam liberis benè educandis quàm malè procreandis, juxta illud Crucii lib. 4. epiſt. pag. 310. *Malè liberos Pater genuit, niſi educet ac erudiat; imò malus eſt ni bonos faciat, quos erudit. Amplius:* Anguem in ſinu *habent, qui licenter nimis, educatam prolem. Ab hoc enim fonte,* Vitæ Morumque labes; *imò* Infelicitas Ævi, *dum* Educationis vitio, *pudor omnis puerorum defluit, & ſtudium honeſti. Ideo maximam diligentiam in ea requiro. Hæc enim ſi bona, bonos efficit; ſi mala, malos.* Bene *Romanus ille Sapiens:* Nihil magis fecit, *inquit*, iracundos, quàm Edu-

Educatio mollis & blanda : ideò unicis quò plus indulgetur, pupillisque quò plus licet, corruptior est animus. Non resistet offensis, cui nihil unquam negatum est, cui lachrymas sollicita semper mater abstersit. *Celandus, celandus est liberis paternus animus. Quo enim habentur contemptius, eo meliores fiunt. Similes fœno Græco, quod eò felicius crescit, quò durius tractatur.* Væ autem parentibus, qui liberos plus depravant pravo exemplo uno, quàm ædificant toto Sapientum Græciæ Heptalogo! juxta illud Christi in Bibliis Teutonicis : Eß wehre ihnen / da sie solch ärgernuß geben / beßer / daß ein Mählenstein an ihren halß gehänckt wehre / vndt sie damit ersäufft würden ein Meer / da eß am tieffsten ist. Ex tali namque domestica disciplina depravata dimanant jam jam varia scandala in scholas Academias, Ecclesias & Respub.

§. 7. Gaudent alii *Themistocle*, *Torquato*, *Fab. Maximo*, *Cæsare*, *Vespasiano* & id genus Megalandris aliis, qui indecoras vitæ anteactæ maculas atque labeculas variis rebus præclarè gestis non eluerunt modò, verùm etiam prudentiæ, frugalitatis, fortitudinis virtutumque reliquarum cum forensium tum militarium exempla Mundo exstitere & miracula tanta, ut filios suos sic condocefecerint: *Quod gratis ab Altissimo datur Timentibus Eum, gratis accipite timentes pariter*

pariter atque diligentes Jehovam. A Theodidactis enim Studio præcipuè rerum comparatur Notitia. Cognitionem ſubſequitur Amor. Deſiderio ſeu Delectatione datur Aſſiduitas. Frequentia dat Experientiam. Hæc Virtutem, illa Potentiam. Hac Opus Mirum perficitur in ſitibunda rerum Natura. Felix qui intelligit.

§. 8. Gaudent alii tali *mundivagâ* (ut Augurelli voce abutar) *Fama*; qualem laurigeram ſic depinxit buccinantem laudatus Philippus Lonicerus:

Quæ Dea? Fama. Caput Victrix cur laurea cingit?
Hoc illi tribuit lætus Apollo decus.
Cur alacris latè volitantes explicat alas?
Virtutis ſtudio ſe ſuper aſtra levat.
Pieria cur læta tubâ clangente per Orbem
Excitat Eoas Heſperiaſque domos?
Grata ſuos celebrat vivaci laude miniſtros,
Hos canit æthereis buccina clara ſonis.

Hinc Cato Major, qui primus Claritatem in familiam ſuam intuliſſe fertur, dixit; *Eos Virtutem homini adimere, qui à Virtute Gloriam & Honorem ſegregant.* Ad iſtiuſmodi magnificam, longævam, ſuperſtitem & immortalem Famam eo die Tacitus reſpexit, quo dixit: *Contemtu Famæ, contemnuntur & Virtutes.*

§. 9. Gaudent alii tali *Vanitate*, qualem ſub Hieroglyphico Monſtri marini cytharâ

canentis

canentis sic effingit memoratus Lonicerus:

Turpiter in piscem Mulier formosa supernè
Desinit & streperam pulsat inepta lyram.
Quò Citharæ sonitus, reboans ubi Fluctibus unda
Terrifico sonitu præcipitata ruit?
Scilicet Ingenio sunt qui sibi Maxima spondent,
Arteque se quavis posse placere putant.
Quorum Stultitiâ quod nil sit ineptius, & nil
Vanius, hæc Monstri picta figura monet.

§. 10. Gaudent alii lectione Mahometani Corani; de quibus Turcarum barbarorum Bibliis *Schweiggerus* in Teutonica sui per Turciam & Terram Sanctam itineris facti & transacti descriptione l.2.cap.53. Vom Inhalt des Alkurans. p. 181. inter cætera sic recenset: Das beste im Alcoran ist dieses / da „gemeldet wirdt / daß unter seinen 12000. Sprüchen/ „nicht mehr alß nur die 3000.das ist/der Vierde Theil „wahr sey; die 9000 Vbrigen seyn erlogen. Also „muß der Teuffel die Mahometaner selbst vor dem „Alcoranischen Grewel warnen / als vor Lügenwerck/ „dem man nicht soll Glauben geben / vndt wollen mit „Gewalt / eß sey dem Teuffel lieb oder Leyd / durch „die Lügen verlohren werden. Et paulò ante: „Von den Engelen leuget er / daß ein Jeder viel 1000 „mahl grösser sey dann die gantze Welt. Item eß „habe ein Jeder 700000. Köpffe vndt so viel 1000. „Mäuler ein Jeder / vndt Jedes Maul 700000. „Zungen. In summa / eß möchte einem vor den „grawsamen ungehewren Lügen geschwinden. Zu „geschweygen, daß der Engel Gabriel muß der „Schanddeckel aller seiner Lügen seyn / unter welchen „er fürgibt / daß er sey in Himmel gefahren undt alda „mit Gott selbst von hochwichtigen Geheymnüßen „mündlich gesprochen.

§. 11.

§. 11. Gaudent alii denique Curiositate, more Roberti Turneri, qui olim ad Johannem Bervitium epist. 19. pag. 321. & 322. sic scripsit: *Cæci sunt* (mi Berviti) *&* *duces cæcorum*, *qui ex* Aristotelis *aut* Platonis *umbraculis non ita pridem prodeuntes in Mundi quendam quasi solem & pulverem omni orationis vehementiâ, tanquam contento arcu, conantur hominibus imprimere, nihil esse tetrius* Curiositatis *labe. narrant quidem isti probabilia, quia pulchrè; sed narrant malè, quia perniciosa. Nam* Curiositas *in multis labes non est, Virtus est. Vin' videre? nisi sint in Rep. qui hominum tentent ingenia, gustent venas, indagent intimos sensus, latebit semper perniciosè vel illud putidum, quod debet resecari à Magistratu, vel hoc deforme, quod solet irrideri à Satyrico. Quare cum Magistratus esse non possim, Satyricus esse possim, volui, quemadmodum reliquis omnibus in locis, sic* Augustæ *maxime in Comitiis esse curiosus. Volui irrepere, volui irrumpere in intimas aulas Principum, volui videre omnia, ut omnia librarem, & ad Justitiæ normam præclarè exigerem. qua meæ vel Curiositatis diligentia vel diligentiæ Curiositate conquisivi materiem Satyræ acrem, voluptatis mellitam, utriusque uberem. nam vix cœperam obire Principum aulas, cum videam Hæreticum illum Mundum administrari à stultis. in Catholicis aulis inveni Vitellios, Furios, Camillos, Senecas, qui fronte, verbo, fide, literis tuerentur. in aliis? extra*

pau-

paucos viros, Principes illos & Deos, putato lustra, popinas, officinas malarum artium: fœdarum libidinum, fraudum insanarum. etiam Hæretici misti nostris aulis, Jesu bone, *in pulchre corpore quàm fœdi nævi? etiam in illis secretioribus, quæ partim ridebamus stulta, partim gemebamus flagitiosa, nonne vides Materiem pulchram? ego video, gaudeoque toto pectore, me ex illis jam scopulis & vadis in quendam quasi portum confugisse otii, quod habet laboris fructum; negocii, quod habet quietis suavitatem: unde quasi ex specula intuens has* stultitias, *miserias, sordes, instituí* Satyram *in* Aulam *ab antiqua forma* degenerantem, *atque ita institui, ut si legere principii Paradoxa, planè mirareris in felle mel, aut potius in melle quodam quasi fel.*

§. 12. Quamvis autem suspecta hæc Jesuitæ Corycæi πολυπραγμοσύνη Satyrica nobis neutiquam arrideat: nihilominus tamen hac Curiositate potissimum æstuo, ut pro continuatione Noctium nostrarum Granzovianarum sic pergam conscribere.

Sunt qui Isaacum Casaubonum ad Baron. annal. exerc. 16. æmulantes, *Modum Triumphandi Formalem* sic concipiunt, ut totam pompam triumphalem in duos Vultus dispertiantur, quorum

Prior continebat ea, quæ populo exhibebantur spectanda, ut aurum, argentum, gemmæ, simulachra urbium captarum

ca

captivi nobiles, ipse denique Imperator, quippe quicum spectaculum magis magisque increscebat, secundum illa Livii de Triumpho Pauli Æmylii dec. 5. l. 5. *Ipse postremo* (postremus in priore parte) *Paulus in curru, magnam cum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa majestatem præ se ferens, post currum inter alios illustres viros filii duo, Q. Maximus & P. Scipio, deinde equites turmatim, & cohortes peditum suis quæque ordinibus. Pediti in singulos dati centeni, duplex Centurioni, triplex Equiti; tantum pediti daturum fuisse credunt, & pro rata aliis, si aut non refragati honori ejus fuissent, aut benignè hac ipsa summâ nunciata acclamâssent. Sed non Perseus tantùm per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis ante currum Victoris Ducis per urbem hostium ductus, sed etiam victor Paulus auro purpuraque fulgens. Nam duobus è filiis, quos duobus datis in adoptionem, solos nominis, sacrorum familiæque hæredes retinuerat domi, minor fermè XII. annos natus, V. diebus ante Triumphum, major XIV. annorum triduo post Triumphum decessit, quos prætextatos curru vehi cum Patre, sibi ipsos similes prædestinantes Triumphos, oportuerat.*
Priorem isthunc sic excipiebat

Posterior, ut adstarent ex iis, qui honoris causâ solemniter Imperatoris currum prosequebantur: proximi erant agnati; deinde sequebantur turmæ ex Ordine

Equestri; postremi Legiones, juxta il modò commemorata pariter atque illu Livii de laudato P. Æmylio Triumphatoi lib. 45. *Lauro cronatus erat universus exercit currum Imperatoris per cohortes & ordines s cutus.*

§. 13. Locum autem medium jamdudu haberi honoratissimum, collucet tam e Historicis, Oratoribus & Ethnicis Poët quàm ex Israëliticis Prophetis; etiam Centrum non semper præstabilius per pheriâ sit, prout vel occæcatissimi illi J dæi viderunt, qui CHRISTUM Rege gloriæ connitebantur summæ expone ignominiæ, dum Ipsum à Pontio Pilato a crucem contra Romana Jura damnatu per milites inter duos suspendebant m dium latrones. Ut enim trium fratrum m dius in Regno Virtutis Luminosæ censet dignissimus; Ita in Regno Nequitiæ neb losæ plerumque omnis medius reputat nequissimus.

§. 14. Meridianæ luci lucem allucerer si ex *Cicerone* superioribus adscriberer quemadmodum ad pompam Triumph lem condecorandam, maximè prætext sedere in equos paternos consueverint.

§. 15. Consuevit quoque Triumphato pars participem Triumphalis pompæ exhibere. Nam cum T. *Claudius Drusus* C

ſar à Britannia redux inter maximas *ὑποδεξίας* triumpharet, atque inter hoſtilia ſpolia navalem coronam faſtigio Palatinæ domus juxta civicam figeret, trajecti & quaſi domiti Oceani inſigne; currum ejus *Meſſalina* uxor carpento ſequebatur. Sequebantur & *Triumphalia Ornamenta* eodem bello adepti, ſed cæteri pedibus & in prætexta: *Craſſus Frugi* equo phalerato, & in veſte palmata, quod eum honorem iteraverat, ut ex *Tranquillo* contemplari eſt. Britannia quippe antiqua imbellior bellicoſiori hodiernæ eſt tam diſſimilis, ut illam potuerit Romanus triumphare, hanc verò vix Muhammedanus auſit oppugnare, niſi quando tanto inteſtinæ Diſcordiæ malo cœperit laborare, de quanto abhinc IX. annis ad *Joh. Franciſc. Paulum de Gondy* Corinthiorum Archiepiſcopum ſic ſcripſit *J. Pricæus* Anglo-Britannus: *Funera funeribus coacervantur, clades cladibus continuantur; & dum utrimque pro Privilegiis & Libertate tam contentè certamen agitur, quod ultimum in ſervitute eſt pati, pars utraque periclitatur. Quem finem his malis ſtatuet, Deus ſolus novit.* Novit namque *Experientia* rerum omnium magiſtra Motus Civiles componere cum ingentibus vaſtiſque fluminibus: quod quæ cum ab ortu ipſo magna ſint, perpetuò tamen aucta & tumefacta progreſſu, eò majores

undas volvunt, eò amplioribus ac capacioribus feruntur alveis, quò à fontibus ac capitibus suis longius recedunt: Ita intestinum quoque bellum continuè aliud ex alio malum egurgitat & terram fraternis funeribus cruentis truculentius fœdat quàm olim Cain maledictus qui unum unicumque duntaxat fratrem Abelem trucidavit, *Dd. ad l.un. in pr. ibi, ex bellis civilibus C. de caduc. tol.* Quin etiam in Bellis Civilibus omnia divina & humana Jura violantur, Punicæ Hannibalis artes ab Ecclesiasticis Prophetis & Scholasticis Poëtis, inflatâ mirificæ laudis tubâ exaltantur & plerumque talia patrantur qualia sine horrore commemorari non possunt.

Tandem ex aliis bellis necessariis præter victoriam & gloriam speratur imperii, potentiæ ac opulentiæ amplificatio; in his verò temerariis tumultibus decus cum dedecore, vita cum magna suorum strage, pax cum seditione, amica concordia cum hostili discordia, strictus Legum usus cum dissoluto Libertatis abusu, robur cum insigni virium imminutione, opes cum inopia & quies cum inquiete à talibus Ducibus ac Crucibus commutantur, quales superbiâ, immanitate, avaritia atque immoderata dominandi cupiditate sic flagrant & ocium publicum perturbant, ut ipsos hor-

horrens genuisse videatur
Caucasus, Hircanæque admôrint ubera tigres, juxta illud *Wilhelmi Lyci* in statu Europæ anno cIↄ Iↄ CLVI. sic plangentis ac pangentis συνεκδοχικῶς Poëtarum more de factione Cromwelliana perduelli:
Anglia terrorem terris & Regibus uno
Incussit cæso (res nova!) Rege suo.
O miserabilem & illacrymabilem intestinæ pugnæ faciem! O illorum temporum vel memoriam ipsam acerbam ac luctuosam, cum de pacifica concordia & juridica autoritate pertinax sceleratorum audacia triumphat: cum prostratæ Religioni victrix insultat impietas: cum tremefactis omnibus bonis, & optimo quoque pessima omnia metuente, volitantium huc illuc, & in publicis ruinis bacchantium improborum voces undique audiuntur: *Vivat* Deus noster *Mars*; *Bellona sit jam* Protectrix, *Regina & Imperatrix*; *Ubi arma, ibi dictatura.* Olim jacebamus, sed
Hoc jam per mare turbatum Nos *Poma natamus*;
Quare *qui* sub hac nova Interregni specie *nobiscum non colligit, dispergit. Penes nos enim impræsentiarum est summa rerum. Sub pedibus nostris jacet jus, & in manibus nostris stat vis plenipotentiaria pessumdandi Leges Regni Fundamentales & immutandi antiquam regiminis publici normam in talem novam formam, qualis nunquã vel in ultima*

Thule fando audiatur. Facile namque postica sannâ exciperetur, si quis *Tacitæ* non litaret, neu ὑποθυμιάδας suspenderet, sed stylo Asiatico Tragicum Civilis Concertationis somnium prosequeretur, quod quidem multi viri versutiarum, potentiarum & divitiarum per totam vitam suam mirificè somniarunt, sed ubi somnum mortis æternum indormiverunt, in manibus suis nihil nisi hanc tacitã confessionem invenerunt: *Væ animabus nostris! Nos enim nihil in vita nostra nisi terram sapiebamus, nihil nisi terram diligebamus, nihil nisi terram capiebamus & tandem quidem terror terris evadebamus multis, sed jam ita aggregamur cadaveribus sepultis, ut opimâ carnium nostrarum hæreditate gaudeant vermes & serpentes; etiamsi sub capitibus nostris nostri sanguinolenti jaceant enses. Utinam ante obitum nostrum nos interpretes somniorum fidos habuissemus*, juxta illud Jer. 17. ℣. 11. *Quemadmodum perdix ova colligit, sed non excludit: Ita comparans divitias sed per nefas, mediis suis diebus derelinquet eas, & tandem erit Stultus.* Stultus enim homo tanto falsæ lætitiæ Thesauro pascitur, ut quovis Ente bruto imperitior evadat. Etenim apiculæ, conchæ, formicæ & lucernæ Tempestatem præsentiunt: solus autem rationalis mortalis mortem & mala sua æterna nullatenus prospicit. Vah cæcam Psychicorum dementiam!

§. 6.

§. 6. Famosus ille Magnæ Britanniæ Cancellarius *Thomas Morus* olim sibi suisque cecinit:

Si quis ad infernos properat descendere manes,
Huc iter accelerant Balnea, Vina, Venus.

Ego verò Currum Triumphalem Diaboli possem quidem vivis hîc depingere coloribus, sed cum illum cum suis equis ac rotis jam anno cIↄIↄ c XXXIX. aliquatenus cognoscendum in nostro *Discursu* Laconico *de Monarchia Nimrodiana* dederimus, jam cramben coctam recoquere nolumus, sed adscribere malumus: *Tartareus ille Currus Triumphalis, quo Princeps hujus seculi cum omnibus suis adoptatis filiis magnificè invehitur, ab Apocalypsi Johannis symbolicâ pergraphicè repræsentatur & ita pernoscendus datur ut nihil supra.* Absque hoc Curru fuisset, nemo vatum Christianorum unus unquam cecinisset:

Sanguine plantata est Ecclesia, sanguine crescit,
Sanguine præfloret, sanguine fructificat.

Fructui autem Ecclesiæ Cainicæ respondebit olim falx Vulcani vindicis messoria, cui insculptum sic est: *Cui Deus non adest per Gratiam, ei adest per Vindictam.* Primus enim omnium in hoc Diabolico Curru Triumphali cum suo triumphante patre filius primogenitus Cain sic triumphavit, ut

ſanguis Abelis innocentis ad radios rotarum adſpergeretur. Ultimi autem omnium mortalium conſcendent ſanguinolentum currum hunc Triumphalem, antequam pugnaverint & ſuperaverint Gog & Magog. Ut autem ex illo illi deturbabuntur & cum illo concremabuntur: Sic permulti ante illos ex eodem ſunt deturbati. Deturbabatur enim inter cæteros ex eodem olim ſubitò magnus ille Politicus *Sejanus*. Hic enim Tiberii Cæſaris ocellus eâ ſanè pollebat & florebat aulæ gratiâ, ut ipſi Princeps non facilè quicquam negaret. Quid? quod hominem quoque *Parentem ſuum* Cæſar nuncuparet. Hinc Sejanus palatina diviſit munera, cui voluit, prout voluit. Per fortunam Tiberii aut Sejani aut utriuſque paſſim jurabatur; ſaluti Tiberii & Sejani quoque vulgò libabatur. Sejanus Imperator erat & in puppi ad clavum ſedebat, Tiberius verò in prora non niſi Imperatoris nomine & umbrâ ſuperbiebat. Derepentè autem oborta eſt tempeſtas palatina, cujus unus vulturnus omnem hominis fortunati gratiam ſic diſflavit, ut Juvenalis hoc ei Epicedion pangeret:

——— ——— Sejanus ducitur unco
Spectandus; gaudent omnes. —— ———
Dum jacet in ripa, calcemus Cæſaris hoſtem.

Et

Et Tiberius enim è Campania à Capreis ad Senatum Romanum misit unas paucarum literarum literas, quæ tantæ fuerunt efficaciæ, ut Sejano & opes & gratiam & caput ademerint, qui paulò antè non tantum ut Cæsar salutabatur, sed ut Deus adorabatur. Utinam Sejanus non caruisset uno aliquo fido somniorum suorum interprete, qui ipsum in tempore sic interpellâsset: *O Sejane!* Saburræ talem tu tibi turrim sublimem sine arena & calce superstruis, qualis propediem ruinam ruet tantam, quantâ omnis tua familia extinguetur usque ad filiam tuam, quam prius Carnifex deflorabit, quàm virginem trucidabit, & posteritati inculcabit; *Omnem Mundi gratiam esse quovis somnio fallaciorem fallacissimo.* Fallacissimam hanc Mundi gratiam quoque expertus est Ruffinus. Hic enim mortalis erat quidem olim domo vili oriundus, ære modicus, dignitate nullus; veruntamen Constantinopoli in *Theodosii* Imp. aula eò amplitudinis excrevit, ut vel ad ipsum adscenderit Consulatum, quem cum Arcadio gessit. Omnia agebat homo pro libitu, Cæsari ad arbitrium moderabatur, neque jam quicquam aliud deerat nisi ut ipse Cæsarem ageret. Quid quæris? Jam instabat dies, quo hic dominator proclamaretur Imperator; jam dia-

dema & purpura, jam epulæ & ſpectacula, jam donativum militi, aurea moneta plebi ſpargenda, ejus effigie ſignata, jam inaugurationi deſtinata & parata erant omnia. Cæterum ſubitò mutavit ſic aura, ut Ruffinus militibus Triumphus Caſtrenſis fieret, in mille partes ſecaretur, caput conto affigeretur & manuum alterutra oſtiatim circumgeſtaretur, editâ hac bajuli voce: *Obolum Ruffino pauperi date.* Dari huic ſomnianti debuiſſet peritiſſimus ille ſomniorum humanorum interpres Philo Judæus ἐν τῷ βίῳ πολιτικῷ, ubi ſuper communi publicoque illo Vigilantium ſomnio *Vita humana* hominem inter cætera ſic convenit & inſtruit variis imaginationibus phantaſticis fluctuantem, mihi pag. 546. ὅτι τοῦτο καλὸν, ἐκεῖνο αἰσχρόν· τοῦτο ἀγαθὸν, κακὸν ἐκεῖνο· τοῦτο δίκαιον, ἄδικον ἐκεῖνο, καὶ πάλαι ταύτῃ, τὸ φρόνιμον, τὸ ἀνδρεῖον, τὸ εὐσεβὲς, τὸ ὅσιον, τὸ συμφέρον, τὸ ὠφέλιμον· καὶ πάλιν τὸ ἀνωφελὲς, τὸ ἀλόγιστον, τὸ ἀγεννὲς, τὸ ἀσεβὲς, τὸ ἀνόσιον, τὸ ἀσύμφορον, τὸ βλαβερὸν, τὸ φίλαυτον, καὶ ἔτι πρὸς τούτοις. ἀλλότριον τοῦτο, μὴ ἐπιθύμει· ἴδιον τοῦτο, χρῶ μὴ παραχρώμενος. περιουσιάζεις; μεταδίδου. πλούτου γὰρ τὸ κάλλος, οὐκ ἐν βαλαντίοις, ἀλλ' ἐν τῇ τῶν χρησόντων ἐπικουρίᾳ. ὀλίγα κέκτησαι; μὴ φθόνει τοῖς ἔχουσι. πένητος βάσκανον οὐδεὶς ἂν ἐλεήσαι. εὐδοξεῖς καὶ τετίμησαι; μὴ καταλαζονεύου. Ταπεινὸς εἶ ταῖς τύχαις;

χαις; ἀλλὰ τὸ φρόνημα μὴ καταπιπτέτω. πάντα σοὶ κατὰ νοῦν χωρεῖ; μεταβολὴν εὐλαβοῦ. πταίεις πολλάκις; χρηστὰ ἔλπιζε. πρὸς γὰρ τἀναντία τῶν ἀνθρώπων αἱ τροπαί. Si enim hæc Ruffinus præcognoviſſet, fortaſſis identidem ſibi ex Nazianzeno dixiſſet: *Præſentem moleſtiam in futuro ævo abde.* Transfretandum aliquando erit hinc. Beatus itaque, qui Talenta ſua in terram non defodiet, ſed Theſauros ſuos præcipuos in æterna Tabernacula præmittet. Quia is demum vivit, qui cum Juſtis omnibus è ſomniis ſuis vanis ita evigilat, ut uni Æternitati vivat, juxta illud Ambroſii: *Caduca hæc omnia cum damno obveniunt ſine lucro: illud ſolum eſt lucrum, ubi fructus perpetuus, ubi æternæ merces quietis.* Juſtiſſimè autem ab Humana deſeruntur gratiâ, qui illam infidam novercam tantopere ambiunt & diligunt, ut piam illam matrem Gratiam Divinam poſtponant & Conſcientiam convulnerent. Atenim excuſetur aliquatenus bona humani generis pars, ſi nondum condidicerunt antiquam illam Rupertorum expertorum exclamationem: *O nimiam favoris mundani inconſtantiam!* Hoc enim eſt inveteratum Mundi ingenium, ut plerunque minorem meritis rependat gratiam. Quid multa? Una unicaque horâ diſperdas omnem Mundi Vertumni gratiam,

quam summa tua prudentia & probatissima diligentia multis collegeris Olympiadibus, juxta illud Chrysostomi: *Assecutus est aliquis Magistratum, Gloriam, Principatum: tamen in eo perpetuus non manet, sed confestim ab eo excutitur.* Exi è scena, occinit successor, exi, amice, & descende de Theatro in sepulchrum; Trade lampada, arma & locum alteri, quia Tu jam satis somniasti, satis lusitasti, satis cursitâsti, satis regnasti, satis prædicâsti, satis sanâsti, satis informasti, satis laborasti. Ita præterit σχῆμα hujus Mundi 1. Cor. 7. ℣. 31. & Psal. 90. ℣. 10. ubi de Tragico-Comico & Comico-Tragico Vitæ Humanæ Somnio in Bibliis Teutonicis dicitur: Es fährt schnell dahin / als flögen wir davon. Quod si quis fortè per errorem post multos alios Triumphalem istiusmodi Currum Phlegethontæum conscenderit, ille procul ulla morâ cunctabundâ in tempore descendat, ut sub extremam vitæ horam ne cogatur ob prægustum infernalium tormentorum cum Imp. *Constantino Copronymo* Ecclesiæ vastatore quiritari: *Vivens adhuc ego jam igni inexstinguibili sum traditus.*

§. 5. Quod denique benedictum illum Mundi Electi Currum Triumphalem attinet, ille inter cætera cognoscitur & proditur vel per sua *trabalia*, Vigilantiam, Con-

Constantiam, Castimoniam, Parsimoniam; vel per suas *rotas aureas*, Liberalitatatem, Taciturnitatem, Frugalitatem, Gratitudinem; vel per primarios *clavos argenteos*, Humilitatem & Pietatem; vel per *scalas cedrinas*, Tentationem & Orationem, vel per oblongum *temonem* Perseverantiam, vel per suos *iligneos axes* Misericordiam & Tolerantiam; vel per suam *axungiam*, lacrymas doloris & amoris, vel per *asinas albas* trahentes, Fidem, Charitatem, Veritatem, Justitiam, Spem, Fortitudinem, Temperantiam & Prudentiam; vel per *itinerarium*, Sacram Scripturam; vel per *amictum*, justam Injustitiæ sanctæ (absit verbis lividus sinistri interpretis oculus) levidensam; vel per *victum*, panem & fontem, vel per *condimentum viatici*, Jejunium; vel denique per auriganteni vivum *consilii* ac *gaudii Spiritum*, cujus ductu continuo transvehitur hinc in cœlestem paradisum ac risum. Illis enim, qui isthunc Currum Triumphalem conscenderunt, unum divinæ gratiæ stillicidium est preciosius toto Mundani favoris pelago. Hinc istiusmodi fratribus solemnissimum est, ut ante omnia in Academia Sp. Sancti Philosophica condiscant, Divinæ Providentiæ se totos quantos permittere, à rebus creatis solatia non mendicare, auxilia earum car-

nalia in postremis habere, in cunctis Deo Opt. Max. tam perfectè credere quàm Mose ad rubrum mare Exod. 14. ℣. 13.

Caput XXIII.

COmmemorat Panormitanus, *Alphonsum* Regem Aragonum *Alvaro Lunæ* viro primario permulta beneficia tribuisse, hunc autem illa ita comedisse, ut ne ullum quidem grati animi κριτήριον seu vestigium in ipso deprehenderetur. Instillanti autem uni atque alteri regiis auribus, non ingratum modò, sed nec memorem quidem esse *Alvarum*, respondebat Rex non minus prudenter quàm hilariter: *An ignoratis, Ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satisfieri.*

§. 1. Commemorant alii, quod illi fratres implacabiles, qui gaudent Schisma scandalosum ab Antecessoribus suis in publicos Ecclesiæ dormitantis agellos proseminatum proseminare longius latiusque in successores, inhumanitate vincant vel ipsos Turcas, de quibus *Schweiggerus* in descriptione Itineris sui per Thraciam & Palæstinam l. 2. c. 50. pag. 176. Von der Türcken Reichs-tägen. sic non sine ipsorũ laude recenset: Wann sich ein Zanck auff der Gassen erhebt / so unterstehet sich ein Jeder / der fürüber gehet / die Sach zu vertragen / ob er woll den beyden Partheyen unbekant ist rc. A Turcis

cis autem vel Virtute una Christianos superari indignissimum censeatur. Quibus permulta addi possent; sed præstat tempora tempore temperare & talis viatoris prudentis vestigia calcare, qualis ubi unum inevitabile crabronum examen ad viam prætoriam conspicit, illæsus cum gaudio præterit, dummodo bona insecta ista irritationis omnis impatientia nullus tangat neque angat, Apoc. II. ℣. 10.

§. 2. Commemorant alii, quod *Stephanus* I. Hungariæ Rex *S. Emerico* Duci super LL. Fundamentalibus de acceptandis Exteris & nutriendis hospitibus sic aliquando scripsit: *In hospitibus & adventitiis viris tanta inest utilitas, ut dignè sexto in Regalis dignitatis loco possint haberi. Unde inprimis Romanum crevit Imperium, Romanique Reges sublimati fuerunt & gloriosi evaserunt? nisi quod multi nobiles & sapientes ex diversis illuc confluebant partibus. Roma verò usque hodie esset ancilla, nisi Æneades ipsam fecissent liberam. Sicut enim ex diversis partibus provinciarum veniunt hospites; Ita diversas linguas & consuetudines, diversaque documenta & arma secum ducunt, quæ omnia Regiam ornant & magnificant Aulam, & perterritant exterorum arrogantiam. Nam unius linguæ, uniusque moris Regnum est imbecille & fragile. Propterea jubeo, ut Tu, mi fili, bonâ voluntate alienigenas nutrias & honestè colas, ut tecum li-*

ben-

bentius degant quàm alibi habitent. Si enim Tu destruere, quæ ego ædificavi, aut dissipare, quæ congregavi studueris, sine dubio maximum detrimentum Regnum patietur tuum. Quod ne fiat, tuum quotidiè auge Regnum, ut Corona Tua ab omnibus habeatur augusta.

§.3. Commemorant alii, quod non nemo cognatorum suorum inter peregrinandum quidem Italiam,Galliã,Hispaniam,& complures alias Mundi regiones peragravit, & lustravit, sed nihildum tam benè philosophari & tam rectè fari condidicit; ut talis alter Ulysses πολύτροπος evaserit redux, de quali possis gloriari non tam ex Homero:

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

quàm ex Horatio lamentari:

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Jam nunc mente & cogitatione perspicio, quod olim *Socrates* ille Magnus (qui ob suam Philosophiam *Pentathlus* salutabatur) cuidam querenti; *Quod sibi Peregrinationes nihil profuissent*, respondisse fertur: *Non immeritò tibi istud evenit; Tecum namque peregrinabaris.* Peregrinatur enimverò non semel non nemo sine judicio tali, ut inter peregrinandum nullus respiciat neque *seipsum*, neque *finem suum* per Abstinentiam & Constantiam consequendum. Consequi autem illum neutiquam poterit, qui pro comi-

comitatu ſuo præcipuo Deum Deique Angelos habere nolit, ſed illis ſe conformare malit, qui minorem operam navant Apoſtolicæ ſimplicitati omnigena pietatis mella exuberanti quàm Chryſippææ ſubtilitati idololatricarum ſuperſtitionum non experti ob illud Auguſtini ad Januarium ſuum epiſt. 118. c. 1. & ep. 119. c. 18. *Neque in his quæ per regiones variantur, diſciplina ulla melior, gravi prudentique Chriſtiano etiam eſt, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit, Eccleſiam ad quamcunque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro ea, inter quos vivitur ſocietate ſervandum eſt, & ſequenda conſuetudo illorum, inter quos verſamur, ſi aliis nolimus eſſe ſcandalo.* Scandalum autem ille non facilè accipiet neque dabit, quicunque dies atque noctes in eburneo candidi pectoris ſalino *ſalis* hanc *micam* ubique terrarum ſecum circumferet: *Deo magis auſcultandum quàm hominibus*, nolentibus prius communicare ſuam linguam, ſapientiam & prudentiam, quàm peregrinantem pertraxerint ad ἀποστασίαν, juxta illud ὕποπτον καὶ ἐπίβουλον Diſtichon:

Si fueris Romæ, Romano vivito more;
Si degas alibi, vivito ſicut ibi.

Nolim ediſſerere, quod hodiernæ *Olympiades* & *Charites* non in uno Helicone monte aut

Aga-

Aganippe fonte cohabitent, ſed in variis variarum terrarum Academiis tanquam in Parnaſſeis montibus ac Caballinis fontibus præcellentiſſimos quoſque ſibi ſuos alant Theologiæ, Juridicinæ & Medicinæ ſtipendiarios, quibuscum ſi converſeris, ſi prælegentes audias, ſi diſputantes obſerves, ſi perorantes attendas, & inter domuitionem roges, mirum ſi non plus intra quinquennium proficias, quàm ſi domi tuæ per decennium decem Chærilos ſagines avaros ad nauſeam uſque obſtrepentes:

Scire volunt omnes, mercedem ſolvere nemo.

Malim adſcribere illud Senecæ: *Da operam, non tam ut alibi ſis, quàm ut alius fias. Quid enim peregrinari juvat, ſi peregrinaris cum affectibus tuis & tua te vitia ſequuntur.* Sequentur autem nequaquam talem vitia ulla peregrinantem, qualis ſibi quoque præſcriptum putarit communiter, quod abhinc XXVII. annis ſoli *Leonhardo Harlæo*, Theologo Belgarum Reformatorum jam Clariſſimo præter alia ſic ad Oxonienſem Academiam Crucius perſcripſit ſingulariter: *Ad Virtutis & Doctrinæ palmam adſpira. Cogita id optimum eſſe, tute ut ſis optimus: ſi id nequeas, ſaltem ut optimis ſis proximus.* Proximus autem optimis nemo facilius evadet, quàm qui ex optimis, quæcunque doctrinarum facundarum & vitarum moratarum neſcit,

mo-

modeſtè perquirit, ob illud Vatis:

Sæpè rogare, rogata tenere, retenta docere,
Hæc tria diſcipulum faciunt ſuperare Magiſtrum.

Magiſtrum autem illũ titivilitio non emas, qui peregrino ad interrogandum advenienti panem quidem dextrâ eminus oſtendit, ſed mox eundem lapide, quem ſiniſtrâ gerit, cominus ferit. Hujuſmodi Magiſtros ſolebat *Sagittarius* Jenenſis olim Academiæ ſidus ſanctè odiſſe, cùm candidæ Muſarum januæ omnibus debeant eſſe apertis apertæ. Etenim quanto quiſque eſt doctior, tanto ſit ad communicandam aliis doctrinam ſuam liberalior, juxta illud Senecæ epiſt. 6. *In hoc ſcire aliquid deſidero, ut alios doceam. Si cum hac exceptione detur Sapientia ut illam incluſam teneam, abjiciam.* Hinc *Sapientum finem* eſſe *Sapientiæ communicationem* dixit Scaliger exerc. 308. Hoc namque eſt prænobile veræ ac ſinceræ Eruditionis ingenium, ut gaudeat ſe quibuſvis ſui indigis inſinuare atque ita ſe communicatam per natos ad naſcendos propagare, juxta illud Gregorii Nyſſeni: ὁ τῇ φύσει ἀγαθὸς, καὶ ἀγαθῶν πάντων παρεκτικὸς, ἴδιον γὰρ παντὸς ἀγαθοῦ τὸ ὠφελεῖν. Hoc eſt: *Qui naturâ bonus eſt, idem & omninò cum aliis ſua bona libenter communicat. Proprium enim bonorum eſt, aliis prodeſſe.* Taceo quod omne Myſterium, quod

quod Macrosophus non communicat consanguinitati fratrum vivorum, cedat hæreditati exercituum mortuorum. In contrarium autem quid magis redivivum Alexandri M. spiritum spirat, quàm liberali magnificentiâ bonam partem eorum (quæ cuipiam vel revelatione Hermetis, vel speculatione Archimedis, vel operatione Cleanthis vel inventione, emendatione, perpolitione, amplificatione ac dexterrima dispositione alterius cujusdam rari autoris peculiariter obtigerunt) piè erogare indeque agros aliorum sitientes irrigare? sanè oppidò perquam ingrata bestia est Ætas Mundi hodierna, nisi maximas magnificentissimo Deo suo cantat gratias pro concessis Theologis, Jurisconsultis, Medicis, Philosophis & Philologis excellentissimis; cur autem Regina ac Domina illa nequeat triumphare præcellentioribus, hîc quidem quivis à me alius alienusve potuisset jam pridem dicere; dicere autem inter valedicendum ego jam nunc cuivis peregrinanti in aurem malim tria illa ex Nazianzeno: *I. Quemadmodum Monoceros tantoperè gaudet Libertate, ut nequeat duci sub præsepe: Ita tu inter peregrinandum sic philosophari disce, ut nunquam redux evadas tale servum pecus, quale nihil suo ipsius Marte & arte ausit præstare, sed malit ætatèm in alieno cerebro habitare & pro quovis*

vis alterius nutu ſententias fabricare & immutare. II. *Quemadmodum Monoceros montes amat præcelſos: Ita tu inter peregrinandum ſic philoſophari condiſce, ut deſpicias terreſtria & ſuſpicias cæleſtia,* juxta illud Auguſtini ſerm. 55. de Temp. *Iſte Mundus aut ridet nos, aut ridetur à nobis. Melius eſt, ut calces Mundum, & calcato eo gradum tibi facias, per quem in ſublime conſcendas,* ſecundùm illud Clementis Alexandrini orat. ad Gentes: *Ego terram calcare didici, non adorare.* Quippe Oppugnatores, teſte Chriſto Imperatore animarum noſtrarum militantium Generaliſſimo Matt. 11. verſ. 12. *Violenti capiunt & rapiunt Regnum cælorum.* O magnanimos Heroës! III. *Quemadmodum Monoceros amat ſolitudines: Ita tu inter peregrinandum ſic philoſophari perdiſce, ut vel interdiu vel noctu animæ tuæ quæras & invenias unum gratum* à mundanis turbis turbantibus *ſeceſſum, ubi illa audiat, quid in ea locuturus ſit Dominus*, juxta illud Benhardi hom. 40. in Cant. *O ſancta Anima, ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves teipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis & intimis, etiam & ab illo qui tibi miniſtrat. An neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam velit tibi ſuam indulgere præſentiam, præſentibus cæteris? Secede ergo, ſed mente, non corpore, ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu: de cætero, ſola indicitur tibi mentis & ſpiritus*

ſoli-

ſolitudo. Solus es, ſi non communia cogites, ſi non affectes præſentia, ſi deſpicias quod multi ſuſpiciunt, ſi faſtidias quod omnes deſiderant. alioquin nec ſi ſolus corpore es, ſolus es.

§. 4. Commemorant alii, quod Cyrenaicus ille Philoſophus *Hegeſias* (qui aliis dicitur *Ageſias*) tantâ fuit eloquentiâ, quantâ ſic ærumnoſa vitæ humanæ mala confluenti auditorum attentorum coronæ repræſentabat, ut illachrymabili iſtiuſmodi imagine pectoribus inſertâ, multis voluntariam mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret, atque hinc Epiſcopo illi vigilanti *Ptolomæo* Regi anſam daret interdicendi, ne impoſterum plures iſtiuſmodi Orationes in ſuo Regno haberentur. Excuſetur igitur, quoad ejus fieri poteſt, omnis cæcus hodiernæ Chriſtianæ militiæ miles, quem tantus tenet amor vivendi, ut vix ac ne vix quidem ei poſſit inſpirari Spiritus Apoſtoli, qui cupiebat à luctificabili miſerrimæ hujus vitæ ſtatione diſſolvi & ad Imperatorem ſuum triumphantem *Chriſtum* transferri. Quid multa? Multi avari, ſuperbi & luxurioſi adeò inſaniunt, ut eos neque Iſmenias Thebanus, neque Aſclepiades ullis Muſicis concentibus, neque ullis divinis nominibus Moyſſonnius curare poſſit juxta illud Nili Epiſcopi in Paræneſi: Θεὸς ὀνομαζόμενος φυγαδεύει τοὺς δαίμονας.

§. 5.

§. 5. Commemorant alii, quod ἀξιίερος ille *Q. Scævola* Publii filius (cum postulasset, ut fundus, cujus emptor erat, sibi semel indicaretur, idque venditor fecisset) dixit; *Se pluris æstimare*, adjecitque precio 100000. teste *Erasmo Roterodamo* apophthegm. l. 6. pag. 543. O exemplum integritatis Ethnicæ rarum! Enimverò inter hodiernos Christianos reperias paucissimos integritatis tantæ candidatos, licet eos vel Diogenis lucernâ conquisitum abeas.

§. 6. Commemorant alii, quod *Æleonora* Ferdinandi III. Castiliæ Regis filia nupsit *Eduardo* I. Angliæ Regi, cum quo in Terram Sanctam proficiscebatur, ubi cum ex insidiis à Mauro quodam ille gladio venenato percussus esset, & Medicorum remediis non tam allevaretur quàm alligaretur, novam atque inauditam, sed amore & pietate plenam illa adhibuit medelam. Plagas enim mariti toxico infectas, quæ ipsius veneni vi claudi non poterant, linguâ dietim lingebat, sugebatque humorem venenosum sibique liquorum dulcissimum. Cujus vigore, dixissem verius, fidei uxoriæ virtute, sic omnem veneni substantiam attraxit, ut integratis vulnerum coëuntium cicatricibus, ille plene curatus, illa planè incolumis evaserit. Quid igitur hu-

jus mulieris fide rarius fando audiri, aut mirabilius præstari potest? Ut uxoris lingua fide & dilectione conjugali peruncta, venena à perdilecto marito expulerit, quæ à delecto Medico tali (in qualem jactari adagium jure non poterat: Ἀκεσίας ἰάσατο) trahi non potuerunt: & quod plurima eaque exquisita nesciebant efficere medicamenta, una uxoris pietas explevit, prout *Rodericus Toletanus* declamat.

§. 7. Commemorant alii, quòd *Xenocrates* fertur exstitisse Philosophorum severissimus, & adversus omnem Voluptatum titillationem prorsus invictus. Cujus rei abundè illud præbuit inter cætera magnum luculentumque argumentum, quod *Phrynen* formosissimam ejus ætatis Venerem, à discipulis in lectum ipsiſsuum submissam, & columbatim sua labra labris ipsius conferentem, omnibusque modis aliis ipsum πρὸς τὸ μίγνυσθαι sollicitantem per noctem perpetem ad auroram usque, intactam tamen cum omnibus suis ipsam illecebris, mammis ac flammis dimiserit; usqueadeò uti postridie ejus diei ipsa iis rogantibus, qui ipsam Tentatricem Tentatores submiserant, respondisse de invicto hoc raræ castimoniæ heroë legatur; *Cum statua sese cubuisse, non cum homine.* Homine namque tali Josepho plerumque Mundus caret, qualis bene

bene condidicerit ex Clemente Alexandrino illud *Matthiæ* Apoſtoli: *Adverſus carnem pugnandum, & in nullo prorſus voluptati ejus ac libidini concedendum; animam verò alendam ſapientiæ paſtibus & ſcientiæ cibis in majus ſemper augendam.* Verumenimverò tantus Joſephicæ militiæ miles creditur fuiſſe Bernhardus eo die, quo Deo ſuo, ſerm. 9. in Pſalm. *Qui habitat*, ſic credens confeſſus eſt: *Si inſurgant adverſum Me prælia, ſi ſæviat Mundus, ſi fremat Malignus, ſi ipſa Caro adverſus Spiritum concupiſcat, in Te ego ſperabo.* Spes enim viva neminem Orthochriſtianæ militiæ militem magnanimum confundit, ſed quemlibet ejus candidatum iſthæc anchora ſacra vel ex ipſis Mortis portis extollit in Sanctum Sanctorum, quo intelligas Regnum cælorum.

§. 8. Commemorant alii, quod Deus Opt. Max. ferè nullibi tam contrariis ſollicitetur precibus quàm belli. Belli enim Cæſarei Dux *Tillius* ad Lipſiam anno cIↃ IↃ cxxx. Deum ſuum pro Victoria implorabat: *Guſtavus Adolphus* autem ſummus Suecici Exercitus Imperator Deum ſuum pro eadem adorabat & exorabat. Exorari namque Deus videtur poſſe citius ſimplici Euangelicorum oratione de Jeſu Meſſia, quàm compoſitâ Pontificiorum Litaniâ de Jeſu & Maria, prout docuit nos

Eventus prælii. Prælii namque eventus, poſteaquam diu multumque vario Marte pugnatum eſt, *communiter* tanquam æquus ac bonus arbiter tandem conflictum per donationem Victoriæ ita dirimere adſolet, ut facilè omnis Spectator ſpectet, uternam Exercituum fretus potiore cauſæ juſtitiâ ad belligerandum inſurrexerit & expeditionem ſuſceperit. Dixi, *Communiter*; non verò, *Semper*. Etenim poteſt Poteſtas Dei Juſtiſſimi ſumma nonnunquam illi genti ad tempus elargiri victoriam, quæ videbatur fovere cauſam belligerandi injuſtiſſimam, prout colligas ex Judic. 20. verſ. 21. & 25. Quid? quod ex ipſa Eccleſia, ſi Hieronymo in Eſa. 22. credimus, *maxima pars, abſque ullo certamine & diſceptatione, hæreticorum deceptionibus ſupplantatur*. Saluſtius apud Servium illos *Belli Duces* laudat, *qui victoriam incruento exercitu deportârunt*. Ego verò hoc ſeculo hæreticorum ferace non poſſum non collaudare illum Chriſtianum, qui in ſancto Dei templo tanta evaſit militaris columna victrix ac triumphatrix, ut jamdudum perſtet *firmus* per fidem, *rectus* per æqualitatem, *erectus* per intentionem, *ſublimis* per proprietatem. Proprietas autem electarum Chriſti ovicularum eſt hæc, ut alieni unius vocem non cognoſcant, alieni veſtigia non legant,

ſec

ſed ab quocunq;alieno tanquam à lupo fugiant, & illum ipſum ſolum (à quo præeunte Paſtore Paſtorum vero nominatim conveniuntur, ducuntur & paſcuntur) ex voce divina agnoſcant & non aliorſum abeant, niſi quo ille cunque ipſis præeat. Hinc Apoc. 14. verſ. 4. & 5. tales caſtitatis raræ animæ honorificè cognominantur *Virgines* immaculatæ & irreprehenſibiles coram Dei throno. Quia cum mulieribus Pſeudo-prophetiſſis rem nunquam habuerunt, neque os ſuum fraudibus Herodianæ Beſtiæ ſacris compleverunt.

§. 9. Commemorant alii, ſe conſpexiſſe talem Gentem Magnam, de quali Hierarchica Crucius l. 5. epiſt. p. 434. ſic ſcribit: *Fidem in Ignorantiâ ponunt, & Religionem in Bruto Populi Obſequio. Nam in* Pontificio *hoc* Regno *quid niſi jumenta ſunt homines? quicquid imponitur, portant, ut aſinus* Iſidis *ſacra; nec magis intelligunt, quid ſit* Religio, *quàm mulus aut equus. Quid mirum?* Cæca Obedientia, *& tantum non* ſtupor, *ibi encomium eſt* CHRISTIANI, *& bubalorum inſtar naſo* circumduci, ad Superſtitionem & Idololatriam, *hoc verè eſt*, Catholicum *eſſe.* Ire quà itur, non quà eundum, *vulgi gloria eſt, & Chriſtiani Obſequii laudem habet, ac meritum. Hoc faſcino præſtrictæ mentes hærent, & ſtupent apparatum, & pompam Religionis Ponti-*

ficiæ & Ignorantiæ ſuæ *piæ* (ſervilis *dico*) *Venerationis purpuram prætexunt.* O cæcitatem! *O miſeri ac miſerandi! Quid enim illa, ſi eam penitus excutias, detracto mentitæ Veritatis mangonio niſi Hiſtrioria? quid niſi Fabula in Theatro, operoſa ſimul ac ludicra?* Quæ quamvis ita plerumque ſeſe habeant; comperias tamen nonnunquam, nonnuſquam, inter Pontificios dari tales araneos emiſſarios quales ſophiſticam tanti artificii telam Victricem contexere & expandere ſciunt, ut ſubtilibus ejudem filis incautiſſimos quoſque Proteſtantium implicent & captos ad ſe è Suecia, Haſſia & reliqua Germania abducant, antequam ſe captos cognoſcant.

§. 10. Commemorant Theologi, in via Juſtitiæ, quod hominum alii imitantur in ſuo Chriſtianiſmo ſolem, qui laudati *Joſuæ* Ducis ætate contra primævum ingenii ſui morem ſtare videbatur; alii autem ſolem, qui Ezechiæ Regis tempeſtate retrocedere animadvertebatur, ita imitari ſolent, ut redarguendi ſint, juxta illud Franciſci Gomari in epiſt. Pauli ad Gal. I. conſect. 41. col. 2. pag. 156. *Quemadmodum in fratrum reprehenſionibus Veritas requiritur in Materia; ſic Prudentia in Forma: quâ utiliter ſermonem temperemus.* Nobis verò (ut ferè quiſque amplexatur, quod venatur) illum ſolem jam imitari conſtitutum eſt, de quo di-

divinus Hebrææ lyræ fidicem canit: *Sol è tentorio cæli tanquam ſponſus è thalamo ſuo progreditur, & lætatur tanquam heros decurſurus viam ſuam.*

§.II. Quod quum in exhibenda Triumphatus Juſti Hypotheſi ferè nemo omnium præcurrentium unquam luminoſiorem nobis lampada per manus traditurus ſit, quàm *Onuphrius Panvinius*, in reliquis de Triumpho Curuli tradendis ſic perſequi ſuis perdoctum virum veſtigiis animo deſtinavimus, ut nobis ferè per totum hoc caput foret prora puppiſque. Ille enim (poſteaquam nonnulla eximia ſuccinctè pertractaverat de cancellis, quibus Triumphator circumſcribebatur ante ſuum Triumphalem in Urbem ingreſſum) ſic perſcribere occupavit: *Interea dum hæc extra Urbem ab Imperatore triumphaturo geruntur, populus Romanus ipſo Triumphi die candidis veſtibus amictus, omnibus circis & locis, circa forum, & aliis Vrbis partibus, per quas Triumphator tranſiturus erat, tabulatis ad hoc ex ligno compoſitis inſidens ſeſe ad ſpectandum Triumphum præparabat, ita ut nemo penè ex infinita illa populi Romani multitudine domi remaneret; qui verò in tabulatis conſidere non poterant, ob frequentem ad ſpectandum convenientem multitudinem, vix conceſſo neceſſario tranſitu per varia Vrbis loca diſcurrentes, ubi ſpectandis tantum Imperatoribus*

locus sufficeret, *consistebant.* Triumphalia quippe spectacula sunt præcipua vulgi novitatis avidi oblectamenta. Quantum populi confluxum vidisses, si interfuisses, ubi in honorem Illustrissimi Celsissimique Principis Auriaci *Guilielmi* III. filii matrisque Regiæ *Mariæ Stuartæ* tam magnificè Magnificus Magistratus Amstælodamensis 15. Calend. Junii anno cIↄ Iↄ CLX. suos ludos XX. curruum currules edebat, ut repræsentaret Currus I. *Belgium* Dnn. Ordd. Confœderat. Reformatum VII. Provinc. II. *Jacobum* Magnæ Brittanniæ Regem. III. Regem Regni ejusdem *Carolum I.* beatæ recordationis quem eheu! anno cIↄ Iↄ CXLIX. cœlis cœlorum oculatissimis permittentibus,

Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

IV. *Olivarium Cromwellum*, qui armata manu perduellem in vita sua se Regni Protectorem Anglici fecerat, & novas L L. sanxerat, quæ pejus intercidunt & è celebranda celebratissimorum Britannorum memoriâ exolescunt quàm olim ex Græcorum animis illæ illius Spartani Ducis, de quibus sic legas apud A. Gellium l. 11. c. 18. *Draconis Leges non decreto jussoque, sed tacito illiterratoque Atheniensium consensu obliteratæ sunt.* V. *Moncum* gloriosissimum illum Britannici exercitus Imperatorem pru-

den-

dentiſſimumque Reſtitutionis Regiæ Procuratorem. VI. *Juſtitiam*, quam Ammianus Marcellinus lib. 20. *excellentiſſimam Virtutum omnium* vocat. VII. Angliam. VIII. Scotiam. IX. Hiberniam. X. *Carolum II.* reſtitutum ſuis Hæreditariis Regnis Regem. XI. *Mariam Stuartam* Principem Regalem. XII. Concordiam, juxta illud Plinii : *Tyrrhenus lapis integer quamvis grandis innatat, comminutus ſidit; Ita Concordia ſuſtinemur, Diſcordiâ peſſum imus.* XIII. Imperatorem *Adolphum* ex antiqua Naſſavienſi domo oriundum, qui obiit, ut innuit hoc rude par verſuum Leoninis æmulorum:

Anno milleno trecentis bis minus annis,
In Julio menſe Rex Adulphus *cadit enſe.*

XIV. *Wilhelmum I.* Arauſionenſium Principem, qui illuſtriſſimus anno cIↃ IↃ LXXII. tempeſtate *Philippi II.* Hiſpaniarum Regis præclarè facinoribus Heroïcis effloruit & aliquantò poſt illatum Palladium tutæ ſecuritatis in Belgium putæ Libertatis, maledictâ ſclopetarii emiſſarii glande ictus III. Id. Junii anno cIↃ IↃ LXXXIV. periit. XV. Principem illum Auriacum *Mauritium*, qui variis victoriis potiſſimum inclaruit ab anno cIↃ IↃ LXXXVI. uſq; ad annum cIↃ IↃ CXXV. quo obiit & ad ſuos præmiſſos abiit. XVI. *Fridericum Henricum* Auriacum illum Principem, qui victo-

riis illuſtribus illuſtriſſimam illuſtravit famam ſuam ab anno cIɔ Iɔ CXXVI. uſque ad annum cIɔ Iɔ CXLVII. quo ipſum ſummus Vitæ Mortiſque arbiter Chriſtus ex terreſtri vocatione ad cæleſtem vacationem evocavit. XVII. *Wilhelmum II.* Auriacum Principem, qui quaſi Salomonicâ aureæ Pacis ætate uſque ad annum cIɔ Iɔ CL. vixit, quo ex iſthac vita inquieta ad patriam cæleſtium Hieroſolymorum quietam ipſum ſummus Belgicæ Ariſtocratiæ ſtator ac vindex tranſtulit. XVIII. *Wilhelmum III.* minorennem Arauſionenſium Principem; cui Deus Opt. Max. elargiatur Virtutes tantas quantarum beneficio evadat glorioſus Vir in hoc ſeculo, & tandem aliquando beatus Rex in cælo. XIX. Gratitudinem, juxta illud Senecæ: *Acceptum beneficium æternæ memoriæ infigendum eſt.* XX. Antiqua Amſtelædami inſignia, quæ nautica vernaculè dicuntur De Koch. Taliter pompa illa Curulis (qualiter jam paucis enarravi, ne opus Iliade prolixius conſcribere videar) ibi edebatur. Edebatur & eo die olim Romæ ſub Imp. *Ulpio Trajano* Hiſpano ſpectaculum, quo in Perſecutione Chriſtianorum Tertia Antiochenus ille Antiſtes *Ignatius Theophorus* beſtiis objiciebatur, ut evaderet beſtiarius. *Beſtiarii* enim vocabantur qui cum beſtiis in

Am-

Amphitheatro, Cavea vel Colosseo committebantur. Quia *frequenter die uno*, teste Capitolino, *centum feræ Lybicæ, centum leones, centum tigrides, subinde ursi mille spectaculo producebantur.* Cum autem Christiani defuerunt, gladiatores aut capite damnati ad hanc lanienam auctorati sunt. Quid quæris? Cherubinici ac Seraphinici illi Dei filii *Angeli* assueti spectaculis sunt nonnunquàm spectandis. Hic autem Mundus est instar Caveæ, in qua suas sanctus ille Deus Deorum & Imperator Imperatorum (qui nihil nisi sapienter & utiliter permittit) præter cætera in Electos suos exercendos alit feras, Diabolos Diabolique mancipia. Quod enim Diabolorum machinæ non lædunt, id plerumque talia emissaria animalia rationalia mortalia suis technis convellunt, de qualibus non tantum Christus præmonuit Matt. 10. vers. 17. *Cavete vobis ab hominibus*; sed Poëta etiam succinuit:

Non audet Princeps Mundi tentare, quod audet
Effrenis Monachus plenaque fraudis anus.

Equidem multi in Christum baptizati audire magni Sancti volunt, sed Angelis Dei spectaculum fieri nolunt, ut Joseph, Job, Stephanus & innumeri alii, qui identidem ruminabant illud Hieronymi epist. 18. ad

Euftoch. *Habeat Roma ſuos tumultus, arena ſæviat, circus inſaniat, theatra luxurient: Nobis adhærere Domino bonum eſt, & ponere in Domino ſpem noſtram, ut cum tanta in cælo, parva & caduca quæſiſſe nos doleamus in terra.*

§. 12. *Viæ Urbis & Templa aperta, ſertis vaporibuſque ſuaviſſimis repleta erant.* Ædes namque ſacras ex edicto Roma religioſa aperiebat, ut pro ſe quiſque ex concione ad agendas Superis immortalibus gratias irent ob rem egregiè geſtam ab Imperatore. Quin etiam in hunc finem Senatus nonnunquam in aliquot dies decrevit ſupplicationes circa omnia pulvinaria, hoſtiiſque juſſit ſacrificari minoribus. Bella autem virginum corona tam Triumphatorem quàm vias roſis, liliis, violis, vacciniis, hyacinthis & floribus quibuſvis odoriferis aliis perſpergebat; prout certatim notant Notarum ſcriptores ad illud Ovidii:

Læta Triumphanti de ſummo mater Olympo
Plaudit, & appoſitas ſpargit in ora roſas.

Quadrat huc appoſitè illud *Flori* de *Levino* Conſule Romanorum triumphali in deſcriptione Belli Macedonici Primi: *Quid florum in Conſulem profuderunt?* Sunt qui Triumphalem quoque nuncupant illum Chriſti Imperatoris noſtri in urbem Hieroſolymitanam ingreſſum Matth. 21. ℣. 8. ubi

ubi dicitur: *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via; alii verò cædebant ramos ex arboribus & ſternebant in via.* Quemadmodum autem flores quidem ad breve tempus ſpirant fragrantiſſimos odores, quibus recreant Triumphatores poſt exantlatos varios Herculeos belli labores, ſed omnes ſuos perdunt colores, ſimulatque flacceſcunt & emarceſcunt. Ita etiam humana gloria & vita ſæpè numero eſt tam momentanea, ut famoſus ille Prutenicus Lutheranorum Regiomontanorum ICtus *Ambroſius Lobwaſſer* paulò ante mortem, quam anno cIↄIↄLXXXV. obiit, hoc ſibi ipſemet Epitaphium condiderit:

Expertus, Mundi vanas res eſſe Nihilque,
Hîc quoque nunc jaceo Pulvis & Umbra, Nihil.
Sed qui de Nihilo, Cœlum Terramque creavit,
Me cum carne mea non ſinet eſſe Nihil.
Hac Spe Nil Mortem feci, Nihil Omnia feci,
Nil Nihili vermes poſſe nocere ſcio.

Scio igitur, vel vivaciſſimum illum hominem *Mathuſalem* Deo æterno non niſi roſam fuiſſe,

Quam modò naſcentem rutilus conſpexit Eous,
Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.

Anus quoque cujuſvis effœtæ atque exſuccæ facies rugoſa & cadaveroſa, quæ olim erat puella bella, ſatis conteſtatur, nos

omnes reliquos mortales non esse nisi hesternas rosas tales quales manè florebant, meridie languebant, vesperi cadebant. Huc Christianus ille vates Aurelius Prudentius respexit, quando dixit:

Salvete flores Martyrum,
Quos lucis ipso in limine,
Christi insecutor sustulit
Ceu turbo nascentes rosas.

§. 13. Ante omnia *universus Senatus obvius ibat usque ad Urbis portam* Duci Triumphaturo; *ibique paulum opperiebatur*, *donec* Tempus Triumphandi *advenisset*, *omniaque* Triumphi Insignia & Ornamenta *disponerentur*, juxta illud Heliodori: Τὰ μεγάλα τῶν πραγμάτων μεγάλων δεῖται τῆς κατασκευῶν. Quippe magnificentia pomposa Triumphis publicis paranda erat res longè majoris molimenti quàm apparatus talium hominum Venerearum privatus, de qualibus conscribit Comicus: *Dum moliuntur*, *dum comuntur*, *annus est*. Est autem omni renatæ animæ nihil majori decori quàm sanctæ salutis vestimenta & ornamenta cum tali sigillo sigillorum, de quali perscribit Ambrosius lib. de Isaac & anima c. 8. *Signaculum Christus in fronte est*, *signaculum in corde*, *signaculum in brachio.* In fronte, *ut semper confiteamur*; in corde, *ut semper diligamus*; in brachio, *ut semper operemur.* Namque invictos

prius

prius Hannibalis milites, labor ad *Cannas* fecit, ut vincerent; ocium ad *Capuam* fregit, ut vincerentur.

§. 14. Tum multitudo ministrorum *baculos manibus gestantium ex medio dimovebant turbas, & vias apertas, ac sine impedimento plebis præstabant.* Præstat namque periculosum populi curiosi & quasi furiosi impetum aberceri quàm indulgeri, ut alter alterum ex inopinato enecet, aut Triumphum interpellet, ob illud ICtorum ad l. fin. in quib. caus. restit. in integr. *Longè gloriosius est Magistratui, intacta Jura servare quàm post vulneratam causam remedium quæritare.* Ecclesiæ autem Catholicæ protector est Lapis VII. oculorum cum VII. Pastoribus. Pastores cæterum Ecclesiæ Catholicæ non esse tales Hierarchicos Mundi Magnates, inter quales (ut *Helpidius* Priscus scriptor scribit) *Patria Majestas dominatur, nomina regnant Sanctitatis, Beatitatis, Pietatis, Innocentiæ, Beneficentiæ*; satis apparet vel ex Luc. 10. vers. 4. ubi Christus suis legatis legationem committit sine ullis ambitiosæ ultionis ac avaræ dominationis Instrumentis ac litigiosæ æmulationis fomentis; vel ex illo Lactantii l. 4. c. 3. *Sola Ecclesia Catholica est, quæ verum cultum retinet*; vel ex illo Hieronymi in Psalm. 33. *Ecclesia est, ubi vera fides*; vel ex illo Chrysostomi

in hom. 49. ſuper Matth. *Nullo modo cognoſcitur, quæ ſit vera Eccleſia niſi tantummodò per Scripturas.* Cui ſic ſubſcribit Albertus M. in Luc. 15. *Eccleſia eſt radicata in Scripturis & doctrina Prophetarum.* Prophetarum autem familia nunquam exhorrent tangere ſpinas, ſicubi ſpes affulgeat colligendi roſas, juxta illud Eraſmi Rotterodami: *Qui vitas hominum ita taxat, ut neminem omninò perſtringat nominatim, quæſo, utrum mordere videtur, an docere potius ac monere? Ergo ſi quis extiterit, qui ſe læſum clamabit, is aut Conſcientiam prodet ſuam aut certè Metum. Nec ipſum hominum genus notatur, ſed qui bonorum in genere mali ſunt.* Sunt igitur fortè potius inſani bubonis quàm ſani hominis voces, quas ſuæ Satyræ præmittit Diætetes ille *Anaſtaſius Philaretus* Coſmopolita à Nycticoracibus ad Lectorem: *Vides mentem meam, nullorum hîc vitia conſecramus, nullorum hîc ſcelera amplectimur, ſed quaſi ad pileum Libertatis vocaverimus judicium noſtrum, omnia libramus lupinis utentes pro rauduſculo.* Atenim *Caliſthenes* diſcipulus olim nullus morti violentæ occubuiſſet ob ſuam παῤῥησίαν in Alexandrum III. Regem Macedonum, ſi *Ariſtoteli* præceptori ſic monenti paruiſſet:

Talia, nate, *loquens haud longo tempore vives.*

Vixiſſet autem ſi conſciviſſet illud Hieronymi ad Celant. *Iſto maximè tempore regnat* *Adu-*

Adulatio; quodque est gravissimum, quia Humilitatis ac Benevolentiæ loco ducitur, ita fit ut qui adulari nescit, aut Invidus aut Superbus reputetur. Quicunque igitur hodiè in quavis Aula concupiscunt diu victitare, solent se tali Aulico equitanti plerumque conformare, qualem de se sic confitentem inducit Philippus Lonicerus:

Splendida me Regum fovet Aula, negocia cautè
Pro nutu subeo Principis usque mei.
Cui fidam video, Regis *mihi* Gratia *cordi est,*
Dissimulo, indignor; rideo, palpo, jocor.
Aucupor hac *certum mihi Principis* Arte *favorem,*
Eludoque iras, Invida Turba, *tuas.*
Spumantique feror campi per aperta caballo;
Sedulus & Regis jussa capesso mei.

Quippe quovis notorio notius est priscum illud Teutonicorum Politicorum expertorum adagium: Wer da will eines Grossen Herren Freundt seyn/ der muß entweder sein Esel oder sein Narr werden.

§. 15. Hinc Pompæ initium *vel à porta Capena, quæ Triumphis vehendis commoda erat, vel ab ea, quâ Triumphans ingressurus esset, inchoabatur.* Inchoant quidem multi Christianam militiam fervidè, sed continuant tepidè & consummant tam frigidè, ut subdubites, num olim cum cæteris Resurrectio-

ctionis Primæ Candidatis in *Triumphalem* cæleſtis Hieroſolymæ *portam* à Chriſto archiſtratego *ſtratam*, ut eloquitur *Tertullianus*, ingreſſuri ſint in æterna paradiſiacæ vitæ gaudia.

§. 16. *Primo enim univerſus Senatus Capitolium verſus præibat*, innuens; Imperatorem in prælio victricibus ſuis facinoribus ſe Triumphalibus tantæ Majeſtatis præviæ inſulis dignum reddidiſſe, de quantis ex l. un. pr. C. de Juſtinian. Cod. conf. jamdudum innoteſcit; quod *felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus omnibuſque dominari gentibus meruit*. Sic namque Imp. Juſtiniano à ſuis fuiſſe perſuaſum credas, juxta illud Poëtæ:

Gentibus eſt aliis Tellus data limite certo,
Romanæ ſpacium eſt Vrbis & Orbis idem.

§. 17. Poſt Senatum *Tubicines cum Tubis claſſicum ſonantibus, ſertiſque redimiti currus ſpoliis refertos præcedebant, quibus Tabulæ eburneæ & æreæ, Coloſſus, ſigna, & ligneæ turres, & captarum Urbium, caſtellorum, montium, fluminum, paludum, marium, & omnium denique, quæ capta erant ſimulachra, vehebantur, ſcripturis, imaginibuſque*; juxta illud Appiani: *Turres prætervehuntur, ſimulachra captarum urbium, & picturæ, & ſpecies eorum quæ geſta ſunt*. Ut nimirum compendioſiſſimis hermoglyphorum & pictorum artificiis, qui-

quibus apud Quirites magnus habebatur honos, uno posset repræsentari & collustrari die domi, quæcunque multis nonnunquam annis Imperator conspexerat & peregerat belli, secundum illud Nasonis:

Ergo omnis populus poterit spectare Triumphos,
Cumque DUCUM *titulis* OPPIDA *capta leget.*

Quid? quod jucunda & suavis actorum laborum & passorum malorum recordatio, istiusmodi Triumphatu, Triumphatori reddebatur, juxta illud vatis:

——— —— *Hæc olim meminisse juvabit.*

„§. 18. Item *Coronæ, quas virtutis ergò* „*Vrbes, aut socii aut exercitus Vrbi parentes,* „*militibus dedißent, aureæ & argenteæ, vel ex* „*alia materia adducebantur.* Adductus quippe Romanus populus in eam opinionem erat, quod sui ipsorum protavi non incassum, sed summa cum ratione Coronas instituissent & credidissent, *Victoriam* virginem ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς ἀναφανῆναι, prout loquitur Platonicus ille Judæus Philo lib. de opificio Mundi pag. 22. Huc spectat non tantum quod de *Alexandro* M. refert Athenæus l. 12. *Post victum Darium mißas coronas partim à legatis gentium, aliisque æstimatas* CIↃ IↃ *Talentis*; verùm etiam quod tam de *Paulo Æmylio Macedonico* refert Johannes Servilius lib. 3. de Splend.

Ro-

Roman. Triumph. fol. 141. *Aureas coronas ad quadringentas, quas* ob virtutem *à Græciæ civitatibus adceperat*, *Romani obstupuere*; quàm de *Gnejo Manlio*, cum Gallogræcos bello devicisset, metuque Asiam vindicâsset, commemorat Livius lib. 28. *Missæ undique legationes non gratulatum modò venerunt, sed coronas etiam aureas pro suis quisque facultatibus attulerunt.* Allaturus operæ pretium videbor, si in gratiam plerorumque φιλομαθῶν adscripsero de *Chlodoveo* seu *Ludovico I.* Galliarum Rege Christianissimo, quod ipsi (postea quam *Visigothos* pertinacissimos hæreseos Arianæ defensores, suscepto bello commissoque in Pictonibus prælio vicerat, Regemque eorum *Alaricum* manu suâ interfecerat; atque non ita multò post haud procul Burdigala reliquias eorum confecerat in illo Victoriæ Pedio, quod ex eo etiam hodie *Campus Arianus* vocatur) ob id factum *Anastasius* Orientis Imperator, honoris causâ, tunicam blatteam seu, ut nunc loquuntur, purpuream misit, simulque coronam auream magni ponderis, admirabili opere perfectam, multis ingentis precii gemmis unionibusque collucentem: atque tum per legatos non *Consulem* modo ac *Patritium*, sed *Defensorem Christiani Nominis*, sed *Liberatorem Imperii*, sed *Generis Humani Patrem* vocavit:

Feli-

Felicem prædicans ; *cujus potissimum manu Providentia Divina illos Vrbis Romæ eversores, Provinciarum vastatores, Dei hominumque hostes cadere voluisset.* Ille, ut Principem verè magnanimum decuit, munera quidem Imperatoris illius memoratissimi cætera non repudiavit, sed coronam illam laudatam augustius quiddam & magnificentius esse duxit, quàm ut cuiquam mortalium conveniret. Ut igitur res sacrario digna non humano usui, sed divino cultui addiceretur, illam summa cum veneratione, in templum Lateranense missam illi animoso ac bellicoso piscatori Apostolo consecravit, qui *Malcho* auriculam amputavit. Amputavit autem eâ tempestate, quâ fulgentissimus ille Jesuitarum Fulgentius & Ardentius *Drexelius* nondum vixit neque carnali suorum zelo dixit §. 1. Joseph Ægypt. Proreg. c. 16. pag. 536. ,, *Videte*, ,, *obsecro*, Novum Injuriæ Vindicandæ ,, Modum, *Largissimum Benefaciendi Animum.* ,, Quem *Augustinus suspiciens*: Odium fra- ,, trum, *inquit*, charitatis lachrymis abluebat. *Sed objicias*: Non iste semper est o- ,, diorum & injuriarum exitus. *Est sanè, mo-* ,, *dò nos simus Josephi, vindices injuriarum tam* ,, *blandi.* Non *deerit, in Orbe certè altero, Mer-* ,, *ces amplissima*, Tolerantiæ *promissa. Sed* ,, *hæc plerumque* languidissimè *credimus. Hinc*

,, Præ-

„ Præmii Tempus *non exſpectamus*, *ſed præci-*
„ *pites ruimus ad Injurias vindicandas. Si ſapi-*
„ *mus*, more rituque Joſephiano *nos vindi-*
„ *cabimus*; *Oblivione*, *Silentio*, *Suſpiriis*, *Blan-*
„ *dimentis*, *Lacrymis*, *Amplexibus*, *Beneficiis*.
„ Ibidemque §. 2. *Generoſitatis Chriſtianæ cul-*
„ *men eſt*, *Injurias oblivisci*, *Inimicis benefacere*.
„ *Hoc ſuis è Cathedra explicavit Conſtantinopoli*
„ Gregorius Nazianzenus. *Nam Catholicis*
„ Valente *Imperatore Arriano miſerè vexatis &*
„ *oppreſſis*, Theodoſius *ſucceſſit*, *qui reſtituit*
„ *rem*, *moderatè ac ſanctè imperando. Catholici*
„ *cum ſibi viderentur reſpirare*, *ac ſuperiores jam*
„ *eſſe hoſtibus*, *par pari reddendum cenſuerunt*,
„ *& Arrianos non minus affligendos. Hic* Gre-
„ gorius *pro ſuggeſtu* : Non hæc talia, *inquit*,
„ à nobis Chriſtus poſcit, nec Euangelium
„ iſta nos docet. Mites animis eſtote, filii.
„ Cujus animus lenis ac tolerans eſt, is
„ Prudentiâ valet. Præſtate illis beneficia,
„ qui vos odio proſequuntur. Quod ſi ani-
„ mus in vindictam æſtuet, & manus pru-
„ riant in adverſæ partis ſubitam ruinam,
„ nec ira frenos ferat, vindicationem
„ omnem obſecro, Chriſto ejuſque tribu-
„ nali permittite. Mea enim Ultio, *ait*
„ *Dominus*, & ego retribuam. *Hæc exhorta-*
„ *tio* Gregorii. *Eundem indutus animum Turo-*
„ *nenſis præſul Martinus* Brictium *presbyterum*
„ *calumniatorem officio movere noluit*, *etſi potue-*
„ *rit*,

„*rit, optima ratione hac uſus*: Si Chriſtus
„ paſſus eſt Judam, cur ego non Brictium?
„*Ita & nos ratiocinemur*: Si Chriſtus tulit
„ Iſcrarioten proditorem, cur ego non fe-
„ ram Achatium, Tiburtium, Titium, Ser-
„ vatium, inimicos & calumniatores meos?
„*Logica hæc Chriſtiana, Syllogiſmus optimus eſt.*
Eſt igitur à pleriſque Jeſuitis reliquiſque Papalibus animalibus rationalibus quæ *naſo plus vident quàm oculis*, nemini imputandum niſi depudendæ ſuæ ipſorum ignaviæ, quod ipſos Eccleſia Orthodoxorum Proteſtans nolint habere numero *Catholicorum.* Quia jamdudum & ſcholas & Academias & baſilicas frequentant, & verò tamen talem Syllogiſmum Logicæ Chriſtianæ optimum nondum in vita Practica formant, ſed plerumque talem Paralogiſmum Dialecticæ Antichriſtianæ peſſimum fabricant, cujus Sophiſtica concluſio eſt Tyrannica ſanguinis humani effuſio. O cæcam ignaviam! O ignavam cæcitatem! Cæcitate namque ipſâ cæcior eſt, qui ſibi verſuto nequam prævaricatori pollicetur impunitatem exlegem omnem ob longanimitatem divinam. Divina equidem Vindicta interdum cunctatur, ſed nunquam ſoporatur neu enecatur. Quippe uſque eò Immortales videntur eſſe *Ibyci grues*, ut ſerius ocius quævis occulta maleficia inveniant ſua ſuppli-
pli-

plicia & quævis absconditæ virtutes sua præmia. Beatus itaque, qui dissentiendo à malignis consiliariorum sanguinariorum & pestiferorum machinamentis se conservat integrum atque immaculatum. Beatiores autem, qui interea temporis vel iniquissima quæque in Christiano Innocentiæ stadio ac studio subeunt ac perferunt. Et Veritas enim Temporis filia tandem occultum suo judice quodque die ad publicum solis tribunal ita adducit, ut quicunque ex manipulo nebulonum vel heri vel hodie non pereunt naufragio, vel incendio, vel carnificis officio, vel Martis gladio, absorbeantur vel cras, vel aliàs ab Orco, juxta illud Christi: *Nihil opertum, quod non aperiatur, neque ignotum, quod non aliquando sciatur*; modò nos possimus suum cuique cuniculorum detegendo destinatum tempus præstolari & interim illos Philosophos Christanos æmulari, qui faciunt, quod sic dicunt: *Tegendi sunt aliorum, etiam hostium, nævi.* Nævis enim minimis urgetur, in quo tantam conspicias benignitatem, ut pro odio reddat charitatem, læsus parcat, impetitus ignoscat, gratiam pro contumelia solvat & injuriam beneficentiâ referat. Hinc modestia Oecolampadii lib. 2. commentar. in Daniel. 7. §. 8. fol. 85. ad excusandum paucissimos quosque

que Pontifices Romanensium animarum Maximos sic scribit: *Ne succenseant, oro, Innocentes. Nam sicut antea dixi de Regibus X. quod in Bestia illa truculentissima* Christianè *viventes Principes non comprehenderim, ita etiam nunc nullum* privatim *taxârim. Fieri potest, Julii & Alexandri & Gregorii Romani Pontifices non ita Deo displicuerint; Deus enim illorum Judex est: Atqui illis præsidentibus mala admissa sunt innumera, quæ ipsissimo Antichristo digna sunt, & in ipsorum caput redundant.* Quippe *Lunam in suo horoscopo* (ut Mathematicis *Firmici* de fatuo vocibus abutar) *gerit*, qui inter scribendum adversus ignavos Ecclesiastici ac Scholastici apiarii fucos nullus auscultat primum illum Argentoratensis Academiæ Rectorem D. *Johannem Sturmium* sic eloquentem: *Ignavia est ingeniosa sui patrona.* Tantum pro malè habentibus. Habentibus enim benè ego nihil præscripsero, ob illud *Celsi* Archiatri lib. I. c. I. *Sanus homo, qui & benè valet, & suæ spontis est, nullis obligare se Legibus debet, ac neque Medico neque Iatraleptâ egere.*

§. 19. *Sequebantur* post hæc *pulcherrima & ornatissima gentium victarum arma, multis curribus lata, ære ferroque absterso & polito splendentia, atque ita disposita, ut casu maximè sic cecidisse viderentur.* Quæ enim cunque soli Divinæ Providentiæ debent Christiani,

cæci

cæci cæcæ ſuæ Fortunæ accepta referebant Romani, juxta ſuum ipſorum adagium: *Fors Domina Campi.* Longè ſanioris fuit fidei lumine illuminatus *Conſtantinus Magnus* Imperator, utpote de quo poſt reportatam ex Maxentio victoriam ſic ſcribit Euſebius Cæſarienſis l. 9. hiſt. Eccl. c. 9. *Neque ſuæ Virtuti rem geſtam, ſed Divino Muneri reputabat.*

§. 20. Erant autem *galeæ, ſcuta, thoraces, ocreæ Cretenſes, peltæ Thraciæ & Celtæ, pharetræque, equorum frena, enſes nudi & gladii, ſagittæ infixæ acuſque, pila, ſariſſæ, & cætera ejuſmodi miſſilia, ita ut nec Victorum quidem abſque metu eſſet adſpectus.* Adſpectus quippe terrificus non ſemel parit altam imaginationem, imaginatio perturbationem, perturbatio denique tantam ferè vociferationem, quanta ſub terribili illo Apocalyptico Sigillo ſexto aperto ſic deſcribitur: *Omnes montes & inſulæ è ſuis locis emotæ ſunt; & Reges terræ & Optimates, & Divites, & Tribuni, & Potentes, omneſque tum ſervi, tum ingenui occultârunt ſe in ſpeluncis & in petris montium, & dixerunt montibus & petris: Concidendo in nos, occulite nos à conſpectu inſidentis Throno & ab Agni ira. Et venit enim dies ille illius Iræ magnus, & quis poterit ſtare?* Stare autem poterit omnis perſeveranter ſectans & calcans veſtigia Agni, juxta illud Cypriani: *Nullus iis*

dolor

dolor eſt de incurſatione malorum præſentium, quibus fiducia eſt bonorum futurorum. Futurorum quidem omnium formidabiliſſimum videtur eſſe lethum; ſed quicunque in ſua vita ſub imperatoriis prævii Agni crucigeri ſignis perbenè pugnabit, facilè in ſua morte triumphabit. Triumphare autem nemo poterit, niſi cujus frons obſignata ſignaculo Dei vivi æterno fuerit. Apoc. 7. ℣. 3.

„ §. 21. *Poſt armorum currus aliquot virorum* „ *millia ſequebantur, qui in vaſis argenteis no-* „ *miſmata ferebant aurea argenteaque*, juxta illud Dionyſii Halicarnaſſei: Τὰ μεγάλα ἔργα μεγάλων ἀπὸ κινδυνών ὠνέμεθα. Quippe *præclarius eſt pecuniâ quàm armis bene uti*, teſte Plutarcho in Coriolano, juxta illud Ciceronis: *Pecuniæ uſus duplex eſt, alius ad ſumptus neceſſarios, alius ad ſumptus liberales.* Hinc Pecuniam non tantum Imp. *Fl. Veſpaſianus* appellavit *nervos Principatus*, Paulus Æmylius *vires nervoſque rerum*, Paulus Jovius poſt Appianum *bellorum nervos paciſque ſubſidia*, & Timotheus *mortalium ſanguinem atque animam*; ſed Venuſinus etiam vates illam ſic cantavit.

— *Uxorem cum dote fidemque & amicos*
Et genus & formam Regina PECUNIA
donat.

Donat autem ita ſemetipſum ſuis ſe Philoſophis Chriſtianis Deus, ut poſſint ſanctè

gloriari. *Nemo omnium eſt opulentior nobis. Noſtrum enim aurum lectiſſimum ipſe Omnipotens eſt Deus*, ex Job. 22. ℣. 25. Valeat itaque Mundus ille Mammonicus, cujus inexplebile ingenium hoc diagrammate expreſſit Plinius Junior: *Ea invaſit homines habendi cupido, ut poſſideri magis quàm poſſidere videantur.* Sit igitur Dominus *Denarius* Mareſchallus Campi tantus, ut ferè ſolus belligeret, ſuperet, triumphet; reperias tamen rarò raros nonnuſquam tales Philoſophos, quales malunt eſſe ריק Hebraicè quàm **Rijck** Belgicè, juxta illud Comici Græci: *Πενίαν φέρειν ȣ̓ παντὸς, ἀλλ' ἀνδρὸς σοφȣ̃.* Nolim referre quicquam de *Socrate*, *Ariſtide*, *Phocione*, *Michaële Palæologo* Imp. & *Vladiſlao II.* Hungariæ Rege; malim adſcribere illud Claudiani:

Pauper erat Curius, Reges cum vinceret armis:
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum ſperneret aurum:
Sordida Serranus flexit Dictator aratra.

„ §. 22. *Alii verò Crateras, phialas aureas,* „ *caliceſque ornatiſſimos, & magnos certo ordine* „ *ferebant.* Quibus oſtendebant; inter cæteros fructus Martis triſtis dari ſympoſia *Liberi Patris* exhilarantia. Pauciſſimi namque Ethnicorum conſciebant & credebant; *Pietatem & Sobrietatem ſolas eſſe ſaluberrimas illas radices, quibus mortales reddun-*

tur

tur vel corvis ipsis vivaciores. Quò referas illud Loniceri de Temperantia sic de se eloquente:

Me moderata juvat Potusque Cibique Voluptas,
Nectare sic felix Ambrosiaque fruor.
Sic puri Virtus Animi super æthera scandit,
Sic mens in vegeto corpore sana viget.
Nil in Me Ceres, *nil luxuriantis* Iacchi
Pocula, nil Veneris *basia juris habent.*
Haud molli patior fœdari membra veterno,
Casta mihi præbet gaudia Melpomene.

Interea loci verò, meâ pace, quicunque voluerit, Bacchum thyrsigerum sic salutatum abeat:

Salve magne Puer, proles Semeleïa, donis
Terrigenasque tuis cælicolasque beas.
Es robur juveni, senibus vigor, anxia curis
Corda levas, cunctis es Medicina malis.
Felix ille, tuis qui cum ratione scit uti,
Quæ cornu fundis divite, muneribus.
Illis, heu miserum, qui non exhorret abuti,
Hunc miserè extinctum sæva procella rapit.

§. 23. Postea *alii Tibicines aderant non mite aut suave, sed bellicum præcinentes.* Verùm quid facias? *Ut homo est, ita morem geras*, sedulò pro suâ sapientiâ non nemo apud Terentium monet. Excusandus igitur potius fuerat Themistocles, Musicæ castrensi assuetus, quàm indoctior reputandus, posteaquam lyram togatam recusasset. Sunt

qui opinantur, quod decrepitus ille ruſticus *Mars* cum vetula illa ſua concubina *Bellona Sanguiſuga* nunquam voluptate ſaltandi effuſiore titillatur, quàm ſicubi agreſti utriuſque faſtui *Apollo* urbanus cum ſua cognata *Pallade* & cunctis *Muſis* præcinunt. Triumphet itaque triumphale illud Eraſmi Roterodami effatum : *Nihil eſt Regno ſimilius quàm agere ludi literarii magiſtrum.* Magiſtrum autem ludi literarii idoneum qui nunquam habuit, nunquam Imperator, Rex, Princeps aut Magiſtratus idoneus evaſit, ſed tam ἀναλφάβητος permanſit, ut nunquam condidicerit illud Cyri apud Plutarchum : ἄρχειν μηδενὶ προσήκει, ὃς οὐδὲ κρείττων ἐστὶ τῶν ἀρχομένων. Hoc eſt : *Nemo Magiſtratu dignus eſt, qui non ſit melior ſuis ſubditis.* Subditis verò ſuis permultis melior cenſetur fuiſſe glorioſiſſimus ille Arragonum Rex *Alphonſus*, qui præter cætera egregia ac regia literatis armatos poſthabebat & ferulæ ſcholaſticæ acceptum ferebat, quod ſceptrum regium dignè gerere poſſet. Poſſet quoq; hîc de *Triumpho Pennæ Scholaſticæ* (quæ jamdudum Marti ſacrilego ita cedit in manubias, ut vel indigniſſimus quiſque militiæ eques ac pedes plumatili ſuperbiat pileo, qui non niſi ſymbolicum ſolius Juventutis ſcholaſticæ ornamentum Regale eſſe debebat) aliquanto uberius ediſſeri,

ſeri, niſi jamdudum innoteſceret triumphalis illa vox *Henrici IV.* Galliarum Regis nunquam ſatis laudati: *Je prens mes meilleurs Soldats de l' eſcritoire.* Enimverò, ut verè cecinit Poëta,

Nullæ divitiæ, non ulla potentia Reges,
Sola immortales reddere penna poteſt.

Poteſt Roma antiqua jactare, quod *Publius Scipio Æmylianus* ſuus *in vita ſua nihil niſi laudandum aut fecit, aut dixit, aut ſenſit.* Poteſt Mantua triumphare teſtimonio Macrobii de Virgilio: *Hæc eſt divini illius viri gloria, ut nullius laudibus creſcat, nullius vituperatione minuatur.* Poteſt hodierna Britannia ſibi hac mutuâ gloriatione non ſine ratione prægnante congratulari; *Suo reſtituto Regi Carolo II. magnificentiorem deberi Triumphum quàm digniſſimo cuique antiquæ Romæ triumphatricis Triumphatori.* Poteſt inclyta natio Belgica præter cætera honorificè gloriari, inter familias ſuas præcipuas *Waſſenarios* haberi *Antiquiſſimos*, *Brederodios* eſſe *Nobiliſſimos*, *Egmondanos* cenſeri *Ditiſſimos*: Imperator autẽ *Bonoſus* è Britannia antiqua oriundus olim non niſi hoc unum jactare conſciebat; *Se eſſe ludimoderatoris filium.* Filio autem ſuo pater ille optimè omnium conſulit, qui hac Conſtantiâ invigilat ut ipſi idoneum præceptorem præficiat, à quo ipſius animo imagines ſcientiarũ virtutum-

que præcellentiſſimæ quæque imprimantur. *In quovis enim propoſito, Rem vehementer affectare, imaginari, ſperare, & quaſi certam ſibi poponere, plurimum habet ad bonum eventum adjumenti*, teſte *Comenio* in ſuo Fortunæ fabro n. 22. pag. 24. Illis verò parentibus (qui liberis ſuis præficiunt tales pædagogos inidoneos, quales ICtus Schoppius appellat *aſinos*) occinas illud Cratetis Thebani ad Athenienſes: *Quò ruitis, cives, qui omni quidem collato ſtudio pecunias corraditis, ſed interim unum maximè neceſſarium negligitis, dum nullam ſaturam liberorum veſtrorum curam ſuſcipitis?* Suſcipit quippe ſchola Muſarũ candidarũ aperta quoſvis omnis ætatis, ſexus ac ordinis homines. Homo enim omnis non niſi talis perpetuus, ad tumulum ſuum uſque, manet diſcipulus ut etiamſi vel Methuſalemum vivendo vel Salomonem ſapiendo vinceret, in ſingulos tamen dies ex bibliotheca ſua reſponderet: *Hîc ego inter pia mortuorum Doctorum crania ac coria* jucundè *ocii fugitans deſideo, atque etiamnum addiſco, quanquam jamdudum pedem dextrum in ſepulchrum impono*, annos Æternitatis utriuſque *penſito*, *&* Moſi *exclamanti auſculto*: *Sunt gens conſiliis perdita, & nulla eſt in eis intelligentia.* Utinam ſaperent, & intelligerent iſta, atque animum adverterent ad finem ſuum *Deut.* 32. ℣. 29. 30. juxta illud *Bonaventuræ*, in opuſcu-

ſculo de Contemptu Seculi, ſic ruminantis & inculcantis laudatas laudandi Moſis voces: *O gens ſine conſilio & ſine prudentia! Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Saperent *damnatorum multitudinem, ſalvandorum paucitatem, & temporalium rerum vanitatem.* Intelligerent *peccatorum multitudinem, bonorum omiſſionem, & temporis amiſſionem.* Providerent *Mortis periculum, extremum judicium & æternum ſupplicium.* Supplicii autem æterni evitandi via commonſtratur præter cætera præclara plura in Chriſtianis ſcholis. Scholæ enim Chriſtianæ Chriſtianis Eccleſiis & Rebuſp. ſunt ſeminarium ſanctorum Triumphorum talium, è qualibus varias *Pietatis* ac *Juſtitiæ* & *Sapientiæ* laureas depromas. Quapropter Magiſtratus Philoſophum (qui cælo duxit Spiritum dextrè inſtituendi Juventutem) ſic interpellet evocatum ad alia honorificentiora è deſpicabili pulvere ſcholaſtico: *Mane nobiſcum quæſumus, optime Virorum. Namque nullum profectò majus meliuſve offerre Reip. munus poteris, quàm ſi doceas atque erudias Juventutem, his præſertim exulceratiſſimis temporibus ac moribus, quibus illa cerea ætas ita prolapſa ac deformata eſt, ut contentiſſimis omnium opibus refrenanda ac reformanda ſit, ne aut mores omninò omnes diſſolutè fluant, aut mentes juveniles variis errorum pravitatibus obſtrictæ fœdè exta-*

tabescant. Tu itaque nolis temerè expertum vitæ genus cum inexperto commutare, neu ob illud Arriani Philosophi te excarnificare : Σχολαστικόν σε δεῖ γενέσθαι, τοῦτο τὸ ζῶον, οὗ πάντες καταγελῶσιν, *sed malis præsentem functionem tuam quibusvis Attalicis conditionibus longè præferre & illud Christiani Poëtæ ruminare* :

Si qua sede sedes, & est tibi commoda sedes,
Ista sede sede, nec ab ista sede recede.

Recedente autem à nobis Te, *propediem splendor literarum ortus ita obsolescet, ut metus sit desore olim Rebusp. Numina, Ecclesiis Lumina, Oeconomiis Columina. Sed enim* meliora *nobis de Te* Philosopho quadrato *pollicemur quàm ut nescias* Jehovâ & isthac sorte tua Leviticâ contentus persistere, *infrunitum vulgi dicaculi contemtum contemnere & ex asse dissimilis illis avaris amicis* προσκαίροις *evadere de quibus sic scripsit Isidorus* : Non sunt fideles, quos manus, non gratia copulat; nam citò deserunt, nisi semper accipiant. *Sat itaque hîc beatus eris, si fueris comitibus ac satellitibus talibus benevolis condecoratus, quales prudenter internoscunt*; Quantum sit momenti in nauclero ad navem vel regendam consilio, vel evertendam socordiâ; in pastore ad gregem vel continendum vigilantiâ, vel dissipandum somnolentiâ; in capite vel nficiendum corpus contagione, vel vegetan-

tandum integritate; in electo scholæ Rege ad populum scholasticum vel pravitate corrumpendum, vel exemplo tenendum, certisque literatæ prudentiæ ac virtutis limitibus coërcendum.

„§.24. *Post hos Quinquaginta aut Centum aut „plures vel pauciores boves juxta triumphantis opes „cornibus auratis, infulis & sertis ab adolescenti-„bus popis succinctis ad immolandum ducebantur.* Enimverò Capite Bovino corymbis redimito Triumphatorem symbolicè condocefaciebant philosophantes Romani; Uberrimos gloriæ immortalis fructus non nisi ex improbo labore ac multo sudore feliciter provenire, ut notant Notarum scriptores ad illud Nasonis:

Quid meruere boves, animal sine fraude doloque
Innocuum, simplex, natum tolerare labores.

Et ad illud Maronis:

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.

Et ad Act. 14. vers. 13. ubi Ethnicus Jovis Lystrensis sacerdos cum turba oppidana præsumunt *tauros vittatos* immolare *Barnabæ* tanquam Jovi & *Paulo* tanquam Mercurio. Supersedeo adscribere, quod inter Angelica illa cœli animalia à Propheta Ezechiele 1. vers. 10. visa videtur ad Cherubinicum Triumphatricis Divinæ Providentiæ Currum *facies bovis.*

„ §. 25. Omnes autem *Triumphorum mi-„ nistri sericis purpureisque, & auro intertextis ve-„ stibus induti erant.* Equidem tam prodigialiter variabilem inconstantiæ humanæ cultum à capite ad calcem procul locorum, temporum, fortunarum ac personarum ratione mutari videas, ut hodiè Germanum, Hispanum, Britannum, Scotum, Suecum & Danum internoscere ex habitu nescias: Veruntamen vestes Triumphales Triumphum decent. Videtur quippe Deus murices ac bombyces in usum talium Euergetarum magnificorum condidisse, quales *pro Lege & Grege* ad sanguinem usque pugnare audent, prout apparet è notis gravium autorum ad *Palæphatum.*

„ §. 26. Posthæc *captorum Ducum & Re-„ gum currus, arma, diademata, super armis im-„ posita vehebantur,* juxta illud Pomponii Læti: *Ferculis apud Veteres ferebantur spolia cæsorum hostium. Postquam arma Romana longius provecta vicere, fabricata fuere cum signis & monimentis Victoriæ, quæ possent manibus militum ferri. Inferebantur fere omnes Triumphi via Appia, porta Capena. Ea enim via ampla &* VIII. *mill. pass. ab Urbe frequens ab utroque latere habitata, & inde* in Capitolium *rectum & amplum iter. In quo ligneì primùm continuique Arcus, pòst marmorei columnis suffulti.* Mundus namque ostentator ostentationibus pomposis gau-

gaudet. Enimverò nihil ferè victori tam gloriosum est, quàm devictorũ hostiũ impedimenta, carpenta, armamenta & ornamenta triumphare. Hinc summus ille portarum Tartarearum Victor ac Triumphator Christus sanctè gloriatur: *Ego habeo Claves Inferni ac Mortis*. Ap. 1. ℣. 18. Quippe *per Traditionem Clavium* se hostis angustatus fatetur victum victoris Domini servum.

„§. 27. *Deinde hostium Reges seu Duces cum „ filiis, fratribus & sororibus, omnibusque si qui „ essent, familiaribus veniebant lachrymantes, ca-„ sumque captivitatis dolentes.* Dolorem quippe tantum ingenuit ingeniis plerisque ambitiosis præmeditata Triumphalis ignominia, ut maluerint αὐτόχειρες sibi mortem accelerare, quàm immortale Triumphalis diei ludibrium exspectare. Publico namque Triumphi spectaculo Duci victo à Duce Victore tacitè exprobrabatur ignavia pariter atque impotentia, quod non maluisset in prælio vel animosè vincere vel gloriosè cadere, quàm ignominiosè vinci atque ita despectissimum ex homine liberrimo mancipium fieri, juxta illud Poëtæ in honorem Triumphatoris:

Vincula captivos Reges cervice gerentes
Ante coronatos ire videbit equos.

Ita enim de *Andrisco* in Urbem catenis ducto quasi de novo Rege populus Romanus

triumphavit. Ita laudatus *Paulus Æmylius Macedonicus* ante quadrijugum ſuum currum Triumphalem, quo vehebatur, *Perſeum* Philippi Macedonum Regis filium olim vinctum egit, poſteaquam captivus ad Victoris inexorabilis pedes ſeſe provolverat eidemque emiſſis non paucis vocibus degeneribus ſupplicaverat, ut ante Triumphatoris currum ne duceretur. Ita *Diocletianus* Imp. de Perſis (prout infra c.26. verbóſius enarrabitur) ſic triumphavit, ut non tantum militares ipſorum præfectos & ſatrapas nobiles, ſed ipſum etiam Regem *Narſen* cum uxore, ſororibus & liberis ante currum duceret, & gazam opulentiſſimam præferret. Ita denique Victor *Aurelianus* Imperator invehebatur curru Triumphali cervis quatuor juncto, captivam ducens *Zenobiam* Palmyrenorum Reginam bellatricem cum liberis. Cæterum *Democritus* Ætolorum Dux nolebat à *M. Acilio* victore victus in Triumpho duci, ſed paucos ante dies cum è carcere noctu effugiſſet, in ripa Tiberis conſecutis cuſtodibus, priuſquam comprehenderetur, gladio ſe transfigebat, ut atteſtatur Livius lib.7. dec. 4. Neque etiam *Antonius* Triumvir cum ſua, quam deperibat, libidinosâ Ægyptiorum Regina *Cleopatra* ex ſeſe à Cæſare victore Triumphum agi indul-

dulſerunt, ſed utrique ſibi prius mortem conſciſcere maluerunt, quàm in ipſius manus victrices pervenire potuerunt. Ita enim de illis parentandis perorat Florus l. 4. c. 11. *Prior ferrum occupavit Antonius. Regina ad pedes Cæſaris provoluta tentavit oculos Ducis: ſed fruſtra. Nam pulchritudo intra pudicitiam Principis fuit. Nec illa de vita, quæ offerebatur, ſed de parte Regni laborabat. Quod ubi deſperavit à Principe, ſervarique ſe Triumpho vidit, incautiorem nacta cuſtodiam in Mauſoleum ſe (ſepulchra Regum ſic vocant) recepit. ubi maximos, ut ſolebat, induta cultus, in differto odoribus ſolio, juxta ſuum ſe collocavit Antonium; admotiſque ad venas ſerpentibus, quaſi ſomno ſoluta eſt.* Eſt itaque beatus ille reſipiſcendi ſtudioſus, qui jam ſic præcavet cautus, ut magno illo Judicii Noviſſimi die inter illos hoſtes hircum Avaritiæ, Superbiæ, Luxuriæ, Impatientiæ, Diffidentiæ & Invidentiæ olentes ne cogatur à ſiniſtris ſtare, quos Chriſtus propediem reverſurus eſt triumphare & à ſe Judice Juſtiſſimo abjudicatos in æternos illos Tormentorum infernalium carceres ablegare, ubi erit crepitus dentium & fletus flentium. Flentium namque mulierum ſimiles reddi illos in infernali gehenna, *qui nolebant talium fortium virorum ſimiles evadere in militante Eccleſia, qualium quiſque Mundum, Diabolum &*

ſemetipſum oppugnabat, ſuperabat, triumphabat; dignum & juſtum eſt.

„§. 28. *Poſt hæc multa hoſtium millia manibus „pone tergum revinctis deducebantur, qui ex omni- „bus hoſtium exercitibus captis pulchriores & ele- „gantiores, vaſtioreque & proceriore corpore ſelecti „fuerant, atque ad Triumphum exornandum reſer- vati.* Suum quippe Victor augebat augu- ſtiſſimum decus decore decororum man- cipiorum triumphandorum triumphato- rumque. Hinc ſic ſcribit *Aringhus* ſubter- ran. Rom. tom. 2. lib. 6. cap. 50. num. 5. *In perpetuæ quidem tum notam, tum monimen- tum contumeliæ, captivi Reges ac populi pariter marmoribus adhuc affixi ſuſpiciuntur, ibidemque ipſa temporum vetuſtas, quæ cuncta tandem abo- lere conſuevit, etſi de ipſiſmet victis, nullatenus tamen de Victoribus ex more triumphat. Trium- phales quippe iſti lapides, qui nunc viſuntur, vi- rentes adhuc Victoribus palmas, & victis contu- meliam portendere ac deſignare videntur. Qua- propter ut Triumphus magis conſpicuus eſſet, vi- ctorumque dedecus immortale intuentium oculis planè innoteſceret, captivos in ſublimiori fornicum Triumphalium parte inſculpebant*, quos *Juvena- lis* quondam ſuſpiciens hæc (ut infra cap. XXIV. §. 4. audiemus) cecinit:

——— *Summo triſtis captivus in arcu.*

„§. 29. Sequebatur deinceps *Dux ipſe ſeu „Populi Romani Imperator, aurato curru à quatuor*

„ *albis*

„*albis equis* phaleratis ac coronatis *vectus, toga* „ *purpurea Triumphali auro intertexta amictus, in* „*capite lauream seu auream lapillis gemmisque or-* „ *natam coronam gestans, dexterâ Laurum, sinistrâ* „ *verò eburneum sceptrum tenens*: haud secus ac si Triumphans hic Imperator Imperium cum Jove Panomphæo divisum adeptus fuisset. *Est* autem *absolutum ac perfectum Christianorum ornamentum, si Christi crucifixi similes evadant, dum cum Ipso in hac vita contemnuntur & innocentes patiuntur*, ut inquit Joh. Bernh. Felicianus in 1. Pet. 4. ℣. 13. juxta illud Gregorii: *Nos sine ferro & sanguine Martyres esse possumus, si Patientiam veraciter in animo custodimus.*

„ §. 30. *Imperatoris currum (si Prætor vel* „ *Proprætor fuisset* VI. *si Consul vel Proconsul* „ XII. *si Dictator vel Augustus* XXIV.) Li- „ ctores *cum fascibus & securibus laureatis, pur-* „ *pureis vestibus amicti præcedebant.* Consularibus autem istiusmodi insignibus non tantum innuebatur; Publicam Magistratus iram tam belli quàm domi non debere ratione disciplinæ forensis pariter atque castrensis velificari in præcipiti, sed laudabilem aucupari autoritatem ex cunctatione fascibus æmula; quippe qui non sicâ raptim, sed dextrâ tardâ paulatim, solvi assolent: verum etiam reorum alios esse tam sanabiles, ut facilè virgis gratiæ emendari queant,

ant, alios verò tam inſanabiles, ut non niſi ſecuribus iræ decollari debeant. Quid? quòd increſcentibus delictis, exaſperantur ſupplicia. Utinam autem omnia cujuſvis Chriſtianæ Reip. membra eſſent tam pia ac honeſta, ut multis carceribus, lictoribus, carnificibus, compedibus, equuleis, pegmatibus, culeis, faſcibus, enſibus,trochleis, patibulis, funibus, rotis, ignibus cauteriis,forcipibus, opus non eſſet! Vah immane Chriſtiani populi dedecus! Cæterùm interea temporis (liceat quæſo ita κατ' ἄνθρωπον loqui) malit omnis Apella inexcuſabilis ſe ad innocentiſſimum Chriſti crucifixi Euangelium convertere, quàm ſcandalum accipere, ubi enſiger ille Dei diaconus *Magiſtratus* nullum affectat ſuggerere, ſed ſtudet Eleemoſynas magnas diſtribuere, quotieſcunque præſumit in facinoroſos per viam Juſtitiæ vindicativæ ſanctè animadvertere, prout *Lutherus* conſuevit dicere. Magiſtratus enim nequaquam eſſe Melchizedechicus ſacerdos poſſet, niſi quotidianos pro populo fidei ſuæ commiſſo ſupplicationes & taliter victimas devotas Deo offerret, qualiter perſpecta reatuum variorum quantitas ac qualitas poſcit, juxta illud Xenophontis: *Nihil differentiæ intereſt inter Principem Bonum & Patrem Bonum.* Quapropter ille, qui

qui non tantum gaudet dici, ſed etiam fieri & mori *Pater Patriæ*, in ſuo territorio

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Et doleat, quoties cogitur eſſe ferox.

Ferocem autem ſeu potius *ſeverum* eſſe *Principem*, ex judicio Dionis doctiſſimique Eraſmi Roterodami, *decet in iis, quæ Remp. lædunt, ad privatas verò injurias ignoſcendas eundem oportet eſſe facilem, diſſimulantem, tolerantem, conniventem.* Facilè enim violatur Virgo *Juſtitia*, ubi Princeps ex quibuſvis perperam dictis ac factis facit continuò Crimina læſæ Majeſtatis. Majeſtas autem Imperii non niſi obſequio intercidente intercidit, ut nuper Mundi Magnates Magna Britannia docuit. Hinc qualiter Pontius Pilatus Barrabam juſtificavit & Meſſiam condemnavit in terris, taliter eâdem horâ contra ipſum ſententiam diffinitivam pronunciavit ſummus Prætor in cœlis, cujus Exſequutio quidem differebatur, ſed non auferebatur, juxta adagium gentium: *Serò Jupiter diphtheram inſpexit*, ut præter cæteros in ſe *Parthenopyrgum* tam ob infames famoſi *Husbuſii* Theologi bigas quàm ob vendita *Norinberti* Epiſcopi oſſa non niſi anno cIɔ Iɔ cxxx. conſpexit.

,, §. 31. *Circum currum verò Citharœdorum ,, & tibicinum turba veniebant modulis elegantiſ- ,, ſimis concinentes.* Quippe dignum & juſtum erat,

erat, ut illas aures, quas multa triſtia Martialia transverberarant in prælio, quævis hilaria Muſicalia recrearent in Triumpho. „ *Hi* namque *Muſicorum alumni ſuccincti co-„ roniſque aureis redimiti, ſuo quique ordine „ pſallantes canenteſque prodibant*: Poſt nubila Phœbus &c. &c. &c. Enimverò duos *Pæanas* Ethnici cantare adſolebant; *Unum* ante bellum *Marti*; *alterum* poſt bellum *Apollini*. Quid multa? *Marti* ſæpiculè ſic æmula ſuccenturiat *Minerva*, ut eam ad Equitis illius Aurati *Georgii Gulleri* inſignia inducat hæc eloquentem Lonicerus Poëta:

Nata Jovis cerebro, tædaſque exoſa jugales,
Artes ingenuas Martiaque arma colo.
Caſſide tecta caput, metuendaque Gorgone ſæva,
Nil Marte inferior bella tremenda gero.
Cælica quin etiam noſtrum eſt Sapientia donum,
Divinis homines Artibus illa beat.
Quas demens animi ne fors contemnere tentes,
Exemplo moneat Lyda puella ſuo.

Quod ſi in Eccleſia Militante reperiuntur, qui audent aliquando concinere: *In dulci Jubilo*; quantò magis Eccleſia Triumphans per omnia ſeculorum ſecula inter cætera ἐπινίκια ſeu Triumphalia Canticorum Cantica cantabit *Canticum Moſis & Agni*.

§. 22.

„§. 32. *Horum in medio ſtabat quidam ta-*
„lari veſte, fimbriis ac armillis auro ſplendenti-
„bus amictus, qui geſtus varios edebat, hoſtibuſ-
„que devictis inſultans, riſus undique ciebat, haud ſecus ac ſi nunquã combibiſſet illud Chilonis: ἀτυχοῦντι μὴ ἐπιγέλα. Eccleſia igitur talem ab Apoſtolis morem non accepit, ſed cum flentibus flere condidicit, juxta proverbium Canoneſtarum: *Afflicto afflictio addenda non eſt.* Adeſt tamen propè, quum taliter ſupplantentur omnes Chriſti Victoris ac Triumphatoris hoſtes, qualiter olim Imperator *Joſua* cum ſuis Ducibus calcabant colla VII. Regum. Multæ equidem architectonica pauculis his ſcriptis adſcribi poſſent; ſed cum ego nulla Publicâ Vocationis ſtipendiariæ autoritate ſim armatus, malim calamum ſubſtringere, quàm ἀλλοτριοεπισκοπεῖν & falcem in alienam meſſem immittere, cui inſcriptum eſt: NOLI ME TANGERE.

„§. 33. *Poſtea thuris & Arabum odorum*
„ſuffimenta Imperatorem undique comitabantur. Quo innuebant, partim Triumphatores eſſe honoribus dignos divinis; Diis namque thura conſimiliaque incenſa incendebantur; partim præclarum Triumphatoris nomen eſſe illi pennatæ Deæ æmulum, de qua nonnemo fingentium finxit:

Extemplò totum volitabit Fama per orbem.

Quip-

Quippe quemadmodum Sabæa pharmacopolarum aromata fragrantiſſimos ſuos odores vel per cæcas tenebras & occluſas valvas longè latéque ſpirant: Ita incolumis atque illuſtris fama per quaſvis calumnias ac remoras in ultimas terrarum oras ſe penetrat & undiqueverſum irradiat. Hinc quemvis Eccleſiaſticum Divini Verbi præconem animadvertere oportet illud Auguſtini notorium: *Sic Doctor bonam eligat vitam, ut etiam bonam non negligat famam*; juxta illud Sapientiſſimi Iſraëlitarum Regis Salomonis: *Unguento precioſo præſtabilius eſt bonum Nomen.* Nomen autem inclytum alii domi bellique invenerunt, dum expetitum *Ageſilai* Spartanorum Regis reſponſum ſic animadverterunt, *ut optima quæque dicerent & honeſtiſſima quæque facerent.* Alii verò ad aliquod memorabile ingenii divini nomen pervenerunt, dum C. Plinio II. ſic ad Caninium Rufum ſcribenti auſcultatum iverunt: *Effinge aliquid & excude, quod ſit perpetuò tuum. Nam reliqua rerum tuarum poſt te alium atque alium dominum ſortientur: hoc nunquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel cœperit. Scio quem animum, quod horter ingenium. Tu modò enitere, ut tibi ipſe ſis tanti, quanti videberis aliis, ſi tibi fueris.* Quod reſpexiſſe præter cætera videtur impiger ille Lutheranorũ Amſtelodamenſium Miniſter ac Magi-

gifter *Elias Thaddel* anno CIↃ IↃ CXLVIII. quo ſuam Chriſti ἀκολουθίαν in publicum edidit, & ſe ſuis ſua jam poſt fata ſuperſtitem eo libello evulgato reddidit, poſteaquam anno CIↃ IↃC LX. obiit; juxta illud Crucii epiſt. l. 1. p. 51. *Regia hæc ad famæ & nominis immortalitatem via eſt, ſcriptis ingeniique monumentis publico inſervire.* Atenim apud Regiam Regis Dei Eccleſiam facile ſibi ille Eccleſiaſtes cedrinum immortalis nominis monumentum condet, qui magiſtrum magiſtrorum hæc edicentem audiet: *Sic veſtra coram hominibus Lux luceat, ut Opera veſtra bona ſpectent, cæleſtemque veſtrum Patrem glorificent*, juxta illud 1. Tim. 4. ℣. 12. *Eſto Exemplar fidelium in ſermone, in converſatione, in charitate, in Spiritu, in fide, in caſtitate.* Quò referas illud Crucii laudati lib. 2. epiſt. pag. 119. *Eum concionatorem amo, qui vitâ docet; qui cum dixerit, quid faciendum ſit, probat faciendo; qui docet, quid vitandum ſit, nec unquam in eo quod fugiendum dixerit deprehenditur, & quem magis admireris, cum videris, quàm cum audieris.* Ego quidem, mi Cruci, non cognovi te vivum, attamen beo te mortuũ, ſi tu tuâ ipſius vitâ expreſſiſti, quod aliis pennâ tuâ præſcripſiſti. Namque hoc ſeculi noſtri ingenium eſt, ut cernatur ferax plurium taliũ Philoſophorum, quales benè concionantur, quàm talium quales benè operantur.

„§. 34.

„§. 34. In ipſo verò Imperatoris curru „*ponè Triumphantem* ALIQUANDO *quidam publicus miniſter vehebatur, Coronã auream* „*gemmis diſtinctam ſupra caput ejus tenens*, *qui* „*à tergo ſæpè illud inſuſurrabat*, *quod refert Tertullianus in Apologetico adverſus gentes*: RESPICIENS POST TE, HOMINEM MEMENTO TE. *Miniſter* autem ille nonnullis creditur fuiſſe *Spiculator*, *Lictor*, ſeu *Carnifex*, prout inferri ſolet ex illo *Juvenalis* à nobis ſupra cap. 18. citato de immani corona aurea:

Quippe tenet ſudans hanc publicus, & ſibi Conſul
Ne placeat, curru ſervus portatur eodem.

Enimverò ex tanta glorioſiſſimi Triumphi excellentiâ tam facilè humano Triumphatoris cordi intoleranda quædam ingenerari poterat inſolentia, ut *Pauſaniæ* victori opus eſſet *Simonides* ſubmonens: Μέμνησο ἄνθρωπος ὤν. Quocirca philoſophari neſciebat, qui iſtiuſmodi Carnificem in curru Triumphali conſidentem pariter atque commonentem audire nolebat, ut *reſpiceret*, id eſt, reliquum vitæ ſuæ ſpacium ſic provideret, ne honoribus præſentibus inflatus ac elatus evaderet, ſed perpenderet, tam ancipitem eſſe futuræ mortalium ſortis eventum, ut admodum nemo ſe ante ſuum obitum poſſit prædicare verè beatum,

tum, juxta illud πολυθρύλλητον: *Nescimus quid serus vesper vehat.* Nam teste M. Tullio Philip. 5. *minimis momentis maximæ temporum inclinationes fiunt.* Ille autem pusillus Electorum grex, priusquam intermoriuntur, à Christo Doctorum Doctore *Beati* dicuntur, *qui Verbum Dei audiunt & custodiunt.* Custodierant autem inter cæteros tantâ fide Verbum Dei auditum illi, qui contra Bestias Apocalypticas tam gloriosè ad sanguinem usque concertârant, ut isthac Spiritus Sanctus parentatione ipsos dignetur: *Beati Mortui, qui in Domino moriuntur,* ἀπάρτι. Nullus frustrarer laborem, si adscriberem, quod periculoso lapsuum graviorum præcipitio magis obnoxia sunt nomina sublimia quàm humilia, juxta illud Apollodori: Τὰ μεγάλα δῶρα τῆς τύχης ἔχει φόβον. Enimverò quemadmodum hostis militaris majore intentione & acriore contentione continenter petere mavult Ducem belli supremum quàm militem quempiam gregarium: Ita Phlegethontæus ille Mundi Princeps Zabulus identidem infensior & insidiosior est illuminatioribus, sanctioribus & justioribus Ecclesiæ membris quàm simplicioribus & salutis suæ incuriosioribus. Hinc perrarò comperias, quod Simpliciani mechanici & Melibæi villici ferant zizania hæretica & schismatica; sedenim

ma-

magnæ cuidam ſtellæ apocalypticæ cælo Eccleſiaſtico delapſæ inditur nomen *Abſinthii*. Neque etiam à cæmentariis aut ſalſamentariis propter ſuum *Concupiſcibile* & *Iraſcibile* imminent Orbi incendia ſanguinolenti belli, ſed à talibus, de qualibus jamdum ſic plangit Poëta:

Quando delirant Reges, plectuntur Achivi
Jer. 15. verſ. 4.

Cui ſic ſubſcribit Drexelius in ſuo Salomone c. 9. §. 2. p. 915. *Omnium temeritas & ſtultitia mala eſt, Regum verò peſſima; vel quia impunè peccent, vel quod ad exemplum multo efficacior ſit quàm privata.*

Quovis Diphilo tardior ſum ad adſcribendum, quod *Tutò ſibi conſulit, quicunque ſuum cuique cani rodenti os relinquit*, ob illud Apoſtoli: *Si vos invicem vos momorderitis, videte, ne conſumamini*, Gal. 5. verſ. 15.

§. 35. Infamatis autem illis tragici ſupplicii armis, *tintinnabulo* & *flagello*, quæ non ſemel ad currũ triumphalem appendebantur, ſymbolicè denotabatur, quod Triumphator ante ultimam vitæ ſuæ lineam tantis miſerrimæ fortunæ ludibriis exponi & involvi poſſet, ut unà cum viris tintinnaculis annumeratus traheretur vel ad flagrum vel ad quodvis aliud infame aut ultimum ſupplicium. Supplicio namque ultimo mergendis appendi ſolebat nola, ne quis ſpectatorum

torum aut viatorum ullatenus ſe infami eorum vel occurſu vel tactu coinquinaret, ſed prætereuntes iſtiuſmodi damnates eminus evitaret, prout ex *Ugoleti*, *Grapaldi*, *Pyladis Brixiani & Bernardi Saraceni* ad *Plautii* notis jamdudum combibimus. Urbs enim Quirinalis erat talis ingenii Regina ac Domina, qualis permultos è ſuis clientibus, quos paulò antè ad ſummos honores provexerat, paulò poſt (idq;ſæpius propter ſiniſtras ſuſpiciones aut maleſuadas æmulationes quàm juſtas rationes) ita tractabat, ut de illis concinuiſſes è vate:

Heroës multi Romæ tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.

Ubi enim varii Servatores inclyti, qui antea præluſtres *Patriæ Patres* fuerant conſalutati, poſtea inter poſtremos perditionis peſtiferæ nepotes ſunt abjudicati? Romæ. Ubi Triumphalis ille Dux meritiſſimus pariter atque innocentiſſimus *Cn. Fulvius Flaccus* ad falſas ſubornatorum teſtium allegationes & probationes eſt exilio mulctatus? Romæ. Ubi famoſus ille Dux *Manlius Capitolinus* ex illa rupe Tarpeja, unde olim anſeris clangore excitatus Gallos hoſtes glorioſè dejecerat, ignominioſè præcipitatus eſt? Romæ. Ubi denique glorioſiſſimus ille Imperator, victor ac Triumphator *Julius Cæſar* à talibus inſidiatoribus ac

percussoribus conspirantibus, qualium *spes inexplebiles* explere nesciverat, in curuli sella XXIII. vulneribus transverberatus & ad terrram datus est? Romæ.

„§. 36. Porrò *milites illi omnes (qui sertis „redimiti laureis, laurum pariter atque suas coro-„nas, quibus* virtutis ergò *ab Imperatore donati „fuerant, manibus solemniter præferebant atque ita „currum Triumphalem suo quisque ordine seque-„bantur) concinebant partim Imperatoris laudes, „partim patria carmina salsis facetiis ridiculisque „mysterismis ita permixta, ut Triumphator nulla-„tenus succenseret, sed conniveret & indulgeret,* juxta illud Martialis:

Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.

Enimverò laudato *Julio Cæsare*, teste *Tranquillo*, sic triumphante, ut Capitolium ad lumina adscenderet, vectus elephantis XL. dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus; alii has voces mordaces emiserunt: *Galliam subegit Cæsar, Cæsarem Nicomedes*; alii verò constrepuerunt: *Romani, servate uxores, mœchum calvum vobis adducimus.* Dicteriis talibus tantus incessebatur Imperator, quantus Pontico Triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum: VENI, VIDI, VICI; non acta belli significantem, sicut cæteri, sed celeriter confecti notam. Hinc *Maximilianus Thi-*

Thieulaine Joh. Faii manipulo exemplorum tom. 2. mihi pag. 585. Rubr. *Triumphus.* ex Hugotione & Hieronymo ſic hallucinante ſtylo ſubſcribit: *Victoribus redeuntibus Romam poſt ſubjugationem regionum fiebat triplex Honor.* Primus, *quod Victori obviavit populus cum lætitia.* Secundus, *quod omnes captivi currum ſequebantur, Legatis retrò manentibus.* Tertius, *quod ipſe victor indutus tunicâ Jovis in curru, quem trahebant* IV. *equi albi, & ducebatur uſque ad Capitolium, ſecundùm illud Ovidii:*

Quattuor in niveis aureus ibis in equis.

Ne tamen in his honoribus oblivíſceretur ſui, triplicem Moleſtiam oportebat eum illo die ſuſtinere: Prima *erat, quia ponebatur cum eo in curru quidam ſervilis conditionis, utn daretur cuilibet etiam vilis conditionis ſpes perveiendi ad talem honorem, ſi probitas pateretur.* Notum eſt tritũ illud vatis: *Servis Regna dabunt, captivis Fata Triumphos.* Νῦν μὲν ἐδεὶς, ἄυριον δ' ὑπὲρ μέγας, ait Ariſtoph. in Equit. Excuſetur itaque Plato, quippe qui S. Scripturæ ignarus, totâ viâ non erravit, quando exaravit; *Neminem non Regum oriundum eſſe ex ſervis, ſervorumque neminem non ex Regibus.* Regum nemo ſibi diſcreparet, qui huc id allegaret, quo olim in ſuo Triumpho Bavarico Sereniſſimum illum utriuſque Bavariæ Ducem *Guilielmum* Robertus Turnerus ſic conventum præter cætera voluit: *Oh ſi aliquis me Deus hîc ſuis*

vel adspergeret Veneribus, vel perfunderet suavitatibus, *quem ego* fratris amorem *pingerem* in fratrem? *quam benevolentiam*? *quod studium*? *non amorem in te* (Serenissime Princeps) *polirem eum*, *quem* Poëtæ, *ex spe*, *timore*, *desiderio*, *suspirio*, *lachryma*, *gaudio*, *flamma*, *glacie tanquam Hydram quandam conflant*, & *ineptum aptè compaginant*; *sed* Romanorum antiquorum *effingerem* Amorem, *qui sic amabat ardenter*, *ut timeret etiam prudenter. Solebant namque Romani* (nullum puto esse *in Romana antiquitate* tam hospitem, hoc qui ignoret) *quoties volebant illos suos Fabricios*, *Camillos*, *Pompejos*, *Cæsares*, *vel* ovantes in equis, *vel* triumphantes *collocare* in turribus, *præmittere* præconem, *manu frondem*, *capite præferentem laurum*, *qui magnis clamoribus*, *lateribus magnis inculcaret auribus Triumphantis*; Se Mortalem esse: *non quod diffiderent Triumphantis Virtuti*, *sed ut ostenderent*, sese amare *non tam scitè cum* Ovidio, *aut cum* Tibullo *liquidè*, *quàm cum* Ratione *prudenter. Quàm* Amoris significationem *dederunt divino pene consilio Romani*, *eandem cuperet Princeps noster edere hodie &c.* Secunda *erat*, *quod ille servus eum colaphizabat*, *ne nimis superbiret*, *dicens*: Nosce Teipsum. Tertia *erat*, *quod in illa die licebat impune cuilibet dicere in personam Triumphantis opprobria quæque vellet.* Vellet equidem hinc calamus noster sese longè ulte-

ulterius effundere usque in lib. Senecæ de Sapientis Constantia c.11. ubi (posteaquam relatum erat, Momos & sanniones olim Romæ in deliciis fuisse) de schola Morosophiæ sic commemoratur: *Pueros quidam in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub Magistro habent, qui probra meditatè effundant, nec has* contumelias *vocamus*; sed *argutias*: sed malumus eum restringere ad illud ludicrum hostimenti tacti corollarium, quo miles gaudebat, posteaquam vitam vitæ Martiali mancipârat, in anxio sudore & improbo labore nivibus pruinisque obrutus sub pellibus diu durârat, vix in singulos dies chœnicem nutrimenti & denarium argenti emeruerat, & non sine crebro capitis periculo compererat, quod *castrensis vita* non sit nisi *splendida miseria*, juxta illud *Antiphanis Carystii* vatis Græci:

Τί δ' οὐχὶ θανάτου μισθοφόρος, ὦ φιλτάτη,
Ὃς ἕνεκα τοῦ ζῆν ἔρχετ' ἀποθανούμενος.

Hoc est:

O A.

Nonnè ille Mortis est stipendiarius,
Qui Morte quærit, unde possit vivere.

Vivere præstaret domi sub Rosa Libertatis quietæ umbrosa, quàm belli agere inquietissimum quarumvis castrensium injuriarum mancipium inter talia ultima cælestis

vindictæ organa de qualium bona parte jamdudum canit Poëta:

Nulla Fides Pietaſque Viris, qui caſtra ſequuntur.

Sequuntur namque jamdudum caſtra tales commilitones, quales ferè nihil conſciunt niſi illud Pſeudopoliticum quod olim Florentinus ille Notarius *Cozzi* in Teſtamento ſuo ſuis filiis præſcripſiſſe ſcribitur: *Fate ſempre male, & non lo dite; dite ſempre bene, & non lo fate.* Sequuntur hodieque quidem ocioſè tam multi incauti Tyrones famam, prædam & Martialium Ducum gratiam, dum τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως (ut Chriſti voce utar ex Matth. 24. verſ. 15.) orbi terrarum Chriſtiano inferunt quàm olim ſub *Auguſto Cæſare*, de quo Joh. Servilius l. 3. de numer. vete. ævi exerc. fol. 135. Antonium pulcherrimâ Victoriâ ad extrema cogentem ſic ſcribit: *Fruſtra enim Arabum Sabæorumque agmina Romani Imperii vires perfringere conata ſunt, ſub cujus vexillis tunc* XLIV. Legiones *ſtipendia faciebant*; ſed interea temporis neutiquam animadvertunt, quod non paucis vicibus propter amicitiam terreſtris militiæ perículosè amicitia cæleſtis Jehovæ pariter atque pace conſcientiæ excidunt, & in talia caſtrenſis militiæ tabernacula miſerè incidunt, in qualium incolas ſingulos potiſſimum

mum quadrat illud *Polybii* Megalopolitani historici: *Mihi quidem videtur ex omnibus animalibus nullum stolidius, aut magis expers rationis esse, quàm hominem qui à plerisque callidissimus omnium judicari solet.* Solet historia prisca referre, *M. Varronis* ætate sestertiis millibus sexaginta unum *asinum Reatinum* veniisse: Nostra autem ætate sæpè juvenes temerarii de tribu *Nabal* se in militiam mancipiorum divendunt uno imperiali aut precio minore. O fatuos! Solet quidem alia *Nobilitas* quam nullibi nisi belli consequi se posse sibi plerique persuadent ambitiosi, constitui *Barbarica*, quando animalia rationalia haud secus atque irrationalia ex genere & sanguine æstimantur; alia *Martia*, quæ excubiis, præliis, trophæis & manubiis paratur; alia *Philosophica*, quando suâ quisque virtute perfectè spectatur; alia *Theocratica*, quando quis Christum Imperatorem suum summum in Angelica Regenerationis Victricis ac Triumphatricis Via summo zelo imitatur; alia denique *Mixta*: sed imitentur alii Philosophicum illum ætatis suæ Phœnicem *Democritum* cui, teste *Aristotele* æmulo l. 1. de gen. *omnia curæ videntur fuisse*; ego malim Pegasum ad nyssam instigare & exarare; Omnium laudabilium, quæ olim in Victore conspiciebantur, hoc ferè fuisse laudabilissimum, quod

inter triumphandum connivebat & callebat mussitare omnigenas in se jactatas verborum aculeatorum injurias & cantare Deo suo gratias. Quippe nemo unquam cœlo ullum gratius sacrificat sacrificium quàm sui ipsius victi Triumphum, dum nimirum se quispiam eâ præcipue animali parte conatur interficere, ubi sese maximè sentit vivere, juxta illud Gregorii l. 5. moral. c. 8. *Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis restringit.* Restringere autem qui se à licitis appetentiis nunquam voluit, Fide suâ Mortuâ facile mancipium illicitarum infernale evasit. Evadit verò ille plerumque fide suâ in Christum viva liber Dei Filius, qui linguæ suæ immoderatæ silentium imponit, oculos à vanitatibus seculi avertit, carnem crucifigit, vindictam sufflaminat, Avaritiam eradicat, vanam gloriam expugnat, pravas consuetudines jugulat, Christũ peramat eundemque frequenter ex Bernhardo implorat:

In tremenda mortis hora,
Veni, Jesu, absque mora;
Cum me jubes emigrare,
Jesu chare, tunc appare.

Nam si Ethnicus ille M. Tullius l. 10. ep. 8. ad Atticum scivit scribere: *Tempus est, Nos de illa* PERPETUA *Jam, non de hac Exiguâ* VITA *cogitare.* Quantò magis omnium in Christum

ſtum baptizatorum Regum ac Gregum erit, de *Triumpho in Morte* ac noviſſimo illo ÆTERNITATIS Beatæ Sabbatiſmo in Tempore Pœnitentiæ, antequam claudatur Porta Gratiæ, ſub florida Fidei ſinceræ & Pietatis veræ roſa ſic cogitare, ut piâ & honeſta vita ad fatalem emortualis diei horam ſe dignè præparent, ob illud Auguſtini: *Non facilè in adverſitate inveniuntur præſidia, quæ in pace non fuerint quæſita.* Notum eſt illud Beuſtii ruminandum:

Qui benè funus agit, nobile fœnus agit.

Wer woll geſtorben fährt da hin /
Dem iſt der Todt ein ed'l gewinn.

Beatus olim ab *Apolline* prædicabatur Arcas ille *Aglaus Pſophidius*, id quod nunquam per totam ſuam vitam pedem in terram alienam ex ſuæ villæ ſuggrundis intuliſſet. Beatus quoque celebratiſſimus ille ſummæ autoritatis ſympatriota *Ælianus* à ſuis Romanis coævis judicabatur, quippe qui per omnem ætatem ſuam vel belli vel mari unquam exotica ſapere aut capere noluiſſet, ſed ſemper domi ſuæ intra Italiam animos ſuos ſolis patriis LL. ac moribus paſcere ac quieſcere maluiſſet. Beatus verò ab aliis jactatur ille Palladis alumnus peregrinabundus, qui ab aris fociſque patriis ad varia alienarum terrarum Athenæa tanquam ad luculentum & opulentum va-

riarum nundinarum literariarum mercatum proficiſcitur, juxta illud Poetæ:

Scilicet haud unâ capitur Sapientia ſede,
Sed variis terris quæritur atque locis.

Beatus denique à nobis cantatur viator ille qui inter peregrinandum in hac vita (quæ ab *Auguſtino* meditat. c. 21. dicitur *Mors vitalis*) ita ſibi aſſociat συνέκδημον Chriſti Spiritum, ut identidem ab eo doceatur: *Qui multum peregrinantur, non ſanctificantur*, niſi continenter cogitent recogitentque, quod ipſis ſua ipſorum peregrinatio nihil ſit aliud niſi talis Myſtica præfiguratio, quali ipſis ſuggeratur quotidiana meditatio de ſuo quibuſvis horarum momentis inſtante tranſitu ex iſthac ærumnoſa miſeriarum valle (quæ quidem filiis hujus ſeculi fortunatis & honoratis eſt quovis melle dulcior, filiis autem Dei infortunatis & inhonoratis quovis felle amarior, juxta ſuam ipſorum confitentium exclamationem cum Pſalte lamentante:

Helas! combien m'eſt ennuieuſe
Ceſte demeure malheureuſe
Au deſſous des tentes maudites
Des Kedarins & Meſechites!
Parmi ces Nations cruelles
Qui n'aiment rien, que les querelles,
J'ay trop ſejourné la moitié
Moy qui ne cerche qu'amitié.)

ad

ad cæleſtem illam patriam, ubi *Beatitudo noſtra*, ut *Hugo à S. Victore* eloquitur, *Trinitate perficietur.*

Ibi enim	*Noſſe* *Eſſe* *Amare*	noſtrum non habet	*Errorem*, *Mortem*, *Offenſionem*;
Sed ibi	*Vacabimus* *Spectabimus* *Amabimus*	& Summum Bonum	*Spectabimus*, *Amabimus*, *Laudabimus*.

Laudabimus hîc igitur talem laude dignum Orthochriſtianæ Militiæ Candidatum, qualis inter divexantiſſimos quoſque Sataniſmos nullus aufugit, neu adamantinam ſuæ ſpei vivæ beatæque haſtam abjicit, ſed viriliter pede ſtante perſtat, dextrorſum lævorſumque fortiter repugnat, ſuperat & in ſuo tabernaculo Victor redux cum una animoſa anima Belgica verſificante ſic gaudio triumphat:

Quam nae Lyden geen verblyden /
Dan waer Lyden groot verdriet;
Maer nae Lyden komt verblyden /
Daerom acht ick Lyden niet.

Si quis vellet, Myſticè hîc alludere poſſet ad memoratiſſimum Currum Triumphalem circumcirca ſtipatum Muſicâ, ad quam ſic accinit ſalutans Poëta:

Muſica Divarum ſalve ſanctiſſima, caſtæ
Delitium mentis, virgineique chori.
Eſt ſint ſole dies, & nox ſine ſidere triſtis,
Te ſine vita hominum nil niſi luctus erit.

Tu curas abigis, Furiarumque agmina pellis,
Tu das Angelici gaudia ſancta chori.
Quam præbes animo, non caſtior ulla voluptas,
Cui tua ſunt odio munera, diſpereat.

Excuſetur interim bonus ille vir Jacobus Crucius, qui nomen ſuum famoſum ab oblivione poſterorum jamdudum ſuis inclytæ memoriæ monumentis vindicat, & hæc verò ad cognatum ſuum Dionyſium à functione Eccleſiæ ruſticæ ad Spartam urbicam Noviomagenſem abeuntem ſic convenit gratulans: *Urbem, incolas, aërem tibi placere lubens audio. Qui aliter poteſt? Ubi tot paſſim ſe offerunt non injucunda oculorum pabula, colles, agri, paſcua, plantaria, hortorum ſpacia, ambulacra, flumina leni murmure Urbem quam habitas præterlabentia. Quis adeò ab omni ſenſu derelictus, quem hæc amœnitas non delectet, qui tam vario adſpectu rerum non capiatur expers ambitionis, & pallentium curarum? Campi Elyſii, Elyſii non ſunt præ his* Naturæ *deliciis, & blandimentis. Inter has terræ opes, hunc inferioris* Mundi *mundum & cultum magnæ matris, amica diverſione, animum ſtudiis defatigatum reficere, hic paululum ſalubri quodam ſeceſſu à curis, & turbis tranquillitatis tyrannis, feriari circumſonantibus, ac velut ſalutantibus choris illis alitum ſuaviter fritillantium & minurientium, quid homini gratius, quid dulcius eſſe poſſit non video. Invenit enim ibi quod ſine actione ulla agat,*

ſine

ſine labore ullo elaboret, nunquam minus ſolus, quàm cum ſolus, & nunquam minus otioſus quàm cum otioſus. Scilicet attollit ſe magis ad alta Animus, cum in libero aëre, liber & magis ſui juris videt ſuum Cœlum, quàm cum ædium parietibus incluſus, libris & chartis perpetuò impalleſcit. Quippe commiſereſcendum eſt, quotiescunque comperimus, quod multi in Chriſtum baptizati mortales cæleſtem Hieroſolymam in animabus ſuis ante ſuum ex hac vita abitum & obitum non invenerunt, ſed tales in ſedibus ſuis ad publicam terræ glebam per totam vitam ſuam ſuaptè ſponte de induſtria permanſerunt, quales conſederunt & deſederunt, prout illis coætaneis omnibus prodiderunt, quibus oculi novi ad videndum *Theſaurum Pacis Falſæ* fuerunt, juxta trinunum illud Chriſti Matt. 6. Waarlich ich ſage euch / Sie haben ihren Lohn dahin. Quid quæris? *Ante veram Mortem Primam non datur vera Reſurrectio Prima,* prout egregiè colligas è Matth. 27. ℣. 52. & 53. ubi hoc quoque præter cætera contingentia circa Chriſti Salvatoris noſtri crucifixi mortem miracula memorabilia memoratur: *Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt; Qui è Monumentis poſt reſurrectionem Ejus egreſſi, & Civitatem Sanctam ingreſſi, Multis apparuerunt.* Apparent enim-

 verò

verò ætati Mundi decrepiti noſtrati multi quidem Pſeudochriſti, ſed pauci Reſurrectionis Primæ Candidati. Nihil adſcribo niſi elegans illud Afranii: *Amabit ſapiens, cupient cæteri.* Quicunque verò Anachoretarum eſt tam immobilis quàm quivis in angulo fuſtis, ille ad fauces ſuas eat laudaturus Deum, *quod à tempore mortis Chriſti neque vivere neque mori poteſt homo à ſeipſo*, ſed omnis Chriſticola patienter in aſſignata ſortis ſuæ ſtatione ſtare & exſpectare neceſſe habet, quoaduſque ſummus Imperator ipſum à malo offenſionis & afflictionis liberatum veniat atque perducat

Ad cœlos, animamque peracto ſtamine vitæ,
Morte triumphata, meliora in clauſtra reponat.
Nam felix hic eſt, cujus mens tuta phalanges
Tartareas, Stygiiſque recens emiſſa cavernis
Agmina perrumpit, mediaq; in Morte triumphat.

„§. 37. Quum ordine memorato *Pompa* „*Triumphalis* ita *proceſſiſſet, omnis ſagatus ac* „*togatus comitatus ad Capitolium unà cum curru* „*Triumphali contendebant, ubi Coſſ. & reliqui* „*Magiſtratus cum univerſo Senatu Imperatorem* *Triumphantem exſpectabant.* Magnates enim honorat, qui inter cunctandum eos exſpectat, & glorificat, quod ipſi plerumque conſciant non tantum probabiles morarum ac horarum ſuarum rationes; ſed etiam

etiam rationes rationum, ob illud M. Tullii: *Cujus rationis ratio non exſtat, ei rationi ratio non eſt fidem adhibere.* Adhibeat itaque omnis afflictatus fidem Deo liberatori ſuo qui adpromittit Eſ. 49. verſ. 23. *Vt experiaris Me eſſe Jehovam, non erubeſcere eos qui Me exſpectant.*

„§. 38. Quum autem *Triumphator in forum Romanum perveniſſet, alios captivorum* „*mancipiorum pro ſuâ miſericordia gratiam noxarum faciente plerumque vinculis eximebat* „*& in libertatem aſſerebat, alios verò ſive ſolos,* „*ſive unà cum Ducibus perduellibus pro ſua ju-* „*ſtitia carcere pariter atque morte mulctari jube-* „*bat.* Triumphatoribus quippe Romanis haud dum innotuerat illud ſcitum Canoniſtarum: *Religioſæ Conſcientiæ enſiger Longimanus mavult olim Deo rationem reddere de Miſericordia quàm de Juſtitia.* Hinc ſcitè & verè dixit Auguſtus Imperator: *Principes fiunt Dii Pietate & Juſtitiâ.* Juſtitiæ quippe & Clementiæ temperamentum firmiſſimè coaleſcit in florentiſſimum Rerump. ſtabilimentum, juxta cœleſtiſſimum illud Apoſtoli oraculum: *Non incaſſum gerit machæram magiſtratus*, Rom. 13. *ſed talis eſt Dei diaconus, qualis malignos proſequitur ſuppliciis, benignos verò beneficiis.* Quemadmodum autem *Lutherus* olim in breviſſimo illo Pſalmo CXVII. potuit videre *Reſurrectionem Mortuo-*

tuorum utramque: Ita videas hodie in hoc unico Triumphalis noſtri Thematis puncto tanquam in ſpeculoſo præludio propemodum totam accelerantis *Judicii Noviſſimi* majeſtatem, ubi illi injuſti Judices & inexpiabiles non neceſſariorum bellorum bellatores ſtabunt à ſiniſtris, qui jamdudum ſic in hoc ſeculo prædominantur à dextris, ut ferè coram ipſis *Angerone* Dea aut ore careat, aut ſi os habet, clauſum id gerat. Nam, ſi experto credimus Ambroſio, *Veritas eſt amara, & qui eam docet, repletur amaritudine*, juxta illud Prophetæ: *In porta oderunt* Corripientem, *atque abominantur* Integra *loquentem*. Amos 5. ℣. 10. *Idcirco* Intelligens *Tempore illo* ſilebit, *quoniam* Tempus Mali *erit*, ℣. 13. Eſa. 59. ℣. 14. 15. Eſt quidem Diabolus Malus malorum filiorum multorum pater, uſqueadeò uti 1. Johannes 5. ℣. 19. perſcribat; *Mundum Totum in Improbo illo jacere*: Chryſoſtomus tamen juxta 2. Tim. 3. ℣. 2. citra φιλαυτολαψίαν ſic auſus eſt concionari: *Ego hæc identidem monere non deſinam. Nec quiſquam mihi dixerit: Tace, nil promoves. Ego verò non tacebo, ſed εὐκαίρως ἀκαίρως neceſſaria hæc ingeram.* O zelum rarum! juxta illud Chriſti: *Vos iſtis ſal Terræ.* Terræ ſal iſtiuſmodi creditur præter cæteros Dei homines fuiſſe eo die nominatiſſimus ille Lutheranorum Theo-

Theologus *Erasmus Alberus*, quo filiis sui ævi sic inter alia præcinuit:

Wo bleibt die Brüderliche Lieb?
Die gantze Welt ist voller Dieb /
Kein Trew noch Glaub ist in der Weldt /
Ein Jeder spricht: Hätt Ich nur Geldt/
Das ist ein Zeichen vor dem Jüngsten Tag.

„§.38. Neque tamen *semper* Imperator *solus*
„*eo curru vehebatur, sed frequenter in eodem*
„*Triumphantis vehiculo adducebantur pueri*
„*puellæque virgineæ vel cognatorum filii aut ne-*
„*potes: ad equorum verò habenas hinc inde co-*
„*gnati juvenes: vel etiam inequitantes jumenta*
„*isthæc triumphalia dirigebant, ut in* Trium-
„pho Augusti, *Marcellum* dextro, *Tiberium*
„verò *Neronem sinistro funali equo insedisse le-*
„*gimus. Si plures verò erant, equis singularibus*
„*Victorem comitabantur. Cæterorum namque*
„*civium nemo adequitabat, sed laureati omnes*
sequebantur. Quippe ita fert communiter jamdudum Ratio status Politici, ut unam unus sponsus sponsam amplexetur & exosculetur in suo nuptiali thalamo procul nullo socio, licet interea loci videris nuptias concelebrari à compluribus agnatis, cognatis & paranymphis invitatis. Vixit de quo M. Ant. Coc. Sabellicus per tramites cantantium sic dixit: *Quid* Seleucus *Rex Syriæ nonne magnum edidit patriæ charitatis exemplum? qui* Stratonicen *conjugem unicè dilectam beneque convenientem* Antiocho *filio cessit*,

cessit, posteaquam juvenem Erasistrati *medici indicio comperit illius formâ captum, periturum nisi obviam iretur. Fuit id non solum vitæ filii consulere, sed seipsum vincere.* Hæc ita quidem ille; sed si hoc esset regiè ac egregiè vincere seipsum, seipsum quoque vicisse dici posset 1. *M. Cato Uticensis*, quippe quem (posteaquam *Hortensio* amico exoranti conjugem *Martiam* tantisper utendam dare annuerat, dum ex ea prolem susceptum abiret) ferè nemo Romanorum vel chartis dentatis vel verbis aculeatis ea de re perstrinxit præterquam unus J. Cæsar sic tangens & angens: *Dimisit inopem, ut reciperet opulentam.* 2. Baro Britannicus ille *Johannes Camois* qui conjugem suam *Margaretham de Gedesden* cum suis omnibus militi *Guilielmo Painello* olim sponte sic donavit, ut repetere bellam nollet, sed illud Poëtæ è memoriæ suæ palimpsesto delere mallet:

Felix conjugium quod copulat Una Voluntas,
Una Fides, Unus Lectulus, Unus Amor.

3. ille Bohemorum Rex adulter *Ottocarus*, qui procul ullo zelo de adultera conjuge sua dixisse pro excusatione fertur:

Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent,

juxta Senecam condocentem; *Improbum esse, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum.*

Uxori-

Uxoribus autem pariter atque Virginibus abſtinere ſe maluit *Michaêl Verinus* Hiſpanus de Minorca, de quo caſtiſſimo, anno ætatis XVIII. obeunte, ſic *Politianus* accinit:

Sola Venus poterat lento ſuccurrere morbo,
Ne ſe pollueret, maluit ipſe mori.

Moritur autem nemo melius quàm tantus inculpatiſſimæ vitæ Hercules Chriſtianus, quantus omnia dicenda tam prudenter dicit & omnia agenda tam laudabiliter agit, ut nemo eum certò inſimulare valeat, neu calumniam ei tutò ſtruere audeat.

„ §. 39. *Poſt Currum miniſtri primò & ſcuti-*
„ *feri, mox legati Imperatoris, & Tribuni, deinde*
„ *exercitus omnis ſequebatur, in legiones, cohortes,*
„ *centurias & Manipulos diſtinctos. Erant milites*
„ *omnes laureis ſertis redimiti, laurumque manibus*
„ *ferebant, coronaſque quibus* virtutis ergò *ab Imperatore donati fuerant. Hi currum Imperatoris triumphantis ita ſequebantur, ut canerent partim carmina patria ſalibus & riſu permixta, partim Ducis laudes*, prout jam §. 36. attigimus. Quanquam enimverò communiter clientes *Palladis* glorioſi ſint inviſi clientibus *Martis* ambitioſis; ἄμουσοι tamen videri milites nolunt, ſed uti Tympanis, tubis, fiſtulis pluſculiſque inſtrumentis muſicalibus, & tam in prælio quàm procul prælio abuti malunt, uſqueadeò uti vel invitis dentibus confiteantur, quod ipſi corde

corde carerent, nisi præter *Achillis* scutum Musicam *Minervæ*, cujus alumnos non raro contemptim habent, adhiberent.

§. 40. Tandem *Triumphator unà cum utroque comitatu ad Capitolium se recipere pergebat, unde votis ritè nuncupatis quondam in campum adspiraturus abierat.* Quippe Japhitica Romanorum natio credebat, sese neutiquam secundis rerum deliberatarum successibus domi bellique fore gavisuros, nisi antea almam cœli opem imploràssent, prout conficias ex Platone, Homero, Hesiodo, Theocrito, Pythagora, Aristide Adrianæo, Phocylide & id genus aliis gentilium Coryphæis, è quorum flosculis hic eliquatur succus summarius: ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει Θεόν.

§. 41. Licet autem jam *ad Capitolii aras* ventum esset; tamen *ferè* nunquam fiebat prius *sacrificii Eucharistici* primordium, quàm *exspectati nuncii nunciassent renunciassentque ipsius hostium Ducis trucidati necem.* Leo namque mortuus non rugit, neu discerpit amplius, sed vel à leporibus ipsi insultatur & à pusionibus barba vellicatur, & ipse ille prædo præda fit talis vermibus, ut ei à Salomone vel *canis vivus* præferatur. Cohorresco recensens vocem Auli Vitellii; *Optimè olere occisum hostem.* Malim de Jure τοῦ ἀντιπεπονθότος seu Talionis adscribere illum Rhadaman-

damanthei judicii verſiculum priſcum canonicum:

εἴκε πάθοι τάκ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο.

Rari enim tales Victores moderatiores, qualium clementia auſcultabat Oraculo Delphico ad civitatem Atticam:

Δουρὶ πιεζομένους τοὺς μὴ σὺ κτεῖνε σιδήρῳ.

Quod ſi Romani (qui *Reſurrectionem mortuorum* & *Judicium Noviſſimum* non crediderunt, ad quod prima quaque horâ omnes hujus ſeculi עתודים Judiceſque injuſti peremptoriè citabuntur rei) in iſtiuſmodi Proceſſu Exſequutivo crudelius in Victos conſuluerunt atque ita ſe aliquantis peccatorum inextricabilium tricis intricarunt more Manliano illorum Nimrodorum, qui magis Potentiæ magnitudine abutuntur, quàm cum Artaxerxe populum *Clementiâ* & *Lenitate* ſuum facere connituntur, uſqueadeò uti abſque ullo terrore vitam ſilentio tranſigentes optata cunctis Mortalibus Pace perfruantur: ſit lapſus eorum inſanabilis ſaluberrimæ reſurrectioni quibuſvis Chriſtianorum Magiſtratibus, juxta illud Eſaiæ. 3. ℣. 7. 8. ubi hujuſmodi Contentio Paradoxologica pariter atque Philoſophica commemoratur: Fuit qui magnifi-

gnificos Magiſtratus honores ultrò oblatos reſpuens, quum rogaretur: *Princeps* ſeu *Ductor eſto nobis*, deprecatus tantæ dignitatis infulas, hanc jurando reddit cauſam excuſationis ſuæ: *Ego non ſum Medicus, & in ædibus meis non eſt panis, neque veſtimentum; nolite me conſtituere Principem populi.* O mirum reſponſi excuſatorii genus! Numquidnam antea ſtudebit Medicinæ, aut evadet piſtor coquens panes, aut ſartor veſtes exponens venales ille Megalander, qui Rex olim creandus eſt? Minimè gentium. Cæterum Philoſophico iſtiuſmodi reſponſo non niſi hoc Allegoricè innuitur; Gregi ſalutem, victum & amictum eſſe petendum à Rege, quemadmodum olim Ægyptus indiga petebat talia ſubſidia à Prorege Joſepho. Namque ſi Reſp. ſit fame emaciata, ſeditioné lacerata, bello vulnerata, hoſtilibus latrocinantium turmarum incurſionibus exſpoliata & ex ſana in ægram tranſmutata, à Magiſtratu quærat remedia, panem, veſtem, ſalutem. Sicut autem bonus Medicus non continuò Patientis venas ſecat & ſanguinem mittit, ſed cum gravior eſt virium defectus, cibo recreat, potum inſtillat: Ita bonus Magiſtratus ſæpiſſimè ſit Archiatricus, rariſſimè Phlebotomus. Enimverò quemadmodum bonus Medicus humano generi ægrotanti

tanti eſt Angelus & Deus: Ita bonus Magiſtratus laborantibus Rebuſp. Et è contrario quemadmodum malus Medicus affectis hominum corporibus eſt crocodilus & Diabolus: Ita malus Magiſtratus laborantibus Rebuſp. Horreo adſcribere, quod *Ramirus* Hiſpaniæ Rex in ſuos Proceres eò ſæviit, ut alios illorum in campanæ circulum ſuſpenderit, alios verò ad id ſpectaculi eo nomine convocârit, ut novo illo campanæ admirabilis genere oculos paſcerent. Paſcere autem præſtat oculos gladio illo Cherubico, quem Deus poſt Crimen læſæ Majeſtatis Divinæ commiſſum à Protoplaſtis tradidit cæleſti ſuo Legato ad prohibendum deportatorum reditum ad portam Paradiſi. Enimverò hac viâ viator inter contemplandum facilè cognoſcet, quid ſibi velit illud Apoſtolicum: *Magiſtratus non gratis gerit gladium.* Gladium namque Angeli *Verſatilem* Magiſtratui dabit Vigilantia Spartæ, *flammeum* verò zelus Juſtitiæ. Hinc inter cætera Inſignia, quibus Hieroglyphici Emblematum Symbolicorum ſcriptores Magiſtratum de Officio commonent, ſunt *Olla bulliens*, *Bacillus oculatus*, *Pandectæ Jehovæ*, *Zona Magnificentiæ*, *Bilanx exacta* & *Gladius acutus.* Olla Bulliente enim adumbrant Territorum vitiis exuberans, ubi Tartareus Vulcanus ignem

ignem ſubdit, ligna ingerit, flammas flatu impellit. Niſi igitur hîc Virga oculata in tempore evigilet & Ollæ bullienti ſeverè occurſet, brevi ita actum erit de Rep. ut de *Sodoma* & *Gomorrha*, ubi & *Reges* & *Greges* omnes deſupernâ cæli vindictâ in ſuis perierunt ollis ebullientibus, uſqueadeò uti nullum ſuperſit memoriæ damnatæ veſtigium niſi *Mare Mortuum*. Pandectas Jehovæ, quæ ſunt vena fontana veræ ſapientiæ, non tantum Joſua cum raris aliquot Regibus, Principibus ac Ducibus Iſraëliticis diurnâ nocturnaque verſabant manu, ſed etiam nonnulli Chriſtianorum Magiſtratus. Enimverò gloriari glorioſiſſimus ille Aragonum Rex *Alphonſus*, teſte *Panormitano*, ſolebat; *Eſſe quaterdecies Utrumque Teſtamentum cum Commentariis à ſe perlectum.* Perlectæ Hiſtoriæ Cæſareæ quoque condocefaciunt, quod pientiſſimus ille Imperator *Lotharius* non ſolùm rei divinæ quotidiè interfuit, ſed indies, vel etiam in caſtris, triplex ſacrificium ſe præſente peragi avebat. Primum funebre ſummo mane, quo ſe ad Mortem præparabat: alterum in Exercitus variè peccantis ſubſidium: tertium in ſalutare aliorum conſiliorum ac negociorum auſpicium prandio præmiſſum. Catenato Perſonarum Eccleſiaſticarum conſortio, quarum dictis facta exa-

examussim respondebant, pascebatur, delectabatur, perfruebatur. Ecclesiarum causas, quæ oppressionis aliquid queri videbantur, ante alias omnes admisit. In orationibus devotis erat tam assiduus & pervigil, ut eas non solùm suspiriis, sed & crebris calidisque lacrymis distingueret, juxta illud Quintiliani: *Habet suos impetus Pietas.* Pietatis namque erat, quod Ecclesiastas suspiciebat ut patres, viduas colebat ut matres, egenos diligebat ut filios. Pietatis erat, quod largiores Eleemosynas ex Mammone iniquitatis frequenter erogabat. Pietatis erat, quod ipse Augustus cum sua Augusta Hermingardi humi procumbentes paupertinis Christi fratribus ac sororibus pedes lavabant, lotos tergebant, tersos exosculabantur. Pietatis denique erat, quod idem Augustus augustè ἀταξίαν cupiditatum suarum oppugnatam & superatam triumphabat & pectus omne in divinam voluntatem effundebat. *Zonam Magnificentiæ* non tantum sibi accinxerat Husæus ille Princeps Jobus, qui post sepultos Veteris Adami sui affectus omnes cap. 29. vers. 14. 15. 16. 17. ait: *Justitiam induebam & induebat me; veluti pallium & cidarin Judicium meum. Ut oculi eram cæco, & velut pes claudo. Pater eram egentibus; & litem ejus quem non cognoveram, ipsam pervestigabam: perstrin-*

S ge-

gebamque molares iniqui, & è dentibus ejus prædam ejiciebam. Verum etiam *M. Antonius Fulvius* Bojonius *Pius* Philosophus, utpote qui à principio vitæ tranquillissimus, adeò ut ab infantia vultum nec ex gaudio nec ex mœrore mutaverit, sed usque & usque incredibilem animi Socratici ἀπάθειαν conservaverit, ærario Romano (in quod quotannis conferri solebant vel 50351 Talenta argenti Attica vel 140. milliones auri, teste Villalpando & aliis) jam exhausto, cum non haberet, quod militibus penderet, nolletque novas provincialibus exactiones indicere, instrumentum Regi cultus in foro Trajani publicæ auctioni hastæ subjecit, & per duos menses κειμήλια quævis preciosa, vasa aurea, crystallina & murrhina cum suo suæque Dominæ serico Attalico, argenteo, aureoque amictu & omni mundo vendi, atque ita ex vi pecuniæ inde redempta coactum exercitui stipendium solvi, & post Victoriam suam cuique emptori pretium prius restitui jussit volenti empta revendere. Nolim igitur adscribere illud *Petri Aldobrandini* Cardinalis: *Nemo potest sinè re ampla verè esse magnificus. Magnificus autem ille est, qui muros urbis, qui navalia, qui theatra & porticus, eaque omnia exstruit, quæ ad communem faciunt civitatis usum. Domus verò Magnifici non auro, ne*
ebore

ebore, ſed hoſtium ſpoliis eſt adornanda. Beneficiis denique non vinci, videtur eſſe maximum omnium. Malim commemorare, quod Conſtantinopolitanus ille Imperator *Andronicus Comnenus* verè geſtaſſe videtur *Bilancem exactam* in manu una, & *Gladium acutum* in altera, juxta illud Philippi Loniceri ad inſignia Electorum Saxoniæ:

Adſpice ſanctarum Cuſtos ſanctiſſima legum,
Hinc eſt enſe *minax, inde* Bilance *gravis.*
Sancta Themis Nemeſi *dextramque enſemque gubernat,*
Ut ſint digna bonis *Præmia*, Pœna *malis.*
Læva ſed æquato penſans Examine Lances
Cuique ſuum tribuit, ceu pia norma jubet.
Ergò ſuas jungunt Pax & Reſpublica dextras,
Lætaque gratanti Jubila voce canunt.

Namque ſub hoc altero Melchizedeco nemini niſi inſonti parcebatur: quiſquis deliquiſſet, reus peragebatur. Nobiles juxta & ignobiles, opulentos non minus quàm egenos, palatinam familiam adæque ac plebem civicam pro reatuum ratione puniebat; & omnibus Magiſtratibus Imperii ſui inferioribus ac præfectis per literas edicebat: *Aut injurias aut vitam relinquite. Nam vos injuſtè agere & vivere, nec Deo gratum, nec mihi ejus miniſtro ferendum eſt*, juxta ſymbolum illud Cæſareum Cari, Carini & Numeriani: *Eſto quod audis.* Nihil ſub-

jungo, nisi illud Taciti 3. hist. *Apud majores Virtutibus gloria, Flagitiis pœna fuit.* Cui Poëta Hispanicus sic succinit:

Et premio y el castigo al tiempo usados
Sustenten las Republicas y Estados.

Status equidem militiæ Græcorum olim florebat, quando βουλῇ καὶ μύθοισι (ut Homeri vocibus abutar) antiquus ille dierum *Nestor* Pyliorum Rex *Agamemnonem* Imperatorem exercitumque ipsius totum in obsidione Trojana regebat: Status autem hodiernarum Rerump. maximè florent, ubi aut Principes aut Optimates præter cætera imitanda imitantur, vel

I. Philosophos tales, quales non satis esse putant, filios habere, nisi eosdem tam egregiâ illa Virtutum omnium Regina *Pietate* quàm regiâ quarumvis necessariarum linguarum ac honestarum disciplinarum majestate ἀφ' ἁπαλῶν ὀνύχων sub tali magistro (de quali sive absente sive præsente tanquam de imperito aurigandi Phaëtonte cum ullo congerronum confabulari nequeas ex Ovidio, postea quam ardua pædagogicæ Spartæ, ad quam Hodiè se quivis Cumanus asinus ineptissimus aptum putat, se temerario immiscuit impetu ad pœnitentiam pudibundam usque:

Ipse pavet, nequà commissas flectat habenas,
Nec scit, quâ sit iter, nec si sciat, imperet illis.)

im-

imbuant, hucque insuper omnem Episcopi curã sic conferant, ut olim illi suapte sponte post navatam & acceptatam institutionem sufficientem confiteantur: *Nos à parentibus nostris fidis ac piis Pietatem cumulumq; excellentissimæ cujusq; Doctrinæ maximum velut hæreditate pulcherrima sic accepimus, ut non nisi reliquas Præstantiarum nostrarum strictur as diligenti præceptorum curæ ac culturæ debeamus.* Debiti decernantur honores *Erycio Puteano* hac eloquentiâ merenti: *Florem juventutis passim in vitia degenerare, quid mirum? Mollis nimium & soluta educatio est, & priusquam literas plerique, ventum & vanitatem induunt, doctiores tantum, ut amplius noceant. Utinam qualem laudavi aliquando Juventutem Belgicam, talem videamus. Utinam sobria, sicca, seria sit!* Sunt enim illi Studiosorum optimi, qui gloriosè student de omnibus condignis benè mereri, & *procul ullo fuco* Virtutem semper cum Doctrina Doctrinamque cum Virtute ita conjungere, ut doctioresne an meliores audiant, jure possit ambigi. Vel

II. *Justinianum* Imperatorem Constantinopolitanum, qui præter cætera ob id maximè dilaudatur, quòd viduæ subditæ *Annæ* domum privatam ex plenitudine potestatis juxta Corpus Juris nolebat adimere & destruere, sed malebat ipsemet suis ipsius pedibus ad invitam accedere & vel

oblato æquivalente precio vel emolliente prece accipere, ut sibi liceret ibidem Templum *Sophiæ* publicum exstruere, ubi illa cohabitaret, teste *Codino* in select. de Constinopol. Origin. O rarum raræ religionis conscientiosæ Principem! Vel

III. *Carolum M.* Imperatorem Germanorum primum, quippe qui præter cætera gloriosa patrata, unde inclaruit, quoque iterum iterumque cognoscendis actorum reorumque causis forensibus, quas alioqui per Prætores fideicommissarios expedire potuisset, ipsemet malebat interesse quàm abesse, juxta illud ICtorum: *Jura sunt scripta vigilantibus.* Vigilans namque Domini oculus unus plus saginat caballum quàm manus VII. Ophthalmodulorum, qui condidicerunt illud vulgi Belgicum: **Elck een soeckt geern sijn eyghen Proffyt ende Gemack.** Nolim adscribere, quod communiter omnis Magistratus ac Legatus optimus vel existit vel evadit tantus Asinorum Asinus, ut plerique Philosophorum malint inter personas privatas latere quàm inter publicas patere. Omnis quippe honos magnus magnum sustinet annexum onus. Onus autem hoc Herculei laboris Atlanticum quicunque dextrè ad *Legem* & *Testimonium* sustinebit, illi tantum in DOMINO gaudium perpetuum allucebit, ad quan-

quantum gaudendum omnes cæleſtis Sophiæ filios ſic cohortatus eſt Apoſtolus „1. Theſſ. 5. ℣. 16. *Semper Gaudete.* Gaudium „*autem* verum, *ut ait* Cæſarius *admonition.* 2. „non poſſidetur, niſi *Pax* & *Juſtitia* teneatur. Prima enim eſt & quaſi radix *Juſtitia*: „ſecunda *Pax*: tertia *Gaudium*. De *Juſtitia* „naſcitur *Pax*, de Pace *Gaudium* generatur. Valeat itaque talis Terrarum Exarchus, qualis, quantumvis manibus pedibuſque abhorreat ab improbo Magiſtratus Vigilantis labore, ita tamen præſumit gaudere inſigni Ejuſdem honore, ut ſibi furtim Lucernam lucentem & exardentem pro Hieroglyphico pingat cum iſthac ſymbolica ſubſcriptione: *Dum Aliis Inſervio, Conſumor.* Conſumant alii horas multas ſuaviſſimo ſermone, nos ſaltem aliquantiſper hîc ſuggeramus animo percipiendum & memoriâ cuſtodiendum illud Bernhardi; *Non recti planè, ſed perverſi animi eſt* Quærere *Gloriam*, & non exercere *Virtutem*, & velle *Coronari*, qui *Legitimè* non certavit. Certabit autem nemo melius illo cordato filio matris talis regiæ *Fortitudinis*, qualem laudatus Lonicerus inducit ſic eloquentem:

Juſtitiæ eſt mihi cura ſacræ, quam fortibus auſis
Defendo: ingenti pectore terror abeſt.

Fida mihi Pallas socia est, hæc suggerit arma
Læta quibus vanum vinco fugoque metum.
Haud temerè est animus caput objectare periclis,
Addita ne risu damna pudenda feram.
Pro patria pulchram propero per vulnera mortem,
Est vita potior hic Mihi Laudis Amor.

Amor laudis quoque illum agitat populi pastorem, qui se talibus conformat LL. quales ad puniendum non iracundiâ, sed æquitate ducuntur, juxta symbolum quod *Trajanus* Imperator Judicibus sic dabat, ut effingeret ipsis *Fulmen super pulvillum*, cum isthoc Lemmate: *Lenis Severitas.* Amor laudis etiam illum Reip. Episcopum ducit, qui gnaviter & continenter procurat, ut quotidiè Christus audiatur in choro, Panis vendatur in foro, justitia colatur in prætorio & securitas pacis inveniatur in toto territorio, juxta illud Boëthii: *Annus bonus non tam de bonis fructibus, quàm de justè regnantibus existimandus est.* Quia (ut *Jacobus Almanso* Africæ & Hispaniæ Rex alterutri Throni sui parti inscribi jusserat) *Rex sine Justitia est miles sine pluvia. Dives sine Charitate est cibus sine sale. Pauper sine Patientia est alveus sine aqua. Juvenis sine Castitate est lucerna sine lumine.* Amor laudis quoque illum Reip. præsidem trahit, qui, ut *Agathon* commonuit, commeminit, primùm quod homi-

mi-

minibus imperaturus, deinde quòd secundùm LL. gubernaturus, tertio quòd non semper regnaturus sit. Amor laudis etiam illum tenet Magistratum, qui studet ab inita Spartæ administratione abire aliquando non ditior sed clarior, ob illud Ambrosii: *Actio congruat nomini, ne sit nomen inane & crimen immane: honor sublimis & vita declivis.* Amor laudis quoque talem populi *Cotem* (ut *Alphonsi* Aragonum Regis voce de Magistratu utar) manet, qualis præcavet, ne (liceat uti vocibus *Pythagoræ*) Civitates suas ingrediatur primò luxuria, deinde saturitas, postea contumelia, postremò exitium. Amor laudis etiam mulcet illum Reip. administratorem, qui sibi identidem explicat & ruminat illud Philosophicum *Mexicanorum* scitum, qui quoties Regem novum inaugurant, toties ab eo jusjurandum postulant, quòd Justitiam sit administraturus, subditos non oppressurus, in bello fortis ac strenuus evasurus, denique curaturus, ut Sol cursum suum ac splendorem retineat, nubes pluviam largiantur, fluvii aquis manent & terra ubertim fructus suos proferat. Amor laudis denique in tali Domino dominatur, qualis inter *simulandum & dissimulandum* sæpe philosophatur; quod *hæc Omnium Regum ac Gregum meta est*, Mori; *Paucorum*, Bene Mori. Mori autem benè

præter cæteros videtur, qui in Heroico fidei Christianæ studio ac stadio totũ sanctitatis ac justitiæ curriculũ procul ullo mancipiorum metu decurrit, animæ suæ hîc ædificans *vestibulum* ad *Paradisum*. Quò forsitan ille Prætor olim respexit, qui hoc sibi post necem suam Epitaphium condi jussit:

Nuper eram Judex; jam Judicis ante Tribunal
Subsistens, paveo: Judicor ipse modò.

„§. 42. *Quo facto, cœpit* flamen *Dialis* „*aut* Martius *solemniter immolare tauros* „*aliasque hostias præpingues.* Macra quippe credebant fore suo Statori Jovi Opt. Max. aut Marti ingrata, juxta illud vatis:

Sit maledictus homo, qui macris imbuet aras;
Sit benedictus homo, qui sacra lauta dabit.

Dabantur itaque olim *P. Decio* ab suo Imperatore præter alia militaria dona quoque centum boves, eximiusque *unus albus*, opimus, *auratis cornibus*, ad immolandum Marti, ut contuearis apud Livium lib. 7. & Baccherium in flavissis Poëticis p. 686. *Tandem hac pompa per urbem Imperator in Capitolium pergebat, ubi taurum immolabat ac lauream in sinu Jovis deponebat.* Taliter olim Roma suis Triumphis gaudebat magnificis. Magnificentiore autem Triumpho nonnunquam gaudet Ecclesia, prout inter cæteros abhinc decennio vidit illuminato *mentis* oculo

ocu-

oculatus ille *Crucius*, qui lib. 6. epiſt. ad *Robertum Junium* (poſteaquam hic electus Dei homo in ſuam patriam Batavam ad agnatos & gentiles reverſus erat ex India Orientali, ubi XIII. amplius annis inter Ethnicos agreſtes & nudos inſulæ *Formoſæ* idololatras erat converſatus, eoſdemque non modò ſuâ Euangelica prædicatione & ſancta converſatione ab idololatria abominanda & barbarie morum deteſtanda liberaverat, verumetiam inſuper divino cultu & Religione Chriſtiana imbuerat, atque præter permultos infantes ſupra 5500. adultos ſacro Baptiſmatis fonte tinxerat & cœna Domini confirmaverat) poſt alia ſic gratulabundo ſtylo ſuo ſcripſit: *Magnificentius longè triumphaſti, quàm Imperatores olim Romani, equis albentibus invecti in Capitolium; quia illi de hominibus tantùm debellatis, Tu de Portis Inferorum, de Regno Satanæ.* Vixerunt qui crediderunt, Triumphalia non ſine Divinæ Providentiæ inſtinctu Latinis Ethnicarum literarum monumentis eſſe conſignata, ſed potius exarata propter Chriſtianos quàm propter Romanos. Chriſti quidem Vicarius vult audire Pontifex Romanenſium animarum Maximus, ſed more *Vitaliani* in calamitatibus publicis exantlatis ne ſemel quidem canit: *Te Deum laudamus.* Quid igitur hodiè antiquis Romanis præ-

ſtant Ethnicis, qui nunquam publicas agunt Deo gratias niſi quando omnes naves in portu ſalvæ renavigant, aut unus in Chriſtum baptizatus exercitus exercitum Chriſtianonymum alium cecîdit Apoc. 16. ℣. 16. Plura adderem, niſi illud Gregorii in Prov. 15. mente volverem atque revolverem: *Sapiens non ſolum quod loquitur, ſed etiam oportunitatem loci & temporis & perſonæ, quum loquitur, diligenter inquirit.*

§. 41. Quibus omnibus atque ſingulis ritè peractis, donariiſque quibuſdam dedicatis, quum in porticibus ibi cœnatum eſſet, veſperi tibiis & fiſtulis prægredientibus domum Triumphator redibat, quò ipſum comitantes reliqui cives omnes deducebant & poſtmodum ad ſuos quiſque penates divertebant, ne nimietate voluptatis participatæ elangueſcerent, ſed interquieſcerent, juxta interdictum Sapientis: *Ne quid nimis.* Nimietatem enim faſtidit omnis animus liber. Liber autem eſt animus & verè conſtans, cum ex alto ſapientiæ faſtigio iſthæc terrena deſpicit, atque omnia velut minuta contemnit, quæ pro maximis vulgus ſuſpicit; cum divina ruminat, & humana longè infra dignitatem ſuam collocat; cum denique ſuus totus eſt, cum omninò ſecum eſt & ab externis omnibus in ſe ſuaque reverſus,

erigit

erigit ſe ſupra blandimenta converſationis quotidianæ & ſupra terriculamenta fortunæ ludibundæ, ſine ullis præſidiis, parmis ac armis, etiam inter infeſta feris teſqua ſecurus atque gaudio triumphans,

Sive per Syrtes iter æſtuoſas,
Sive facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

CAPUT XXIV.

MEmorabile videtur eſſe, quod apud *Nieſſium* in eximio illo libello pædagogico; qui inſcribitur *Alphabetum Dei & Diaboli*, anno cIↃ IↃ cI. in Gallia fertur contigiſſe, & ſuis *Nicolaum Dunelmenſem* oculis conſpexiſſe, quod pater quidam literatiſſimus evaſiſſet tam illiteratus, ut denuò à filio ſuo literato literas edoceri cogeretur. Ille autem Vir erat *Simon Thuruaius* Anglus, quippe qui quum eſſet Dialecticus acutiſſimus & artium liberalium Pariſiis Profeſſor, plenior *ſcientiâ* quæ inflat quàm *charitate* quæ ædificat, temerè in ſcholis & propalam in circulis non eſt veritus jactitare; *ſe ſcire quicquid Lex Chriſtiana noſſet, quam & improbando poſſet, ſi vellet, evertere.* Quæ hominis impudentiſſimi

jactantia ita divinitus punita repentè est, ut primarum literarum oblitus, nec Dominicam quidem Orationem pronunciare, nec Alphabetum legere posset; juxta vaticinium Virginis virginum de Processu Divinæ Providentiæ exsequutivo contra quævis mortalia inanis jactantiæ mancipia: *Forte brachio suo facinus edidit; superbos cogitatione mentis ipsorum dispersit.* οὐ γὰρ ἐᾷ φρονεῖν ἄλλον μέγα ὁ Θεὸς, ἢ ἑωυτὸν, inquit Herodotus, perinde ac si combibisset vocem reformati illius ex superbissimo in humillimum Rege Regem Regis *Antiochi Epiphanis* ex 2. Macch. 9. ℣. 12. *Justum est; esse subditum* Deo, *& mortalem non sentire paria* Deo.

§. 1. Memorabiliora autem ego de Materia nostra silentio transmisi, dum augustum amplissimorum Triumphorum ritum Laconicè descripsi, qui longè capaciorem expositionis campum emerebatur & meas excusantis aures insimul illo *Libanii* protreptico imbuere videbatur: Βουλήθητι μόνον, καὶ πάντα ἕψεται. Quid quæris? Modus scribendi sæpe non est penes scriptorem, sed penes lectorem, & brevis oratio detinet conciliatam Auditoris benevoli attentionem in affectu, qui prolixitate nimis verbosa elanguescit.

§. 2. Nondum enim commemoratis inter-

termiſcui, quod hoſtiles exuviæ & ſuperba ſubactarum provinciarum ſpolia, poſtquam ſolemni triumphalique in Urbem apparatu illata fuerant, arma videlicet, phalaricæ, catapultæ, tela, tormenta, ſcuta, vexilla, ſigna, ſariſſæ, haſtæ, baliſtæ & id genus alia, Victoris poſtibus domeſticis, templorumque valvis atque muris veluti ſacrum quid ad perenne rerum præclarè geſtarum monimentum affigebantur, juxta illud Maronis l. 7. Æn.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque roſtra carinis.

Et juxta illud Naſonis:

Scuta, ſed & galeæ gemmis radientur & auro,
Stentque ſuper victos trunca trophæa viros,
Oppida turritis cingantur eburnea muris &c.

Adde quod hoc Diſtichon apud Plutarchum in Timoleonte inſcriptum refertur clypeis, quos victis hoſtibus ereptos in Deorum templis pro more ſupenderant Syracuſanorum hoſtes:

Τὰς δὲ ζὰς ὀστρογραφεῖς καὶ χρυσελεφαντεπιλέκτρους
Ἀσπίδας, ἀσπιδίοις εἵλομεν εὐτελέσι.

Niſi deproperarem, huc annotarem illud Euſebii Cæſarienſis l. 9. c. 9. *Statim denique ubi*

ubi imagines sibi (Constantino Magno Imp. post victum Maxentium) *ob honorem Triumphanti Senatus erexit Vexillum Dominicæ Crucis, in dextra suâ jubet depingi & subter adscribi*: Quia in hoc singulari signo, quod vere est Virtutis insigne, Urbem Romam Senatumque & Populum Romanum jugo Tyrannicæ Dominationis ereptum pristinæ Libertati Nobilitatique restitui. *Ecce tibi novum Ecclesiæ Trophæum*! Edisserant alii: *Absque hoc fuisset, Apocalypsis pauciora* XXII. *capitibus capita habuisset.* Atenim ego existo, & cogito illud *Eusebii Hieronymi* in vita Malchi: *Postquam Ecclesia cœpit habere Christianos Magistratus, facta est quidem opibus major, sed virtutibus minor.* Enimverò mihi notum est non tantum illud Clementis: ὁ δοῦλος εὔνοιαν φερέτω πρὸς τὸν δεσπότην μετὰ φόβου Θεοῦ, κἂν ἀσεβὴς, κἂν πονηρὸς ὑπάρχῃ, juxta 1. Pet. 2. vers. 12. verum etiam illud Taciti de pastoribus populorum: *Ferenda Regum ingenia.* Ex. 20. ℣. 12. Matt. 17. ℣. 27.

§. 3. Nondum accuratè examinavi solemnem illum antiquorum Romanorum morem in erigendis dicandisque hostium spoliis, juxta illud Silii Italici:

Affixi clypei, currusque & spicula nota
Ædibus in parvis, magni monimenta Triumphi.

Silentio dissimulo illud Israëlitici Pontificis Abimelechi sic *Davidem* Pium secundum

dum à Primo Iſraëlitarum Rege Tyrannico Saule profugientem alloquentis 1. Sam. 21. ℣. 10. *Ecce tibi gladius Goliathi Philiſtæi quem percuſſiſti in valle Terebinthi, ecce is eſt panno involutus poſt Ephod.* Quod autem Eccleſia ſuis quoque gaudeat Trophæis, liquet inter cætera ex diſputatione Romani illius Epiſcopi *Zepherini*, qui contra *Proculum* Cataphrygem apud Euſebium Cæſarienſem l. 2. c. 25. ait: *Ego habeo Trophæa Apoſtolorum, quæ oſtendam. Si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit aut via Hoſtienſi, invenies Trophæa defixa.* Quid? quod de Athanaſio *Julius* Archiepiſcopus ad fratres Alexandrinos apud Caſſiodorum l. 4. c. 29. ſic ſcribit: *Promeruit igitur quolibet modo & nunc & in futuro etiam Profeſſionis glorioſum Martyrium. Frequenter enim terra marique plurimum æſtuatus, omnem pravitatem Arrianæ conculcavit Hæreſeos, & crebrò per invidiam uſque ad periculum impulſus contempſit mortem, munitus Omnipotente Deo & Domino Jeſu Chriſto Salvatore noſtro, ſperans & inimicitias declinare, & conſolationi veſtræ reſtitui, deferens vobis majora* Trophæa *& fortiſſimam Conſcientiam, pro quibus & uſque ad terminos totius terræ apparuit glorioſus.* Taceo *Trophæa Virtutum*, quibus ex Chriſti merito Eccleſia triumphat, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 1. verſ. 30. *Chriſtus Jeſus factus eſt nobis à Deo Sapientiâ, Juſtitiaque & San-*

Sanctificatio & Redemptio. Redemta autem talis Ecclesia omnis hodieque suis Trophæis triumphabit, qualis illud Crucii ad suum Dancardum lib. 6. epist. pag. 554. & 555. continenter observabit: *Non alia ratione magis*, Veritas *amittitur, quàm qua plerique eam quærunt. Tu, Vir doctissime, excita quidquid in te est curæ, diligentiæ, contentionis, atque industriæ, ut animas* CHRISTO *lucrifacias; huc dirige scopum studiorum, huc labores, ut Ecclesiam ædifices; & fiet si non doctiorem solùm eam reddas, sed & meliorem. Quid enim Cognitio, sine Moribus? quid Scientia, sine Conscientia? hoc præsertim seculo quo nullum fertilius Religionum, & sterilius pietatis,* Εἰ ταῦτα οἴδατε, *inquit Servator noster* Christus, μακάριοί ἐστε, ἐὰν ποιῆτε αὐτά. Ignatius: οὐ λέγειν μόνον, ἀλλὰ καὶ εἶναι ποιεῖ χριστιανούς. *Augustinus*: Summa Christianæ Religionis est imitari eum quem colis. *Scientia sine timore Dei, non servat hominem imò quanto plus scit, tanto gravius judicabitur, nisi sanctius vixerit.* Ὀρθοδοξία *fateor seriò, ac sedulò defendi debet, contra portentosos hæreticorum errores, ne quid de puritate doctrinæ salutaris decedat. Malè enim vivitur, ubi de Deo, & divinis non benè creditur: sed vicissim inutiliter creditur, ubi non benè vivitur, & Christiani non sunt, qui dignam Christiano vitam non agunt. Quid prodest* homini *Scientia, sine Conscientia, non ex Scientiæ Libro,*

sed

conſcientiæ, judicando? *Suavior harmonia dari non poteſt, quàm quum vita linguæ, & lingua vitæ congruit, cum Theoriam comitatur Praxis, quæ non modò quæ recta ſunt ſcit, ſed facit. Hanc urgere, & inculcare quà publicè, qua privatim, verè eſt* Concionari. *Quid enim utilius moneri corrupto hoc ævo poteſt, quid ſalutarius in tanta morum licentia, quàm ut verba factis, vita profeſſioni reſpondeat?*

§. 4. Nondum condignè enumeravi ſuperba Regum trophæa, *Triumphales*

Indutoſque *Arcus*, ſpoliis *æquataque Templa*

Nubibus, ut *Claudianus* canit in Stilicon. l. 3. addens paneg. 4.

Æraque veſtitis numeroſâ puppe columnis.

Quâ autem cauſæ προκαταρκτικῆς perſuaſione inducti Trophæa poſuerint Victores ac Triumphatores, petas tam ex aliis quàm è Juvenale ſic condocefaciente:

Bellorum exuviæ truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Apluſtre, & ſummo triſtis captivus in arcu;
Humanis *majora* Bonis *creduntur: ad hoc ſe*
Romanus Grajuſque & Barbarus Induperator
Erexit: cauſas diſcriminis atque laboris
Inde habuit: Tantò major Famæ ſitis *eſt quàm*
Virtutis! *Quis enim* Virtutem *amplectitur ipſam*

Præ-

Præmia *si tollas? Patriam tamen obruit olim*
Gloria paucorum, & Laudis Tituliqne cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus.

Nolim adscribere illud Xenophontis: *Multò præclarius est Beneficiorum quàm Trophæorum relinquere memoriam.* Memoriam igitur sempiternam infert in domum suam ille Ecclesiæ Minister, qui libentius ex suo ipsius marsupio nonnullis Christi fratribus sororibusque elargitur, quàm qui nulli egenti benefacit, sed quosvis supplices à se ad gazophylacium Diaconorum fideicomissarium remittit, etiamsi tanto ipse stipendio annuo, allodiali patrimonio & dotali thesauro gaudeat, ut nunquam per Excusationis Justæ viam cum paupertino illo Apostolo *Petro* confiteri necesse habeat: *Ego Argentum & Aurum non habeo*, Act. 3. vers. 6. Taceo quod ad inclytum Trophæorum punctum respexit vates noster Christianus *Aurelius Prudentius* sic versificans:

Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadrijugos, stantesque Duces in curribus altis,
Sub pedibusque Ducum captivos poplite flexo
Ad juga depressos, manibusque in terga retortis
Et suspensa gravi telorum fragmina trunco.

Nec non in illo suo, quo Urbem alloquitur, Alloquio:

Vis decorare tuum, ditissima Roma, Senatum
Suspen-

Suſpende exuvias armis, & ſanguine captas
Congere cæſorum victrix diademata Regum.

Ubi tamen potiſſimum ſancta viri Poëſis alludit ad Triumphales Martyrum victorioſorum coronas, de quibus Ambroſius in Pſ. 118. ſic eloquitur: *Tolle Martyrum certamina, tuliſti coronas.* Quotuſquiſque enim neſcit, clavos illos, quibus *Petrus* fertur cruci veſtigiis inverſis ſuffixus, & enſem, quo *Paulus* commemoratur decollatus, à *Chryſoſtomo* ſic rapi in materiam ſanctæ jactantiæ ac piæ ſuperbiæ: *Sit mihi gladius ille pro corona, & clavi Petri pro gemmis infixis in diademate.* Quod autem Humana Vita admodum nil ſit niſi catenata militia, non tantum Jobus ſcivit ὑπεϱδιδάσκειν, ſed Arrianus Philoſophus etiam ſic ὑποδιδάσκειν: Στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου, καὶ αὕτη μακρὰ καὶ ποικίλη. Atenim *Chriſtianis* potiſſimum

Nunquam bella piis, nunquam certamina deſunt.

Quippe quos, teſte *Haymone*, nunquam Princeps hujus Mundi Tyrannicus acrius perſequitur, quàm eá tempeſtate, quâ ferreo ejus dominio ulterius ſubſervire nolunt, ſed valedicunt & ex antiquâ ipſius Sodoma, Ægypto & Babylone, *ubi Dominus noſter hodieque crucifigitur*, aufugiunt & mare vitreum pertranſeunt pariter atque præviis illorum credentium veſtigiis conſtanter inſiſtere præſumunt, qui Con-
ſcien-

ſcientiam adverſus Mundi illecebras, Carnis lenocinia & Satanæ præſtigias benè communiunt, atque Sanctè & Juſtè in Chriſto Jeſu vivere perſeverant uſque ad ſupremum animæ halitum. Halitum itaque vitæ ſuæ ultimum ille miſerè efflabit, qui nunquam divino Verbo veterique Jambo huic auſcultabit:

Domi & foris ægrè quod ſit, ſemper eſt ſatis.

Neu illi Trochaico:

Non ferre Infelicitatem, ſumma eſt Infelicitas;

juxta illud Chryſoſtomi: *Unum ſolum malum eſt peccare.* Quid? quod Calamitatum omnium maxima ſit, nondum ad calculum veniſſe Luc. 14. verſ. 28. & 31. Id enim plerumque omittimus, quod Calamitatis fundus eſt; *Humanas ærumnas & miſerias non poſſe, non velle, & tamen tolerare cogi.* Quippe

Animo benè habenti, Calamitas quævis, levis;
Etiam Calamitas Calamitatis eſt ſolatium.

Quippe cæleſtis ille Georgius *Deus Opt. Max.* fellea abſinthiorum ſuorum ſemina per cunctas mortalitatis noſtræ humanæ vineas tam copioſè diſſeminavit, ut ne opulentiſſimus quidem Coſmopolita per omnem vitam ſuam poſſit bibere Falernum gaudiorum perpetuorum meracum; ſedenim

Afflictio, indiviſa Virtutum eſt comes.

Rectè agis? Non procul aberit Invidia.

Malè

Malè agis? In ſinu extemplò mala evigilabit, allatrabit & perterritabit te Conſcientia, & Nemeſis eveſtigiò flagellis tuo ſuis inhærebit tergo; juxta adagium vetuſtate tritum & veritate communitum: *Eumenides ſemper Virgines.* Nota eſt ratio Gregorii l.23. mor. c.15. *Quia in hac vita adhuc homo poſitus, in cujuslibet Ordinis loco, in cujuslibet ſecreti ſeceſſu vivere ſine Tentatione nullatenus poteſt; plerumque in eo, quod ad Requiem conſtruitur, major dolor Tentationis invenitur.* Invenitur quoque apud *Hieronymum* tom.6.l. 4. in c.26. Matth. hoc ſuffragium: *Impoſſibile eſt, Humanam Animam non tentari. Unde & in Oratione Dominica dicimus*: Ne nos inducas in Tentationem; *quam ferre non poſſimus. Non Tentationem penitus refutantes, ſed vires ſuſtinendi in Tentationibus deprecantes. Ergo & impræſentiarum non ait*: Vigilate & Orate, *ne tentemini*, *ſed*, ne intretis in Tentationem, *hoc eſt, ne Tentatio vos ſuperet & vincat, & vos intra caſſes teneat.* Teneant igitur illi omnes (qui conſciunt ingenium ſui veteris Adami hoſtis inteſtini conſpirantis cum Leonino ac Vulpino Mundo Mundique Principe Diabolo, qui ſe callidiſſimum callidiſſimè callet transfigurare in Angelum Lucis, quamvis interea loci ſit antiquus ille Paradiſi Draco & Leo rugiens atque circumiens perquiſitum quemvis à vigilantia operoſâ & vi-

ctrici-

ſtricibus armis Myſticis imparatum, quem devoret) ſemper animo illud Auguſtini in Pſal. XC. *Vita noſtra in hac peregrinatione non poteſt eſſe ſine Tentatione: quia profectus noſter per Tentationem noſtram fit, nec ſibi quisquam innoteſcit niſi tentatus; nec poteſt coronari niſi vicerit, nec poteſt vincere niſi certaverit, nec poteſt certare niſi Inimicum & Tentationem habuerit.* Quid? quod, *Gregorio* teſte l. 2. moral. c.24. *tantò copioſior erit fidelium gloria, quantò eis irrogata fuerint graviora prælia.* Credamus itaque fide vivâ perſeveranter Archiſtratego ac Brabeutæ noſtro, quippe qui mentiri neſcit, ſed præſtando præſtabit ac donando donabit, quod unicuique electorum ac cordatorum commilitonum ſuorum cum reproba inexpiabilium hoſtium commemoratorum triga ad Victoriam Triumphatricem uſque confligentium adpromiſit: Apoc. 2. 10. *Tu ad Mortem uſque fidelis eſto, & Ego Tibi Vitæ Coronam dabo.*

§. 5. Nondum niſi perfunctoriè recitavi; omnium ſæpiſſimè ſingulos ſingulis Impp. Triumphos fuiſſe decretos, etiamſi nonnunquam unus atque alter bellum unà confeciſſent.

§. 6. Nondum ſatis admodum animis inculcavi illud Ciceronis in L. Calpurnium Piſonem: *Diſſeres de Triumpho. Quid tandem habet iſte currus? quid vincti ante currum Duces?*

quid

quid ſimulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? Inania ſunt iſta, mihi crede, delectamenta penè puerorum, captare plauſus, vehi per Vrbem, conſpici velle. Quibus ex rebus nihil eſt, quod ſolidum tenere, quod referre ad voluptatem corporis poſſis.

§. 7. Nondum ſatis emedullavi illud Suet. Tranquilli in Serv. Sulpic. Galbam Imp. c. I. *Progenies* Cæſarum *in Nerone defecit. quod futurum compluribus quidem ſignis, ſed evidentiſſimis duobus, apparuit.* Liviæ *olim poſt* Auguſti *ſtatim nuptias Vejentanum ſuum reviſenti, prætervolans* aquila, *gallinam albam*, ramulum lauri *roſtro tenentem, ita ut rapuerat, demiſit in gremium: cumque nutriri alitem, pangique ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſoboles provenit, ut hodiè quoque ea* Villa ad Gallinas *vocetur: tale verò* lauretum, *ut Triumphaturi Cæſares inde* laureas *decerperent: fuitque* Mos Triumphantibus, *alias confeſtim eodem loco pangere: & obſervatum eſt ſub cujuſque obitum, arborem ab ipſo inſtitutam elanguiſſe. Ergo noviſſimo* Neronis *anno, & ſylva omnis exaruit radicitus, & quicquid ibi gallinarum erat, interiit: ac ſubinde tacta de cælo* Cæſarum æde, *capita omnibus ſimul ſtatuis deciderunt:* Auguſtique ſceptrum *è manibus excuſſum eſt.* Ita namque vel inter Ethnicos mirificè

luſit in humanis Divina Potentia *rebus.*

§. 8. Nondum satis de *Scipione Superiore* (qui Pace *terra marique* partâ cum Carthaginiensi populo continuis bellorum cladibus jam fracto, Triumpho omnium ante ea tempora clarissimo in Urbem lætitiâ diffluentem invectus, invexit dignam Virtute sua venerationem) dissertavi juxta illud Appiani Alexandrini: ,, *Scipio post* ,, *hæc ex Lydia in Italiam profectus, universas co-* ,, *pias classe traduxit, Romamque ad Trium-* ,, *phum reversus est quem omnium ante se splen-* ,, *didissimum dicitur egisse; idque hac ferè forma* ,, *ab eo servata*: Sertis redimiti omnes *præ-* ,, *cinentibus tubis*, currus *spoliis* refertos *de-* ,, *ducebant. Ferebantur* & ligneæ turres, *ca-* ,, *ptarum urbium simulachra*, aurum *deinceps* ,, & argentum, *partim rudibus massis, partim* ,, *signatum*. Coronæ *præterea quas* Virtutis ,, gratiâ *Vrbes dedissent*. Candidi *subinde* boves ,, & elephanti *illos sequebantur. Post eos Car-* ,, *thaginiensium ac Numidarum Principes bello* ,, *capti. Imperatorem* lictores *præibant*, pur- ,, pureis *amicti* vestibus, *tum* citharœdo- ,, rum *ac* tibiarum *turba, ad Hetruscæ simili-* ,, *tudinem pompæ. Hi succincti, coronisque aureis* ,, *redimiti, suo quisque ordine canentes psallentes-* ,, *que procedebant, hos* Lydios *adpellant, ut* ,, *facilè crediderim, Hetruscos à Lydiis sumpsisse* ,, *originem. Horum in medio quispiam talari ve-* ,, *ste fimbriis ac armillis auro spendentibus ami-*

ctus

„ *ctus*, *gestus varios edebat*, hostibusque de„ victis *insultans*, risus *undique ciebat. Post* thu„ ris & odorum *copia Imperatorem circumste„ terant*, *quem* Curru deaurato *multifa„ riamque refulgenti candidi vehebant equi*, *au„ ream capite gestantem coronam*, *lapillis ornatam „ gemmisque. Is vestem succinctus purpuream pa„ trio more aureis intextam syderibus*, *alterâ manu* „ eburneum sceptrum, *alterâ* laurum *præ„ ferebat*, *quæ Romani* Victoriæ signa *profiten„ tur. Currum exercitus in turmas aciesque di„ visus sequebatur. Milites redimiti Lauro*, *Lau„ rum manibus præferentes*, *quibus* meritorum „ insignia *adjuncta. Aderant & qui hos laudibus „ vehebant*, *hos mordacibus salibus adspergebant*, „ *nonnullos infamiâ notabant. His pompæ splen„ doribus Imperator Capitolio adscensu superato*, „ *amicis epulas*, *nitidissima elegantiâ præbuit*. „ *Præter clarissimas profusionis habenas*, *præter „ quadragenos æris*, *quos militibus diviserat*, *æra„ rium pondo centum milibus* XXIII. *locupleta„ vit*, interpr. Joh. Servilio lib. 3. de splend. Roman. Triumph. fol. 137. & 138.

§. 9. Nondum omni cogitatione pertractavi, quæ maximè quasi perlucent è luculentis Auctorum antiquorum monumentis tradita de Triumphalibus Ornamentis. *Ornamenta* autem *Triumphalia* (quibus ceu novo honoris tenuioris genere ab Augusto excogitato post *Agrippam* suo

Modestiæ exemplo prælucentem Victores complures ad evitandam Summorum Principum ac Dominorum Romanorum invidiam contenti fuerunt) fuisse creduntur Supplicationes decretæ, Appellatio Imperatoris, Laurea Corona, Prætexta seu Trabea Triumphalis, Sceptrum, Statua, Sacrificia & cætera Triumphantium Ducum insignia, ultra quæ in Currum eburnum non transiliebant, sed illum cum tota magni & justi Triumphi pompa solis Augustis relinquebant, juxta antiquum proverbium: *Piscator ictus sapit.* Quippe omnis ferè aula consuevit abuti suspensis duobus ad clavum trabalem palimpsestis; uno prægrandi *Malevolentiarum* atro, & altero exili *Benevolentiarum* albo. In hoc conspicias nomina permultorum aulicorum ministrorum à Domino dispuncta & in illum transcripta, juxta rhythmum Teutcum:

Der Herren Gunst vndt Rosenbletter
Stehn vndt gehn als Aprillen Wetter.

Quippe nulla ferè Dearum tam sæpè ac temerè cultores sui devotissimos pessundat & confundit quàm *Fortuna Aulica*, ut *Politici* plerique loqui amant & clamant; *Se malle vivere in secura caula, quàm in insidiosa aula.* Aulicus illo magnus *Eduardus de S. Mauro* (quem *Edwardus* VI. Britannorum Rex regali Somer-

merſetiæ feudo ſolemniter inveſtiverat) inter cæteros illud habuit compertum honorum plenus & titulis onuſtus, uſqueadeò uti ſalutaretur *Dux Somerſettiæ, Comes Hertfordiæ, Vicecomes de Bellocampo, Baro de S. Mauro, Avunculus Regis, Gubernator Regis, Protector Regnorum, Dominiorum & Subditorum ejus, Locum tenens Exercituum terra marique, Theſaurarius, & Comes Mareſchallus Angliæ, Præfectus Inſularum Grenſay & Jarſey &c.* Sedenim ſubitò hic Megalander palatinus quaſi fulminante invidæ Deæ tactæ ludibrio afflatus & tantoperè proſtratus eſt, ut levi de crimine eoque ab æmulis inſidiantibus compoſito offenſam Regis inexpiabilem incurrerit & honorificentiam ſuam omnino omnem cum vita amiſerit. Beatus eſt igitur ille, qui non adorat Idolum illud Fortunæ Mortuæ, ſed ſolum Nomen vivi Jehovæ, qui ſic intonat per os Jeremiæ Prophetæ: *Maledictus vir ille qui fiduciam habet in homine, & Carnem ſtatuit brachium ſuum, à Jehova autem recedit animus ejus. Erit enim ſimilis nudatiſſimæ arbori in loco campeſtri, quæ non ſentit quum Bonum advenit; quæ ſita eſt in ſicciſſimis deſerti locis, terra ſalſuginoſa & inhoſpita. Benedictus autem vir ille, qui fiduciam habet in Jehova & cujus confidentia eſt Jehova. Et ſimilis enim erit arbori ad aquas plantatæ & ſecundùm aquarum proceſſum*

radices suas agenti, quæ non sentit quum æstas ingruit, sed foliis virentibus triumphat; & cohibitionis anno sollicitudine non laborat neque cessat quin fructum faciat. Facit huc illud Ambrosii: *De divina miseratione tunc sperandum amplius est, cum præsidia humana defecerint.* Prolixior forem in hoc Discursus articulo, nisi inopinanter ex transverso intercurrerent, quæ calamum sufflaminarent. Ita nempe dividitur vita hominis, ut non semper nostri juris esse videamur, sed majorem longè ejus partem labores habeant improbi & alligatos teneant ad muneris nostri catenam, quæ si interdum laxari potest, solvi non debet, quamdiu in hoc Mundi ergastulo versamur, penso nobis à Deo imposito, defuncturi. Enimverò præter cætera hoc est cujusvis ferè augustalis ingenium, ut facilè rem casu ortam convertat in Legem; quemadmodum contestatur narratio de laudato Agrippa, quippe qui, licet sibi in Urbe essent decretæ Supplicationes atque Triumphus, triumphare tamen nimiâ honorum assiduitate satiatus noluit, posteaquam anno Urbis conditæ DCCXL. Cn. Lentulo & M. Crasso Coss. Bosphoranos, qui Asandro mortuo, à Scribonio quodam sollicitati fuerant, subegerat & nihil de re bene gesta ad Senatum perscripserat. Unico enim

enim ille hoc ſuo tyrocinio abſtinentiæ poſito permultis Victoribus ſucceſſoribus ita interſepſit viam ad Triumphatum, ut nec literas laureatas Romam miſerint, nec decretis Triumphis gaviſi ſint, ſed omne Jus Triumphandi laurigerum Auguſtis ſibi ſolis habere juſſerint. Ut enim ſub gubernatione Romanæ Reip. regiâ Reges Jus Triumphandi cum reliquis Regalibus Majoribus ſibi arrogabant: Ita ſub Cæſarea Regiminis forma ac norma ſolis Auguſtis Triumphatus, qui apud Romanos cenſebatur eſſe decus omnium maximum ac ſummum, vulgò tranſcribebatur. Tranſcribatur huc illud *Lazari Bayſii* ICti eximii ad Cardinalem *Johannem à Lotharingia* anno παρθενοτοκίας cIɔ Iɔ XLIX. in tractat. de re veſtiaria ad l. veſtis. ff. de aur. & arg. legat. cap. X. pag. 47. & 48. *Quæ verò eſſent*
„ Triumphantium Ornamenta, *quorum fre-*
„ *quens mentio apud Tacitum & Plutarchum*,
„ Livius *in* X. *ſecundi Belli Punici docet his ver-*
„ *bis*: Ibi Maſiniſſam primum Regem ap-
„ pellatum, eximiiſque ornatum laudibus,
„ aurea coronâ, aurea paterâ, ſella curuli
„ eburnea, & ſcipione eburneo, togâ pi-
„ cta & palmata tunicâ donat. *Addit verbis*
„ Honorem: *Neque magnificentius quicquam*
„ Triumpho *apud Romanos*, *neque Trium-*
„ *phantibus ampliorem eo Ornatu eſſe.* Quibus

„ verbis, *ni fallor*, annumerantur *ea*, *quibus* „ *ornabantur Triumphantes*: his ipſis etiam „ verbis *palam fit*, *quæ ſint illa* antiqua Pa- „ trum munera, *quorum meminit Tacitus in* „ IV. Miſſuſque eſt è Senatoribus, qui „ ſcipionem eburneum, togam pictam, „ antiqua Patrum munera daret, Regem- „ que & ſocium atque amicum appellaret. „ *Togam pictam* alibi Livius *purpuream* appel- „ lat *in Primo Belli Macedonici*, Dona ampla „ data, quæ ferrent Regi; vaſa aurea ar- „ genteaque, togaque purpurea, & toga „ prætexta. *Quare falluntur qui* Togam præ- „ textam *pro* purpurea *ſumpſere*. *Tullius* „ *ſecunda in Antonium*: Sedebat in roſtris „ collega tuus; amictus toga purpureâ, „ in ſella aurea coronatus: adſcendis: ac- „ cedis ad ſellam. *Plutarchus in Antonio hanc* „ veſtem purpuream *Veſtem Triumphalem* „ vocat: Καίσαρ δὲ κεκοσμημένος ἐσθῆτι θριαμ- „ βικῇ, καὶ καθήμενος ὑπὲρ βήματος ἐν ἀγορᾷ „ τοὺς διαθέοντας ἐθεᾶτο. *Quin & his Livii ver-* „ *bis adducor ut credam*; Veſtem illam, *quam* „ *ſacri Euangelii ſcriptores* purpuream *&* pur- „ ram *dixerunt fuiſſe* Togam purpuream, „ *quæ &* picta *dicebatur*, in Servatoris noſtri „ ludibrium *ſcilicet*, tanquam à S. P. Q. R. „ miſſam *illi qui ſe* Regem Judæorum *dice-* „ *ret*, *ut mentiebantur Judæi*.

§. 10. Quod quum conſtet nobis noſtræ

Præ-

Præteritionis Rhetoricæ ratio ex Luciano ſic perorante: ὐδενὸς ἀνθρώπων βίος ἐξαρκέσειεν ἂν ὡς ἐπὶ πάντων ἐλθεῖν, καὶ ἕκαστον ἀκριβῶς ἐπιδεῖν, καὶ ἐπιδόντα κρῖναι, καὶ κρίναντα ἑλέσθαι, καὶ ἑλόμενον φιλοσοφεῖσθαι: eapropter animus noſter jam valedicat ſolo & ſeſe committat ſalo, atque ibidem pauliſper inter velificandum contemplabitur; Quomodo Prælio Navali Victor inde in Tiberina oſtia enaviget, ut Romæ triumphet.

CAPUT XXV.

TRiumphum Navalem ille Imperator triumphabat, qui Claſſem hoſtium oppugnatum armis victricibus & viris pugnacibus ſuperârat. O illachrymabile ſpectaculum! Si quis enim prælio terreſtri cadit, nunquam profundius quàm in ſinum matris ſuæ decidit & lautum fit epulum fratribus ac ſororibus ſuis anthropophagis vermibus ac ſerpentibus, juxta illud Canoniſtarum ad quemvis ſuorum mathetarum: *Terram teris, terram geris, & in terram converteris.* Superatus verò prælio navali, ſic in alieno perit elemento, ut victima naufragans truculentiſſimo voraginoſarum abyſſorum Neptuno offeratur & mox ſquamigero ejus exercitui novum

fiat jentaculum transſubſtantiandum, prout diſputatur in Articulo Myſterii Reſurrectionis Mortuorum. Hinc Achilles, Thyeſtes, Æneas, & conſimiles priſci Heroës confeſſi ſunt; *ſe malle interfici in prælio quàm exſtingui in Oceano.*

§. 1. Primus omnium de Pœnis Triumphum Navalem apud Romanos anno ab Urbe Condita CDXCIV. Duilius Conſul egit, de quo in epitome amiſſi lib. XVII. Livii ſic legas: *Cn. Cornelius Conſul à claſſe Punica circumventus, & per fraudem, veluti in colloquium evocatus, captus eſt. C. Duillius Conſul adverſus claſſem Pœnorum proſperè pugnavit, primusque omnium Romanorum Ducum Navalis Victoriæ duxit Triumphum, ob quam cauſam ei perpetuus honos habitus eſt, ut revertenti à cœna tibicine canente funale præferretur.*

§. 2. Verboſior autem narratio Flori ſuper iſthoc Triumpho Navali exſtat lib. 2. c. 2. de Bello Punico Primo his: *Duillio Cornelioque Coſſ. etiam mari* ille paſtoritius populus *congredi auſus eſt.* Tum *quidem ipſa velocitas claſſis comparatæ, Victoriæ auſpicium fuit. Intra enim ſexageſimum diem quàm cæſa ſylva fuerat*, CLX. *navium claſſis in anchoris ſtetit; ut non arte factæ, ſed quodam munere Deorum converſæ in naves, atque mutatæ arbores viderentur. Prælii verò forma mirabilis: quum illas celeres, volucreſque hoſtium naves, hæ graves tardæque*

dæque comprehenderent. Longè illis plus nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fugâ rostra. Injectæ enim ferreæ manus machinæque aliæ, ante certamen multum ab hoste derisæ: coactique hostes quasi in solido decernere. Victor ergò apud Liparas, mersâ & fugatâ hostium classe, primum illum maritimum egit Triumphum. Cujus quod gaudium fuit? Quum Duillius Imperator non contentus unius diei Triumpho, per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia, præcinere sibi tibias jussit, quasi quotidiè triumpharet. Scilicet *Musica Dîs Curæ est.*

§. 3. Triumphus Navalis quoque *L. Æmilio Regillo*, posteaquàm classe præfectum Antiochi Regis devicerat, decretus est, teste Livio dec. 4. l. 7. mihi pag. 364. ubi de illo sic commeminit: *Triumphavit Cal. Februariis. In eo Triumpho undequinquaginta coronæ aureæ translatæ sunt: pecunia nequaquam tanta pro specie regii Triumphi. Tetradrachma Attica* XXXIV. *millia* DCC. *cistophorûm* CXXXII. *millia* CCC.

Fuit equidem, teste Plinio l. 33. c. 1. laudato Triumphatori Duillio statua cum columna rostrata in foro Romano decreta: si quis autem modernus Thalassiarcha Belgicus omnem Turcicorum myoparonum classem prælio maritimo devicisset, incendisset, mersisset, ipsi Amstelredami hodieque decerni longè magnificentior

Triumphus Navalis poſſet quàm olim ulli Victori Romæ. Namque maritima Turcicorum prædonum latrocinantium promontoria, clauſtra, oſtia, portuſque jamdudum commerentur, ut ab evigilante Chriſtiani cujuſpiam Victoris Juſtitia expugnentur atque recuperentur cum omni lucro ceſſante & damno emergente. Quippe nimio diutius videtur poſſediſſe Ottomannicus Tyrannicæ violentiæ fiſcus, quod Iſraëliticus capere debebat Chriſtus, juxta pervulgatiſſimum illud: *Domino his opus eſt*. Eſt ſanè dolendum, quod Turba Chriſtianonymorum Empæctarum Magna iſthoc divino dicto in nonnullos Philoſophos de tribu Lazari abutatur: magis autem eſt dolendum, quod Hagareni iſti lupi veſpertini (poſteaquam propter enormia Judæorum pariter atque Chriſtianorum peccata ipſis *glorificanda* Dei Zelotæ vindicis *Juſtitia* gratis vendidit ampliſſimum Orientis Imperium cum *Terra* illa ſponſionis *Sancta*, ubi vitam incoluerunt antiqui Patriarchæ, Iſraëlitici Reges, divini Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli) ex Chriſtianis agnis faciant vel lupos apoſtaticos recutitos, vel captiva extremæ miſeriæ mancipia, & Zonas noſtras emungant tantâ vi lytrorum pecuniariâ, quantâ ali poſſet bona Orthodoxæ paupertatis ve-

verecundæ pars. *Mahometes I.* jam penè Aſiaticus Turcarum Deus, creditur fuiſſe olim camelarius, & immanis ille Ottomannicæ Domus Imperatoriæ tradux Ottomannus I. ruſticis fertur fuiſſe parentibus oriundus: ex uſu itaque totius Chriſtianæ Reip. foret, iſtiuſmodi Saracenos piratas & raptores ſolum ac ſalum infeſtantes ad priſtinas incitas & mapalia ruralia redigi, perinde atque *Gothofredus à Bouillon* Lotharingiæ Dux anno CIↃ XCIX. eos Regno Hieroſolymitano exterminavit, juxta illud vatis: *Veteres migrate coloni.* Coloni autem illi Muſulmanni (qui ſæpè plus terrificæ famæ quàm mirificæ potentiæ ad expeditionem bellicam conferunt, & tales Regnorum Harpyiæ jamdudum evadunt, ut eorum ingluviem non *Oriens*, neu *Occidens* ſatiaverit) non ſunt tam inſuperabiles, quin ipſis à tali Megalandro (qualis à Deo ad tantum novum opus tam legitimè fuerit vocatus quàm olim *Joſua* erat ſanctificatus ad expugnandos Chananæos) tota Thracia atque Palæſtina cum omnibus Chriſtianorum provinciis ac urbibus viciſſim eripi poſſint, juxta πεπαῤῥησιασμένον illud *Rudolphi II.* Imperatoris:

A *djuvante*
D EO
S *uperabo*
I *mperatorem*
T *urcarum.*

Turcarum namque Imperator non est nisi talis pica Æsopica, qualis jamdudum alienis superbit pennis: quas si Aquilæ Europææ cum reliquis Asiaticis & Africanis avibus judicio repetundarum redhiberent, ipse quovis corvorum pullo implumi implumior avolaret, si modò valeret. Inter Politicos vixit qui non ab re dixit; *Unicam legionem Suevicam ex IV. duntaxat militum millibus conflatam in acie tutò opponi posse X L. Turcarum millibus.* Quod si ejusmodi Legioni pugnaci se associarent reliqui cordati Germaniæ equites & pedites, brevi majora patrarent, quàm *Tamberlanes Samarcandus*, qui anno cIↃ CCC XCVII. victoriosum illum Hildrin *Bajazethen I.* terribili maximi exercitus impetu impetiit, impetitum prælio vicit, victum cepit, captum aureis catenis vinxit, vinctum caveæ cancellatæ inclusit, inclusum pro pedum suorum scabello in Triumphalis pompæ speciem per quasvis occupatas Asiæ urbes tanquam miserabile fortunæ ludibundæ spectaculum circumduxit. Nannius anno cIↃ IↃ XXXV. declamavit: *Si omnis illa rabies intestini belli, quo Europæus Christianæ Reip. Orbis ardet, in Turciam tanquam in latrinam effunderetur, Turca ille Magnus propediem redderetur ad miraculum usque parvus.* Crucius quoque anno cIↃ IↃ CXXX. ad Theo-

Theodorum Troncinum ſcripſit inter cætera ſic: *Quis tandem finis cladium ac funerum? quis modus effuſi ſanguinis ac lanienæ? Nam revera quid hæc bella? βροτολοιγὰ & μιαιφόνα flagella generis humani, ruinæ urbium & gentium. Quid aliud quàm ludi cruenti, non abſimiles illis quos in Amphitheatris Romanorum olim inſtruebat ambitio? O ſi tandem aliquando ſtragum & calamitatum, quæ Europam aliquot abhinc annis fatali quodam diluvio inundârunt, pertæſi ferroque in hoſtem communem Chriſtiani nominis converſo, Paci, diſcordes litarent animi! non gemerent tot Chriſtianorum millia ſub barbaro illo Turcarum imperio qui dum mutuis cadimus telis, ſine ulla parſimonia noſtri alienique ſanguinis, auream meſſem ex communibus miſeriis metunt, & diſſidiis noſtris ac odiis tutò dominantur, Orbique penè imperant univerſo.* Cur autem Chriſtiani jam inde ab aliquot retrò annorum centuriis uti præliis ſecundis adverſus Turcas nequiverint, effuſiore ſtylo elucidante proſequitur laudatus Schweiggerus in Teutonica ſui per Orientem itineris Deſcriptione, è cujus lib. 2. cap. 48. pag. 154. & ſeqq. von den Vrſachen des Türckiſchen Siegß wieder die Chriſten / ſummatim excerpas hos XI. Articulos ceu è nucibus fractis nucleos:

I. Daß Gott der Allmächtige ſey Cauſa Principalis, der wieder die Chriſten ſtreitet; vndt den Türcken Sieg verleyhet; die Türcken aber ſeyn Cauſa inſtrumentalis, ein Mittel vndt Ruthe / damit Gott die Chri-

Christenheit züchtiget vndt stäupet. Dann der gemeine Hauffe in diesem Fall das hinter herfür kehret/ vndt sich an den Türcken alß der Causæ instrumentali vndt minus Principali also vergaffen / daß sie an die rechte Causam efficientem nicht gedencken / gleich wie die Hunde in den stein fallen / vndt den fahren lassen / der den Wurff vollbracht hat. Viel suchen hin vndt wieder allerley eusserliche vrsachen herfür / der Hauptvrsach vergessend. Cui addas ex ejusdem lib. 2. c. 40. pag. 137. Daß Sultan Memet im Jahr Christi 1452. hat Constantinopel in sein gewalt gebracht / da sich von Constantino Magno / der diese Stadt zum Keyserlichen Sitz gewidmet/ biß auff dieselbe zeit der Eroberung haben verloffen 1100. Jahr. Der Feind lag 54. Tag davor vndt ward die Stadt den 29. May eingenommen vndt vnsäglicher Muthwill geübet. Eß wurden vber die 60000. Personen gefangen; ihrer sehr viel setzten ihre Hoffnung auff die Flucht vndt Schiffe / welche aber alle ertränckt wurden. Die Weiber vndt Jungfrawen sambt den Knäblein wurden zu vnerhörter Vnzucht genötighet; die andere Kinder vor der Eltern augen zerfleischet vndt gemetzget / die Kirchen mit schändlicher Hurerey verunreyniget/ ꝛc. Deinde daß bey Varna in der Schlacht geschlagen ward vndt vmbkam jener Polinsche Herr Vladislaus König von Hungaren / alß er mit seinem General dem Graaff Johan von Huniad Anno 1440. wieder den Türckischen Keyser Amurathem zu felde zog / welchem er woll einen Fried von 10. Jahren geschworen vndt doch gebrochen hatte; nach er darzu war vberredet worden von des Pabsts *Eugenii* IV. Nuncio *Juliano* Cardinale *S. Angeli*, welcher ihn vom geleisteten Eyd looß sprach vndt selbst von den Christen tod geschlagen ward. Quia Turca sub dio ob inspectantes Christi crucifixi oculos bullatum pactarum contractarumque Induciarum instrumentum non sine indignatione & exprobratione explicabat, atque implorabat præsentaneam cœli vindictam contra insperatam pejerantis Regis Christiani perfidiam. Derhalben gleich

gleich

gleich wie vor zeiten die Israeliter wegen ihre Sünden von ihren vicinis den Assyrern/Philistern/Babyloniern vndt andern durch Gottes verhängnuß gegeisselt wurden: Also werden nu zu dieser vnser zeit die Griechen/Hungaren/Siebenbürger/Teutschen/Polen/Venediger vndt andere Christen durch Göttliche indulgentz wegen ihre vielfältige Vngerechtigkeit/falschheit/jämmerliche vneinigkeit in der Religion/ Hoffarth/ Vnkeuschheit/Geitz/Haß/Neyd/Eigennutz/Fressen/Sauffen/ Abgötterey/ Verfolgung der Wahrheit/ vnterdruckung der Frembdlingen vndt Armen vndt dergleichen herrschende Sünden mit dem Türcken geplaget.

II. Mancher vnter vns bildet in dieser Sache ihm ein/ alß wann die Türcken so freudige/ vnerschrockene Eysenbeisser wehren vom geschlecht der Enakin vndt Samsummim/ gegen welche die Christen nur hewschrecken wehren; Aber ich hab von den Türckischen Kriegßleuthen selbst gehört/ daß sie wieder die Christen nicht dürffen fechten/ wo sie nicht zwey oder drey mahl sich stärcker befinden. Zu geschweigen/ daß die Persianer woll dürffen dem Türcken den Kopff biethen/vnd solten ihm woll Anno 1514. haben auff der Caldaner Heyden den Gar-auß gemacht/ hätte Ihn nicht seine Artillerie entsetzet.

III. Daß der Türck/ wie ihrer viele spargiren, solle 100000. Persianer stetß in besoldung halten/ vndt etliche viel Millionen Kriegsleuthe können auff die beine bringen/ das verhält sich also nicht; sintemal er fast niemalß vber 400000. starck zu felde gelegen. Derhalben ob zwar der Türcken Macht sehr groß ist/ so ist sie doch so groß nicht/ daß sie von der Christen Macht nicht solte können geschwächt werden. Daß eß aber nicht geschicht/ ist daß die einige vrsach/ daß Gott sein Macht selbst zu den Türcken setzt/ ihnen wieder die Christen beystehet/ ihr Generalissimus vndt Feldherr wird/ die Baniere vnter sie auffwirfft/ der Christen Städte circumvallirt, Batterien wieder sie auffführet/ hilfft miniren/ die breche schießen/ granaten vndt fewrkugeln einwerffen/ sie tag vndt nacht be-

stür-

stürmen / vndt mit Petarden die Pforten eröffnen / die Mawren mit Sturmleitern ersteigen / hinein fallen / vndt ihnen alle Ammunition, Proviand vndt Schätze zur außbeuthe gibt / vndt sich sonsten zu Felde in der Türcken bataille fornen an der spitzen stellet vndt mit seinen himlischen Heerscharen wieder die Christen streitet / biß sie vnten liegen vndt die Türcken die Victoriam erobern vndt das Feld behalten: Dero gestalt daß die Türcken heutiges tages nichts anders seyn alß nur Flagellum Dei wieder die Christen / wie vorzeiten Attila vndt Tamerlan; sintemal obbeschriebene Christiani Formales / mit den händen ihrer Sünden nur den besem des verderbens zu ihrem eigenen rücken binden vndt Gott den Herrn zum Eyfer auff wecken / daß Er zu sein Axt / Sägen / Fewr / Hammer vndt Schwerdt muß machen die Antichristische Musulmänner / die Ihm sonsten fast nichts nütze seyn / weil sie nicht wißen recht zu küssen seinen Sohn / noch seine Ehre zu suchen vndt zu befordern; wie fürnämblich das Ambt Löblicher Regenten erfordert / daß sie nicht ihre eigene Ehre vndt Nutz vndt Wollgemach (wie meistentheils der Türck thut so sehr / daß seine Person nicht wird ein Zierath seinem Ampt / sondern sein Ambt muß werden ein Zierath seiner Person) suchen / sondern mit höchster vigilantz vndt Eyfer dahin trachten / daß wahrer Gottesdienst / Zucht / Ehrbahrkeit vndt zeitlicher Fried erhalten werden möge.

IV. Eß ist sich nicht vnbillig zu verwunderen / daß der Türck gestattet / daß man das H. Euangelium predigt gleich für seiner Thür / vndt zu mahl auff den Prediger so woll alß auff andere Diener der fremde Gesanten vnterhaltung gibt: Aber wie viel seyn grosser Potentaten in der Christenheit / die den Predigern nicht allein kein vnterhaltung geben / sondern sie auch des Lands verjagen / vndt in ihren Weichbilden nicht wollen geduldem / da man doch in Italien / Spanien vndt Oesterreich mag allerhand andere ärgerliche vndt lasterhaffte Leuthe dulden / allein Christi Euangelium will man allda nicht dulden. Darumb wird Sultan Murath ohn zweiffel am

Jüng

Jüngsten Tag vber solche verfolger das Vrtheil fällen. Zu geschweigen / daß auch in diesem Leben der Türck wegen oberwehnten seinen Dienst von Christo ein groß courage zur gage bekómpt; da Er hingegen den Påbstischen Fürsten (welche die Euangelische Lehrer vndt Zuhörer haben verfolget vndt verjagt auß ihren Landen) am Tag des Streits den Muth benimbt / daß sie fürm Feind nicht können stehn / sondern müßen fliehen vndt bekennen / daß ihnen der Türck nicht sey ferula honesta amoris, sondern virga inhonesta doloris.

V. Der Türck cassiert niemahls alle seine Kriegßleuthe / sondern behält immerdar so woll in Friedens als in Kriegs-läufften so viel woll-geübte stipendiarios in armis, daß er kann/ so offt er will/auß seiner garnison eine grosser armée zu Felde bringen: Ehe aber die Fürsten der Christen Reichstag halten/ Patenten außgeben / Volck werben / monsteren vndt drillen / so hat der Türck schon ein Einfall in die Gräntzen gethan vndt guthe beuthe gemacht.

VI. Die Disciplina Militaris schläfft offt bey den Christen; Sie wacht aber immerdar bey den Türcken.

VII. Der höchste Gehorsam vnter des Türcken armade entstehet fürnemlich auß großmütiger hoffnung / weil allda ein Jeden armen Soldat (so fern er nur hat Erfahrenheit vndt Dapferkeit) seine eigene Qualitäten vndt Tugenden nobilitiren, dero gestalt / daß er kan so bald ein Officier werden/alß man seine Verdiensten spüren wirdt/ sintemal die Türcken ihren Adel nicht so sehr suchen ex arbore consanguinitatis,als ex pectore magnanimitatis,also daß wer bey ihnen das meiste vom Säbel weiß vndt kann / der ist vnter ihnen der höchste Edelmann/ ob schon sein Vater ein Pawer oder Taglöner ist. Aber bey den Christen prædominirt sehr προσωποληψία vndt Gunst / daß man gemeiniglich die Officia nur denen vom Adel gibt vndt läst immittelst manchen dapfferen Man auff der Schildwacht stehen biß an sein Todt / der mehr in seinen Jahren gesehen vndt gehöret hat alß jene kaum ihr Lebtag werden lernen. Zu geschweigen / daß bey den Türcken fast allezeit officia vacantia

seyn

seyn; aber bey den Christen selten. Selten wird auch gesprochen vom Türckischen Stab: Dieser reiche Officier hat an sich gekaufft einen Hauptmanschafft/ Jener eine andere Charge. Aber bey den Christen ist solches kein Newes. Tales *Politici* sunt nostrates *Christiani.*

VIII. Wer für der Türckischen Superstition vndt Ketzerey im combat biß aufffs bluth kämpst vndt sein Leben lässet/ der wird von den Seinen für ein H. Martyrer gehalten: Wer aber in einer Schlacht der Christen wieder die Türcken vmbkompt / der wird mannichmahl wie ein Esel von den Seinen begraben; oder wirdt etwan einem oder dem andern zu Wasser oder zu Lande ein arm oder bein abgeschossen / so verschafft man ihm keine alimenta compensatoria so lang er lebt/sondern läst ihn an Krücken gehen vndt in armuth sterben / vndt mit seinem Todt bezeugen / daß die Türcken grössere Danckbahrkeit gen ihre Kriegßleuthe beweisen alß die Christen gen die Ihre / die mannichmahl für Hunde werden außgescholten.

IX. Die Türcken wißen sich so vberauß mässig vnd ordentlich in ihren Feld zügen zu halten vndt mit so wenig speiß vndt tranck zu behelffen / daß die Christen selten der gleichen thun oder sie in diesem stück vbertreffen.

X. Die Türckischen Häubter haßen die Vneinigkeit: Aber vnter den Christen steht manchmal ein Königreich wieder das ander auff / eine stadt wieder die ander / ein Fürst wieder den andern / die Herrschafft wieder die Vnterthanen / die Vnterthanen wieder die Herrschafft / ein Freund wieder den andern / ja ein Bruder wieder den andern / undt gedencken immittelst nicht einmahl an ihre wolbekante laurende vicinos malignos, nach den spruch Livii: *Externus timor maximum Concordiæ vinculum.*

XI. Derhalben wann die Christen wiedrumb wollen himlischen Segen / Heyl / Stern / Glück / vndt Sieg wieder die Türcken haben / so müßen sie mit ihren Sünden Gott nicht mehr den rücken zu kehren / sondern ein Büßwürckendes Angesicht/auff daß sie Ihn von der Hagarenischen seyten hinweg bringen auff ihre

seiten

ſeiten Lev. 26. Deut. 28. Job 22. Pſalm 81. Eſ. 5. 7. 14. 16. 28. 42. 45. 48. 50. Jer. 2. 4. 12. 16. Thren. 3. Ezech. 19. Dan. 9. ſintemal alßdann die Chriſten ſich nicht mehr werden dürffen fürchten für den Türcken / ſondern die Türcken werden ſich müſſen fürchten für den Chriſten. Dann eß wird ihnen ein new Courage vom Himmel gegeben werden / dero geſtalt daß ſie wie junge Lewen werden auff die Türcken anfallen vndt ſie zureißen vndt zu ſchmeißen an allen ecken vndt enden / daß wer einen Türck wird ſuchen / ihn nirgendß mehr wird finden können.

Fuerunt qui tempore *Leonis* X. Pontificis Romanenſium animarum Maximi conſuluerunt, ut Imperator Auſtriacus conſociatis Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ viribus expeditionem adverſus Turcam ſuſcepturus, Serviam verſus tranſiret ſecundum Danubium; Galliarum verò Rex ingenti exercitu ex Apulia in Epirum trajiceret; Rex autem Magnæ Britanniæ auxiliante Luſitania atque tota Hiſpania necnon ſuccurrentibus Venetorum triremibus, Helleſpontum verſus & Conſtantinopolim navigaret. Atenim *Pauli Jovii* oculi habitabant in vultu Atlantiadæ conſulentis, ex una ſubitanea Rhodia, Belgradenſi & Budenſi expeditione potiorem ſalutem eſſe exſpectandam, quàm à cunctabunda procraſtinatione uſque ad illum diem, quo Principum Diſcordia tranſmutaretur in tantam Concordiam, de quanta novum divulgaretur hoc pro-

proverbium: *Multa in Europa Christianâ habentur capita, sed sensus atque cor unum.* Alii verò adjiciunt oculos suos Prognostico *Antonii Torquati*, qui anno cIɔ cccc lxxx. inter cætera *Matthiæ* Hungariæ Regi sic scripsit: *Venetiæ prius multa patientur, quàm Turcæ partim evertentur, partim ad Christum convertentur.* Alii denique de istiusmodi Mysteriis Politicis in oculum utrumvis conquiescunt atque invicem sibi concinunt: *Scrutator nimiæ profunditatis absorbetur ab abysso divinæ Majestatis.* Ego verò in isthoc Thematis freto non velificabo, sed duntaxat illud Christi vaticinium ruminabo Luc. 21. ℣. 24. *Hierosolyma à gentibus tantisper calcabitur, dum præstituta illa Gentium tempora impleantur.*

Caput XXVI.

Qui de Stratagematibus scripserunt, commeminerunt, quod ferox ille Normannorum Dux *Haddingus*, regio sanguine procreatus, ad arma natus, artibus insidiosis armatus, olim urbem illam Italiæ *Lunam* inexpugnabilem expugnaturus, in civitatem emisit, qui commeatum pariter atque hospitium exorantes, fatalem commemorarent morbum, in quo Christianis im-

imbui ſacris ante obitum affectaret. Lunenſibus ad omnia annuentibus, inſidiator Ulyſſeus ſcipione nixus urbem ingreditur & luſtrali fonte tingitur: ſedenim civitate tacitè exploratâ ad naves cum exercitu revertitur. Paulò pòſt fama fallax volitat, Principem fato perfunctum, Eccleſiæ Lunenſi legata eſſe ultimo Teſtamenti judicio arma Ducis & caballum cum gemmis & auro multo. Cives nimis creduli credunt & exſequialem funeris Regii pompam inſtruunt. Armatus & vivus Dux feretro imponitur, omni exercitu ad tumulum proſequente. Quid Urbs niſi ſuum ſibi ipſa funus duxit? Commodùm namque gerulorum cohors feretrum depoſuerant, quum ſubitò alter ille Sinon, qui ſimulabatur mortuus, reſurgit vivus & obvios quoſque ſternit primus, quem ſecuti milites compari in incolas ſævitiâ procul ullo ſexus, ſtatus aut ætatis diſcrimine habito truculenter deſæviunt, variam mortis tragicæ imaginem plateis offundunt, urbem direptam incenderunt, cives ſuperſtites in vincula conjecerunt, illoſque cum præda in naves ſuas ſic tranſtulerunt, ut ipſi ſuo incautorum exemplo poſteros reddiderint cautiores juxta illud Sophoclis: ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα. Quid quæris? Sæpè publicis Politiarum gubernatoribus eſt ἀπιστία

πίστεως ἀσφαλέστερον, ut præſcribit Theophylactus Simocata, juxta illud Epicharmi Siculi περὶ φρονήσεως:

——— ——— ——— Νῆφε καὶ
Μέμνησ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Cujus ſententiæ calcem ſic vertit Cicero: *Non temerè credere, nervi & artus ſunt ſapientiæ.* Quò Poëta alluſit, qui cecinit ex Matth. 10. ℣. 16.

Simplicitas aſtu bene fermentata triumphat.

Triumphat itaque ſemper ille tam Politicus quàm Theologus, qui ab utroque extremorum (quæ ſunt & nimio ſerius & nimio ocius credere) ſibi ſemper cavet juxta illud Senecæ: *Utrumque vitium, & omnibus credere & nulli.*

§. 1. Cæterum ille ego, qui huc uſque *de Triumphis* ſcribere perrexi, non ſine uſu fore arbitror, ſi adſcripſero, quod Triumphus Terreſtris Navalem ſæpenumero magnificentiâ longè anteceſſerit. Ad aſſertionem autem hanc confirmandam præter cæteros teſtes ingentes & potentes excitare poſſumus Pomponium Lætum & Titum Livium. Livius enim dec. 4. lib. 7. ſic ſcribit: *Haud ita multò poſt L. Scipio ad Urbem venit: qui ne cognomento fratri cederet,* Aſiaticum *ſe appellari voluit: & in Senatu & in concione de rebus à ſe geſtis diſſeruit. Erant qui famâ id majus bellum quàm difficultate rei fuiſſe inter-*

*interpretabantur: uno memorabili prælio debellatum, gloriamque ejus Victoriæ defloratam ad Thermopylas esse. Cæterùm verè æstimanti, Æ*tolicum *magis ad Thermopylas* bellum *quàm* Regium *fuit. Quotâ enim parte virium suarum ibi dimicavit* Antiochus? *in Asia totius Asiæ steterunt vires, ab ultimis Orientis omnium gentium contractis auxiliis. Merito ergo & Diis immortalibus, quantus maximus poterat, habitus est honos, quod* ingentem *Victoriam* facilem *etiam fecißent: & Imperatori* Triumphus *est decretus. Triumphavit mense intercalario pridie Calend. Martias, qui Triumphus spectaculo oculorum major quàm* Africani *fratris ejus fuit: recordatione rerum & æstimatione periculi certaminisque non magis comparandus, quàm si Imperatorem Imperatori, aut* Antiochum *ducem* Annibali *conferres. Tulit in Triumpho signa militaria* CCXXXIV. *oppidorum simulachra* CXXXIV. *eburneos dentes mille* CCXXXI. *aureas coronas* CCXXXIV. *argenti pondo* CXLVII. *millia &* CCCCXX. *tetradrachmûm Atticorum* CCXXIV. *millia: cistophorûm* CCCXXXI. *millia, &* LXX. *nummos aureos Philippeos* CXL. *millia: vasorum argenteorum (omnia cælata erant) mille pondo, &* CCCCXXIV. *aureorum mille pondo* XXIV. *& duces Regii præfecti, & purpurati duo &* XXX. *ante currum ducti. Militibus quini viceni denarii dati: duplex centurioni,*

triplex equiti, & stipendium militare, & frumentum duplex post Triumphum datum. Dabimus nos jam Lectori benevolo ad condocendum ex Pomponii Læti l. 2. histor. Rom. Rubr. Magnitudo Imperii Romani. §. *Itaque.* de tali Triumpho maximo, qualem Victoriosissimus ille Romanorum Principum *Diocletianus* cum consorte *Maximiano Herculeo* habuisse memoratur: *Veste gemmata & aureo gemmatoque curru, cum Imperii consorte triumphavit, ingenti ferculorum pompâ, ante præcinentibus & saltantibus quibus libertas erat, scommata in ipsos effundere Triumphantes.* Et paulò pòst sub §. Cujus Ordo non semper idem: *Templa Deorum immortalium tota Urbe patebant, ornata sertis ac floribus, spirantia Arabicos odores, itinera ubique repleta pinguibus mensis & lætis poculis, ut fessi Victores se recrearent. Præferebantur in vehiculis tabulæ, signa, Colossi, hostium Galeæ, Thoraces, Ocreæ, Peltæ, Scuta, Vexilla, Pharetræ, Tela, Arcus, Enses, Frena, & equorum picturata strata, Opes, tapetes, & quæ preciosa & digna spectaculis, devictis hostibus, adlata erant, & modò ex Oriente, ut puta Assyriis ac Persis, Tentoria & ex Babylonico opere multa. Pòst ingens hominum grex, qui in vasis ferebant aurum argentumque & purum & signatum, singula vasa, validi juvenes humeris ferebant. Pòst argentei crateres, pelves, phialæ, calices, vestes, & tota regia supellex*

pellex, & vasa ex solidis gemmis, hinc ferculorum multitudo, & hos sequebantur Tubicines, bellicum clangorem intonantes; deinde boves auratis cornibus, quorum medios vittæ cingebant, nec non & frontibus vittatos, ad sacrificium succincti popæ, hoc est, ministri, agebant. Sequebantur, & alii ministri cum argenteis patinis; Regia dehinc proles, *uxoresque & nati, & sorores, cum pincernis servisque, ac nutricibus, & pleraque Persarum nobilitate, patrio more vestiti omnes, sed pullati Spectantium oculos, etsi hic implevit numerus, tamen lætiores reddidere Tabulæ duæ. Altera ipsam* Persida *ostendens, suppliciter tollentem manus, & exorantem à Pop. Roman. gentium Victore veniam: altera* Narsen *Regem fugientem conspiciendum præbebat. Pòst ingens captivorum turba, satis mœsta, in qua fuerunt* Scytharum, & variarum gentium Duces, *qui* lachrymas *effundebant, præferebantur aureæ coronæ & munera Victori dono data.* Propius Currum *præcedebant homines* stipitibus sudibusque *adcensis, qui turbam submoverent. Post Triumphantiũ* Currus *ex auro & lapillis preciosis, quém trahebant* quatuor Equi,*candore certantes cum nive. In quo* sellæ curules *duæ,ornatæ gemmis, in quibus sedibus sedebant Principes terrarum; Triumphantium capitibus imminebant Victoriæ alatæ.* Diocletianus (*ut cæteri antea*) *unâ fuit Corona ex lauro contentus, simili, & conega. Reges verò Persarum* Tiaram, *quâ uteban-*

 tur,

tur, tribus coronis exornabant, Currum sequebantur captivitate liberati, raso capite & pileati, dein Equites laureati.

§. 3. Ex his ambobus Triumphantium exemplis præter alia effulget, quod

I. Vita militaris pro conservanda sui Status Ratione sæpius agit novercam mendacem quàm matrem veracem, dum variâ linguæ fallacis blandiloquentiâ filiis sibi mancipatis plus boni adpromittat quàm allatum venit, prout inter cætera dispalescit ex intoleranda illa Percenni experti querelâ ad nonnullos commilitones sibi velut concionabundo auscultantes: *Satis per tot annos ignaviâ peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes, & plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent, ne dimissis quidem finem esse militiæ sed apud vexillum retentos, alio vocabulo. Eosdem labores perferre ac si quis tot casus vitâ superaverit; trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum, uligines paludum, vel inculta montium accipiant. Enimverò militiam ipsam gravem, infructuosam* : denis *in diem* assibus *animam & corpus æstimari. hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam Centurionum, & vacationes munerum redimi. at hercule verbera, & vulnera, duram hyemem, exercitas æstates, bellum atrox, aut sterilem pacem, sempiterna, nec aliud levamentum, quàm si certis sub LL. militiæ iniretur, ut singulos denarios mererent; sextus decimus*

mus ſtipendii annus finem adferret; ne ultra ſub vexillis tenerentur, ſed iiſdem in caſtris præmium pecunia ſolveretur &c. Gaudent equidem inter cætera milites talibus Privilegiis, ut neq; facilè torqueantur, neq; propter æs alienum in carcerem compingantur neq; propter *Civilis Juris* ignorantiam ullo damno afficiantur: veruntamen nemini commilitonum in caſtris exercituum hodiernorum Chriſtianis indulgetur tantilla παῤῥησία, ut auſit confiteri aut conqueri: *Multa onera imponuntur, nulla autem ſtipendia ſolvuntur.* Solveretur namque talia congemiſcenti aut hiſcenti ex tempore à carnifice Prætorii latrunculatorii caſtrenſi numeratâ & parata reſtionis moneta cannabinâ inter ſeditioſos ad Græcum Π. Quippe tantopere Militia quamplurimum autoritati ſuæ caſtrenſi velificatur, ut gloriam Jehovæ & curã Conſcientiæ interim oblivíſcatur. Equidem olim ſub *Licinio* Imperatore *Auxentius* Orthochriſtiani pectoris miles maluit zonam ſolvere quàm Baccho uvam ponere: Hodie autem comperias tales milites, qui audent effutire, ſe velle propter ſtipendia militare non tantum Turco, ſed etiam Diabolo. Hinc qui ſub exercitu contra cœlum linguâ ſuâ malignâ peccat & ſe Orco mancipat, longè facilius veniam delictorum impetrat, quàm

qui vel contra minima quæque Martis officia nonnihil vel dictis vel factis attentat. Dixi, *Civilis Juris*, non autem, *Militaris*. Militare enim Prætorium est tam rigorosum, ut de Castrensi Bellici Juris Corpore ferè dicas quod olim dicebatur de rigorosissimis Draconis Legibus: *Non sunt conscriptæ scriptorio atramento, sed sanguine humano.* Quippe jamdudum multi ignorantiæ fratres tales ex copiis ad patibulum condemnantur, qualibus ne unus quidem Bellici Juris Articulus unquam fuit prælectus. O miseram miserrimorum mancipiorum vitam! Atenim talis ἀλλοπρόσαλλος aliquantillâ Libertatis umbra in Militia ferrea videtur gaudere, qualis sic abuti campo callet, ut more dipsychorum Cosmopolitarum palatino oculis videntibus cæcutiat, contra conscientiam conticeat, & abblandiente procantis oris linguâ talis Grammaticus mirificus evadat, qualis omnem Casum Rectum transformet in Obliquum & omnem Obliquum in Rectum, contra illud Prophetæ Es.5. ℣.20. *Væ dicentibus de Malo Bonum esse, & de Bono, Malum; statuentibusque Caliginem pro Luce, & Lucem pro Caligine, & Amarum pro Dulci, & Dulce pro Amaro.* Cujus autem Ulyssis Machiavellici auris ad isthoc Prophetici præconii tonitru pœnitentiale jamdudum obsurde-

scit

ſcit & in leproſo perverſitatis ſuæ malignæ ſinu exhilareſcit, ille ſat prodit; Se æmulari tales Cacodæmones, quales à *Tertulliano* ſic effinguntur per ſcorpiones: *Tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot & ſpecies; tot dolores, quot & colores; unus omnium violentiæ geſtus de cauda nocere.*

Nocentia namque talia animalia ex ſuis cognoſcuntur fructibus, dum induunt vel perſonam Judaicorum Rabbinorum, qui Eccl. 9. ℣. 4. ſcribunt יבחר & legunt יחבר; vel perſonam talium è Liligero Regno Magiſtrorum de qualibus Itali παροιμιάζονται: *I Franceſi non dicono come voglion fare, non leggono come ſcrivono, non cantano, come notano;* vel denique perſonam talium Mortalium exitialium de qualibus Lutherus olim dixit: Was iſt die Welt anders denn die leydige Helle / vndt des Teuffels Reich / da nichts anders iſt dann Vnwiſſenheit vndt Verachtung Gottes / Liegen / Triegen / Geitzen / Freſſen / Sauffen / Huren / Schlahen / Morden? Dann ſo gehets in der Welt; wo man Schwartz ſagt / daß man Weiß verſtehen muß / wer anders vnbetrogen vndt vnbelogen wil von den Leuthen kommen. Da iſt weder Liebe noch Trewe / keiner iſt vor dem andern ſicher; vor den Freunden muß man ſich eben alſo woll beſorgen als für den Feinden / vndt zu weilen mehr. Alſo regiert vndt führt der

Teuffel die Welt. Qualis namque Rex, talis Grex, qualis pater, tales filii, Johann. 8. ℣. 44. Ignes fatui cognoſcuntur ex vagis flammis, vulpes ex oblonga cauda, hiſtrix ex aculeis, lupus ex pilis, falco ex adunco roſtro & crocodili ex lacrymis, juxta illud Poëtæ de Veneribus:

Ut plorent, oculos erudiere ſuos;

Quicunque verò Mundum cadaveroſum ex mortuis mendaciorum & homicidiorum Phlegethontæorum fructibus non cognoſcet, hic commortuus fruſtra Chriſtum præmonentem audiet: *Cavete ab hominibus*; non talibus raris bonis, quales tanquam palmites vivi vivæ illi viti Chriſto ſunt inoculati aut ad imaginem Dei renovati, ſed talibus frequentibus malis, quales longævi ſummo zelo pro *Ventre* ſuo *Deo* inhiant & litant illi infernali ſacræ Triadi, de qua jamdudum ſic vaticinatur vates:

Ambitioſus Honos, & Opes, & Fœda Voluptas,
Hæc Tria pro Trino Numine Mundus habet.

Habet quidem Mundus tam in Hiſtoria ſacra quàm profana non pauca punitæ graviter Idololatriæ exempla; attamen non recordatur illud *Oecolampadii* in Dan. 5. §. 19. *Gravius peccant, qui aliorum exemplis non emendantur.* Quid? quod *Idololatria excludat Regno cælorum* Gal. 5. ℣. 20. 21. *& includat paludi æternorum tormentorum* Apoc. 14. ℣. 10. II.

II. Monstrum monstro tam simile non est ullum quàm proditum à se Romanæ Monarchiæ ingeniũ illi laudatæ à nobis supra c. 7. prodigiosæ Danielis Prophetæ Bestiæ Quartæ in nocturna sic visæ visione, ut se ostentaret *timendam terribilemque ac duram valdè, cui dentes ferrei erant magni, quibus comedebat, & comminuebat, ac reliquum pedibus suis conculcabat.* Quippe solus *Julius Cæsar* quinquagies collatis signis cum hostibus dimicasse & undecies centena ac nonaginta duo millia hominum in præliis interemisse memoratur. Quod si cæteras funestiores strages sub *Octavio Augusto, Tiberio Nerone, Cajo Caligula, Tiberio Claudio Druso, Nerone Claudio, Servio Sulpitio, M. Salvio Othone, Aulo Vitellio, Vespasiano* & reliquis Imperatoribus in *Germanià, Hispania, Gallia, Britannia* & alibi gentium editas numerando percenserem, forsitan mihi eandem exprimeret necessitas confessionem, quam olim sic expressit Poëtæ:

Tempore deficiar, Tragicos si persequar ignes,
Vixque meus capiet nomina nuda liber.

Liber autem laudati *Danielis* Propheticus neque se neque alium quenquam super illis jam in medium allatis unquam fefellit, quæ de uterina Romanæ Monarchiæ indole sic perlegenda & relegenda reliquit: *Reliquum pedibus suis conculcabat.* Conculca-

bat enim provincias ac urbes, quarum incolas ſibi ſocios aut vectigales adſciſcere nolebat, ita ſub pedibus ſuis omnes, ut eas popularetur, exſpoliaret, incenderet, ſolo adæquaret. Hinc Bello magis magiſque *Status Belgii* hujus *Reformati* florentiſſimus floret; Romanus verò eodem jamdudum emaſculatur, enervatur, emedullatur, depauperatur, peſſundatur. Quia Illuſtriſſima hujus Hepteparchiæ Potentiſſimæ Concordia per electos Proceres ſuos jacto totius Reip. fundamento amaranthino has quatuor ſic ſuperſtruxit columnas cardinales, *Religionem Orthodoxam*, *Politiam Ariſtocraticam*, *Adminiſtrationem Bellicam* & *Forenſem Juſtitiam*, ut inter illos ſol hodiernus colluſtret *Optimates* præſtantiâ ſapientiæ *aureos*, *Mercatores* vi opum *argenteos*, *Opifices* artificio *æneos*, *Agricolas* induſtriâ *ſtanneos* & *Milites* robore animi *ferreos*. Romanus autem immiſericors neſciebat condiſcere, quod *propter Injuſtitiam transferuntur vel exſcinduntur Regna*. Hinc de iſthoc notum eſt illud Livii ſuper Albæ ruderibus ſic lib. I. diſſerentis: *Egreſſis Urbem Albanis Romanus paſſim publica privataque omnia tecta adæquat ſolo, unâque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba ſteterat, excidio atque ruinis dedit*, juxta illud *Appiani* Alexandrini: Μοῖρα δέ τις καὶ πόλεων ἐστιν,

ἅπερ

ὥσπερ ἀνδρῶν. Enimverò

Cernimus exemplis *oppida posse mori.*

Notum quoque est ex Ejusdem dec. 5. lib. 5. ubi de Æmilio sic narrat: *Paulus benignè legatis dimissis, transgressus Strymonem, mille passuum ab Amphipoli castra posuit: inde profectus Pellam quinto die pervenit. Prætergressus urbem ad* Spelæum *(quod vocant) biduum moratus*, P. *Nasicam & Q. Maximum filium cum parte copiarum ad depopulandos Illyrios, qui* Persea *juverant bello, misit, jussos ad Oricum sibi occurrere. Ipse Epirum petens quintis decimis castris Passaronem pervenit. Haud procul inde Anicii castra aberant; ad quem literis missis, ne quid ad ea quæ fierent, moveretur: Senatum prædam Epiri civitatum, quæ ad Persea defecissent, exercitui dedisse. Summissis Centurionibus in singulas urbes, qui se dicerent ad præsidia deducenda venisse, ut liberi Epirotæ sicut Macedones essent, denos Principes ex singulis evocavit Civitatibus. Quibus cum denunciâsset, ut aurum atque argentum in publicum proferretur, per omnes Civitates cohortes dimisit. ante in ulteriores quàm in propiores profecti, ut uno die in omnes perveniretur. Edita Tribunis Centurionibusque erant quæ agerentur; mane omne aurum argentumque collatum: horâ quartâ signum ad diripiendas urbes datum est militibus: tantaque præda fuit, ut in equitem* CCCC *denarii, peditibus duceni dividerentur, centum quinquaginta millia capitum*

humanorum abducerentur. Muri deinde direptarum urbium diruti sunt: ea fuere Oppida circa LXX. *vendita præda omnium. de ea summa militi numeratum est.* Est itaque quavis talpâ cæcior, qui ex conspectis talium ungularum undiq; & undiq; cuncta pessundantium vestigiis dentatissimam Monarchicæ Bestiæ Romanæ rapacis ac voracis indolem igni ferroque per Africam, Asiam & Europam longè latéque grassantem non cognoscit, cujus caput ab abblandiente Martiale salutatur

Terrarum Dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Secundùm veriorem enim laudati Danielis vatis visionem Romani non erant nisi Pessima omnium Bestia talis, ut videnti præ horrore caligarent oculi illisque nox tristificæ imaginis atra offunderetur haud secus atque illi qui de sua passione apud Poëtam sic confitetur:

Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Erat enim *Bestia*, sed *sine nomine*, eo quod *sævitiâ* omnes alios *Tyrannos* superet ac excellat, ut inquit *Oecolampadius* super Dan. 7.
„ §. Post hoc. fol. 82. sic amplificans:
„ *Minus sævitiæ est in leone, minus insidiarum in*
„ *urso, minus simulationum in pardo, sed quan-*
„ *tum auro, argento & ære deterius est ferrum,*
„ *tan-*

„ *tantò cunctis bestiis hæc est nocentior, & planè* „ *incomparabilis.* Dixerit quispiam: *Annon* „ *multa virtute præditi fuerunt* Catones, Sci- „ piones, Marcelli, Trajani? *Laudati sunto* „ *in sua gente, non tamen paucorum virtus, mul-* „ *torum abluit ignominiam. Vide magis, quantâ* „ *Tyrannide* totum Orbem *presserint.Nonne &* „ *Constantini & Theodosii & Henrici, & alii* „ *laudati Imperatores fuerunt? Et in Pontificum* „ *Romanorum fastigio nonne etiam admirabiles* „ *viri quidam? Sed qui præcesserunt? qui etiam* „ *sequuntur? Stante adhuc Græcorum Regno nec* „ *dum pessimè habebat* Roma, *& erant avita-* „ *rum virtutum seminaria, quamvis etiam tunc* „ *innumeris calamitatibus orbem involvebat cum* „ *sua* pollutissima *Justitia. Sed qualis fuerit sub* „ *Syllis, Mariis, Sertoriis, Juliis, Tiberiis ac* „ Neronibus, *dicant domestici illorum Scriptores,* „ *testentur Satyrici viri admodum graves. Fidem* „ *mereatur* D. Paulus *Romanis scribens & inter* „ *cætera attestans;* Ipsos fuisse oppletos omni „ Injustitiâ, Malitiâ, Avaritia, Invidiâ &c. „ &c. &c. *Quàm benè meruerunt de Orbe Cras-* „ *sus Parthos invadens, Pompejus Asiam, Julius* „ *Germaniam, ac Gallias? Quæ est illa gloriatio,* „ Optare, *omnem Populum Romanum* unam „ *habere* cervicem! se vivo *totum Orbem* per- „ ire? *quales* Imperatorum scilicet *auditæ* „ *voces. Quid tutum, ubi in deliciis est videre pa-* „ *triam ardentem, scrutari ferro materna vi-* „ *scera,*

„*scera*, *habere venenorum thesauros*, *quæ mare*
„*nondiluat*? *Habere tot bonorum virorum no-*
„*mina ad cædem partim apertam*, *partim occul-*
„*tam conscripta*? Talis erat hæc Bestia Apo-
„stolorum temporibus. *Non satis est illi de-*
„*vorare*, *nisi & comminuat*, *& quibus ipsa frui*
„*nequit*, *invidens cæteris*, *pedibus conculcet*. Con-
similia similis ferè sibi semper& ubiq; au-
tor idem quoq; conscribit ad Dan. 2. §. 40.
fol. 27. *Quartum Regnum Monarchicum* per
tibias fereas *significatum* esse *Romanum*.
Verba autem ipsius ipsissima sic sonant
„superioribusque consonant: *Porrò videbi-*
„*mus*, *quomodo omnia Romano Regno aptissimè*
„*quadrent*. *Dicit enim de hoc Regno*, primùm
„*quod tanquam ferrum sit domiturum omnia*:
„deinde, *quod inter se sit futurum divisum*:
„tertiò *quod sanguinis & affinitatis vincula non*
„*sit curaturum*: quartò, *quod gravissimis cla-*
„*dibus etiam sit afficiendum*; postremùm *quod*
„*nihilominus in sua fragilitate diu duraturum*.
„Verè ferreum Regnum Romanorum.
„*Quid enim ab illis tutum fuit*? *Quas Provin-*
„*cias non sunt deprædati*? *Quam terram non im-*
„*plêrunt sanguine*? *Quid integrum reliquerunt*?
„*Quid non contuderunt*? *Pauca quædam Regna*
„*Regum liberalitate obtinuerunt*, *ut ab* Attalo
„*Pergameno quædam in Asia*, *à* Ptolomæo
„*Cyrenaicam & Pentapolitanam*, *à* Boccho
„*Numidiam*, *à* Juba *Mauritaniam*. *Reliquas*
„*ter-*

„ *terras gladio vendicârunt. Longum esset commemorare, quid tres illi*, Crassus, Pompejus, *&* Julius *negocii* Mundo *fecerint, ut prætereantur, quantum sub Regibus & Consulibus grassatum in vicinas Regiones & proximos Principes. Et quibus bello pepercerunt, eos postea per avarissimos & iniquissimos Præsides graviter expilarunt & miris exactionibus divexârunt. Nam qui in Romæ meditullio tantum sanguinis exhauserunt, quibusnam subditis pepercissent?* Et ad §. 41. Et quod videbas pedes ac digitos partim figulinos, & „ partim ferreos. *Divisum hoc Regnum fore dicit, & in seipso dissidere.* A fratricidio cœpit. *In hoc* Reges *à Consulibus* ejecti. *Gracchi, Saturnini, Drusi in Senatores & nobiles insurrexerunt. Socii urbicis, & quod amplius, servi ac gladiatores Dominis terribiles fuerunt. Bellis laboratum est Intestinis plus quàm Civilibus. Ut transeamus*, Catilinas, Marios, Syllas, Cinnas & Sertorios, *in ipso Monarchiæ exordio, quid funestius* Pompeji *ac* Cæsaris *conflictu, Oriente & Occidente inter se concurrente? Quod Regnum unquam ita divisum fuit? quam calamitatem excepit* Octaviani *&* Antonii *furor bellicus? Ut videas ex dissidiis & bellis intestinis* Romanum Regnum *describi, mox ab initio, quod Scriptura magis respicit, quamvis si etiam ad posteriora tempora spectaris, invenies nihil seditiosius, nihil*

„ *pugna-*

„ *pugnacius*, *ut pro* miraculo *ponas* illius du-
„ rationem: *Quotusquisque enim Imperatorum*
„ *in Senatum non sæviit hostiliter? Quàm pauci*
„ *ex arbitrio illius regnârunt?* Ibidemque post
„ illa: Et de planta ferrea. *Videbas* ma-
„ gnum Miraculum, *quod* Regnum *ita in se*
„ *divisum*, *& partim fictile*, tanto tempore
„ *consistat ac duret. Esto* testei pedes *sint*, *ni-*
„ *hilominus* planta *ferrea* est, *& in* maximis
„ calamitatibus *consistit & diuturna est. Quia*
„ *enim* sæpè *victi*, *iterum* sæpè *triumphârunt*,
„ sæpè *ad ultimam desperationem deducti*, *ite-*
„ *rum respirarunt Romani*, *satis declarârunt se*
„ *partim* fictiles, *partim* ferreos, *ob ancipites*
„ *eventus. Repete enim res illorum ab initio.* Mul-
„ tos præclaros Triumphos egere, sed &
„ multas Clades accepere. *Ferè* semper *pa-*
„ *tuerunt* Jani *fores*. Sabini *in medium forum*
„ *proruperunt*. Senones *solum Capitolium su-*
„ *perstes reliquerunt. Cives exules cum capti-*
„ *vis servis etiam Capitolium exusserunt. Tre-*
„ *centos* Fabios *uno die apud Cremeram perdide-*
„ *re Vejentes*. Fabii *Consulis* cladem *novit*
„ *Allia. Apud Furcas Caudinas à* Samnitibus
„ *ignominia singulari notati sunt. Molestus fuit*
„ Pyrrhus *Epirota*: *at multò molestior* Hanni-
„ bal *Apher. Sciunt hoc Thrasymenus & Can-*
„ *næ. Non parum Romani sanguinis effuderunt*
„ Macedones: *neque his sequiores fuerunt*
„ Cymbri *ac* Teuthones. *Legiones in Assyria*
„ Craf-

„ Craſſus, *in Germania* Varrus *amittit. Nihilo-*
„ *minus & ſic manſit* Orbis Caput *Roma*. Ibi
„ denique poſt hæc & quod videbas fer-
„ rum fol. 28. contra Polychronium de
„ Romanis aſſerit; *quod tam atroci ambitione*
„ *inflammati erant ad belligerandum, ut nec ſan-*
„ *guini, nec affinitati reverentiam habeant. Dicit*
„ *enim*, nihili *habitas* affinitates *quæ inter illos*
„ *intercedebant, ſed futuros planè ἀςόργυς. Vide*
„ *enim, ut* Romulus, *interfecto* Numitore *avo*
„ *&* Remo *fratre*, civitatem *conſecrârit. Vide*
„ *ut* Sabinas *rapuerint, & cum patribus bellum*
„ *geſſerint. Vide abſolutum* Horatium *ſororici-*
„ *dam. Vide ſeveritatem* Bruti *Conſulum* pri-
„ mi, *qui duos filios*, reos, *virgis cæſos ſecuri per-*
„ *cuſſit, quaſi in Urbe* Reges *revocari voluerint.*
„ *Sed illis* utpote *ad ſecula* de quibus *Propheta*
„ loquitur *nihil* attinentibus, *omiſſis, Mo-*
„ *narchas* Julium *&* Auguſtum *conſideremus.*
„ Pompejus *Juliam* Cæſaris *filiam*, Anto-
„ nius *Octaviam* Auguſti *ſororem* uxorem *ha-*
„ *buit, & uterque à ſocero è medio ſublatus eſt.*
Verè ſeculum ἀλοσιδηρῦν, quod ut Apoſtolus Romanis verè ſcribit, proferebat præter cæteros non niſi Θεοςυγεῖς, καταλάλυς, ὑβρι-ςὰς, ὑπερηφάνυς, ἀλαζόνας, ἐφευρετὰς κακῶν, ἀσυνέτυς, ἀσυνθέτυς, ἀςόργυς, ἀσπόνδυς, ἀνε-λεήμονας, uſqueadeò uti nequitiâ vincere viderentur luſcum illum Pœnorum Ducem *Hannibalem*; quippe qui hoſtem quem

aperto

aperto Marte ſuperare nequibat,operta arte aggrediebatur; contra ac generoſior ille *Alexander M.* ſapiebat, qui ab omni ferè Victoria furtiva tali abhorrebat, qualis *Philippo* patri non ſemel complacuerat. Quid quæris? Ego, ſalva aliorum quorumcumque fide, crediderim, *Hannibalem* nunquam ulla ex parte ſive vivum, ſive defunctum, in antiqua hiſtoria malè fuiſſe auditurum, ſi modò tam accuratè victorias ſuas famoſas proſequi uſque in Romanum Capitolium triumphale conſciviſſet, quàm illas conſequi dextrè in prælis ſecundis calluiſſet, juxta illud vatis:

Summam ſemper amat Victoria Martia curam.

Curam namque magnam requirebat illa Victoria, quam ipſe eo die reportavit, quo *Titum Sempronium* Romanorum Conſulem apud *Trebiam* Italiæ fluvium in Gallia Cis-Alpina profligavit. Curam majorem exigebat illa Victoria, quâ gaudebat, ſimulatque *Flaminium* ad *Thraſymenum* lacum in agro Peruſino fuderat, cæſis 15000. Romanorum. Curam denique maximam poſcebat illa Victoria, quâ ad Cannas Apuliæ vicum Conſules illos ambos Romanorum recens creatos *Paulum Æmylium* & *Terentium Varronem* ſic devicerat, ut ad 40000. peditum & 2000. ſupra 700. equites commemorentur cæſa & è manubiis à Victo-

Victore Carthaginem 3½ modii annulorum transmissi. Quippe ita vindex Divinæ providentiæ Oculus invisa unius gentis superbæ opulentiâ solet medicari notoriam depressæ alterius inopiam tanquam aureo emplastro. Maro equidem suis quoque Mecœnatibus Romanis sic supparasitatur:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

Dedit tamen liberior ac verior ille vates Venusinus *Horatius* indomito Bestiæ hujus impotentis ingenio fatales frenos tales: *En suis & ipsa Roma viribus ruit.* Ruina namque hujus Bestiæ fuit anno ab Urbe condita cIↄ III. cum *Decius* XXVI. Imperator unà cum filio suo cæsus est à Gothis, à quibus Imperium postea deletum adeò fuit sub *Athalarico* commemorato, *Genserico*, *Odoacre Herulo* & aliis barbaris immanissimisque gentibus usque ad *Caroli M.* ætatem, ut vel Romam in Roma requisivisses, prout ferè plerique Scriptorum hariolari ausint ex hujusmodi Cabala Sibyllina:

P	——	100
Ω	——	800
M	——	40
H	——	8
		——

Summa 948 Annorum;

Quibus à jacto Urbis fundamento elapsis, fata-

fatalem Eidem Terminum exſtitiſſe, jamdudum præſagiunt, dum L V. annos annis iſtis additis addunt. Addo quod in Atlantibus Coſmographicis comperias, quemadmodum oculatiſſima Divinæ Providentiæ dextra inſatiabili Romanæ Beſtiæ dominatrici ex tribus Mundi partibus tales limitaneos finium regundorum terminos conſtituerit, ut *ad Occidentem* olim ſortiretur Imperii ſui Terminum extremitatem Hiſpaniæ; Euphratem, Taurum & Armeniam *ad Orientem*; Rhenum & Danubium *ad Septentrionem*; Æthiopiam verò *ad Auſtrum*, juxta illud Pomponii Læti lib. 2. Rom. hiſt. ſub Rubr. Magnitudo Imperii Romani: *Ab Ortu uſque ad Indos propagati Imperii fines: non Euphrates, non Tygris vetuere, non ſuperbæ Regum Perſarum minæ; à Meridie Æthiopes per Legatos adcerſere, ab Aquilone barbaræ feræque nationes Sarmatarum domitæ; ab Occaſo Genſoriacus Oceanus admirabilis, Victoriæ teſtis eſt, ſimul & Britannicus. Igitur toto terrarum Orbe undique Romana arma illuſtres victorias adſecuta, ſociis lætitiam præbuere, rebellibus metum terroremque pugnare cupientibus. Porrò Perſæ armis Rom. cedere confeſſi intra poſitos Terminos ſe tenuerunt. Poſt tot Victorias Maximus Triumphus ab Senatu decretus, & inclyta cognomina Principibus indita ab devictis populis.* Populos igitur noſtri bellatores Chriſtianorum

norum hodierni (qui facilè pro ingenio ſuo Martio arma ſumunt, fineſque ſuos, ſummoventes primò, mox etiam inferentes bella, defendunt, ut cum magno illo Homeri *Achille* Τιμὴν μεγάλην καὶ κῦδος conſequantur) ſic terra marique devincant, ut in Proceſſibus Militiæ Maozinicæ Exſequutivis antiquam illam Romanam Beſtiam bellatricem nunquam æmulentur, ſed ſemper rapinas, incendia, fratricidia & excidia abominentur, & (antequam ſanguinolento prælio dimicatum abeant cum fratribus, quos ſibi Conquæſtoribus plærumque non niſi propter unum atque alterum Pronomen ex amicis fecerunt hoſtes, juxta illud Chryſoſtomi tom. 3. de *Philogono* Epiſcopo diſſerentis: MEUM ac TUUM *frigidum illud verbum, & quicquid eſt Malorum, in vitam noſtram invehit, & innumera bella gignit*) dextrè cum omnibus Novis in Chriſto Jeſu Creaturis Angelicum illud Exercitus cœleſtis Canticum cantando modulentur: Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Quod ſi quis vel à volucribus cœli vel à conſpirationibus hoſtilis inteſtini Adami ſui ſenis ſubtilibus perſuaſus fuerit; Se ſic eſſe ad pugnandum natum & educatum, ut à pugnando nequeat diſſuaderi, conſuaſor ego huic ingenio pugnaci ero ad tale prænobile

bile pugnandi genus, de quali Ecclesia Triumphans sic alloqui quodvis Ecclesiæ Militantis membrum videtur: *Toto cælo erras, si viam ad cælum aliam ab illâ Regiâ quæritas, quam* Christus *Imperator noster* Crucifixus *& Dux prævius suo ipsius sanguine signavit, cujus nobilissimis vestigiis calcandis* Nos *tantisper inhæsimus, dum jejunando, vigilando, orando, laborando, tolerando, perstando, pugnando & superando ad nostras* Triumphales *speratæ immortalitatis beatæ coronas huc pervenimus. Pervenietis itaque huc Tu & reliqui Vos, si Fide patiente, Dilectione fervente & Spe vivente sub victorioso sanctæ Crucis labaro perseveranter secuti fueritis* Nos, *posteaquam bene cœperitis*, juxta illud Cypriani: *Voluntatem vicisse voluptas est maxima, nec ulla major est Victoria, quàm quæ de Cupiditatibus refertur.* Cæterùm *qui primo tempore non cœperit velle resistere, incipiet sequenti nec velle nec posse*, ut inquit Eusebius Emissenus, secundùm vetus illud Monostichon Trochaicum de animo Dei æmulatore:

Perfectissimus vir est, qui affectione haud vincitur.

Vinci namque vix ac ne vix quidem potest qui auscultat *Augustini* sic commonenti: *Summa Religionis est imitari eum quem colis*; juxta illud *Platonis* è libro naturæ: *Perfectio hominis consistit in imitatione Dei.* Deo igitur

πάλα-

παλαμναίῳ (qui ſalutatur אֶרֶךְ אַפַּיִם Exod. 34. ℣. 6. ut ipſius imitatores evadamus) vindictam omnem privatam committamus.

III. Romana Monarchia (cujus fundamenta jecit *Romulus* anno IV. Olympiadis VI. ex A. D. XI. Cal. Maij, quem natalem Romæ diem *Parilia* appellarunt, teſte *Goltzio* in faſtis Magiſtratuum & Triumphorum Romanorum) erat talis ſagax & tenax Beſtia, qualis ſic ex alterius incommodis commoda comparare ſua perdidicerat, ut extra Italiam mallet exercitui ſuo in ſede belli ex alieno gazophylacio exſpoliato perſolvere ſtipendia, quàm ex communi metropolis ſuæ ærario. Quicunque igitur hanc Beſtiam nondum cognoſcit, cognoſcat ſic eam ex capite:

R *adix* O *mnium* M *alorum* A *varitia*. 1. Tim. 6. ℣. 10.

Avaritia autem (cujus poſſeſſorem idololatricum *Cyprianus* apud *Defenſorem* c. 25. ſcintill. fol. 86. comparat *Inferno* voraginoſo qui eſt helluo tam inexſaturabilis, ut nihil ſupra) præter cætera eſt Characterum unus idemque propemodum præcipuus, quo à Chriſto diſtinguitur & internoſcitur Antichriſtus. Antichriſtum autem *Hieronymus* deſcripturus ait: *Ne putemus*

juxta

juxta quorundam opinionem vel Diabolum vel Dæmonem, sed unum ex hominibus, in quo totus Satan habitaturus sit corporaliter. At, subscribente *Oecolampadio* ad Dan. 7. §. 8. fol. 84. *Regnum quodam* rectius *acceperis ac Tyrannidem Christo adversariam, sicut & cætera Cornua & feræ in singulos homines referuntur, qui* mos *est* apud Prophetas, *ut per* unum hominem *totum Regnum cum successoribus significent. Itaque* Johannes Euangelista *illum nobis sic annunciat in prima epistola*: Sicut audistis quod *Antichristus* venit, etiam nunc *Antichristi multi* facti sunt, *è nobis* profecti sunt, & non erant ex nobis. *Igitur* domesticus *quidam* hostis *est, & ut* Paulus *ait, in* Templo Dei *sedet, & postea indicabitur.* Hinc licet cognoscere, *X. Cornua magis ad gentilem impietatem pertinere & ad eos, qui non sub sanctæ nostræ Religionis prætextu,* populum Dei *impugnant, etiamsi in hoc aliqua ex parte* Antichristo *militent* : Antichristum *verò* ex nostris *prodire, quasi in* Christi *nomine* Christum *oppugnare, Johannes Apoc.* 13. *ubi* de Bestia X. Cornuum *locutus, subjungit*: Et vidi aliam Bestiam descendentem è terra, & habebat 2. Cornua similia Agni, & loquebatur sicut Draco, & Potestatem prioris Bestiæ omnem facit in conspectu ejus. *Per* hanc Feram *intelligo* Antichri-

„ tichriſtum, & Poteſtatem *illam* ſæviſſi-
„ mam, *quæ inter illa* X. *Cornua exoritur*, &
„ *etiam* ipſa 2. Cornua, *hoc eſt*, potentiſſi-
„ ma Regna *habet dum increſcit. Nam* & Ma-
„ humetus *in Aſia*, & *Africa*, & *Pſeudo-*
„ *prophetæ quidam ac* P*ſeudoëpiſcopi in Europa*,
„ ſummam Poteſtatem *conſequuti ſunt*, *non*
„ *inferiorem eâ quæ in* X. *Cornibus*, *quæ lo-*
„ *qui non auſim*, *niſi ante oculos res poſita eſſet.*
„ *Et quamvis* utrumque Cornu, *omnes* Anti-
„ chriſti *numeros impleat*, utrumque *tamen*
„ *exſpectat* venturum quendam commen-
„ titium Chriſtum. *Mahumetes enim in ſuo*
„ *AlKorano dicit venturum* Chriſtum, *quia*
„ Antichriſtum *illum occidat. Idem fatentur*
„ & Papiſticæ ſcholæ, *interim hoc prætextu*
„ ne revelentur *ipſi ſatagentes.* Et pag. 85.
„ *Parva initia fuere Pſeudoprophetarum.* Hera-
„ clio *enim imperante in Oriente*, *deficientibus*
„ *nunc illis*, *nunc aliis Provinciis*: & Phoca
„ *in Occidente infelicius gubernante*, & *nec Ita-*
„ *liam integram poſſidente*. Mahumetes *Arabs*
„ Neſtorianus *factus*, *dein* novæ ſectæ *ac*
„ Legis *autor*, *humillimi exordii*, *gloriatus ſe*
„ *eſſe* æterni Dei Prophetam, *multos* Aſiæ
„ & Africæ *populos ſibi jungit*, Sarracenos
„ *illos cognominans*, & *non multò poſt etiam* Per-
„ ſas *occupat. Eodem tempore* Roma, *conſen-*
„ *tiente* Phocâ, *facit ſe* Caput Omnium Ec-
„ cleſiarum, *ex pauperibus* Monachis *ditiſſimi*

„ Abbates *evadunt*, *ex* Epiſcopis *Populorum*
„ *Principes*, *dum Gothi, Longobardi, Hunni, &*
„ *aliæ externæ gentes Regna obterunt*, *& Roman*
„ *ipſam vaſtant*: *inde lucrum facit* Pontifex
„ *& nunc ad Gallos*, *nunc ad Germanos confu-*
„ *git*, *& cum omnibus ita egit*, *ut* Terrenum
„ Principatum & Imperii conferendi Jus
„ *paulatim ſibi vendicârit*, metuenduſque *fa-*
ctus ſit Imperatoribus. Et paulò poſt de con-
ditionibus & notis Antichriſti: *Inter* X
„ Cornua *ſuppullulat* Parvum Cornu, *etiam*
„ *Ipſum* Bicornis fera. *Quis tales* ſucceſſores
„ Petri *ſuſpicatus eſſet*? *Jam de* ſola Potentia
„ *loquor.* *Quis* Mahumeto *tantum* Domi-
„ nium *polliceri auſus fuiſſet*? *Erant* parvi po-
„ tentatus, *hodiè* Potentiſſimis *metuendi*
„ Secundò *dicit*; Hoc Cornu *adſcendere* in-
„ ter alia, *ſeu,ut Angelus exponit*, Regem hunc
„ *majorem* prioribus. *Cui* Turcicam Poten-
„ tiam *conferes*? *Cui* Papiſticam Pompam
„ *comparabis*? *Quot Cardinales*, *Epiſcopi*, *Ab-*
„ *bates*, *Prælati*, *Clerici*, *Monachi*, *Notarii*,
„ *Doctores*, *in nomen Papæ jurarunt*? Tertiò
„ *dicit*; Tria de Cornibus primis evulſa &
„ cecidiſſe, *quod Angelus exponit*, Tres Re-
„ ges *humiliatos*; Humiliationem *pro* Evul-
„ ſione *ac* Ruina *ponens*, *ne penitus ſublatos*
„ *ſuſpiceris.* Polychronius *iterum cum ſuo* Por-
„ phyrio *de* Antiocho *exponens*, *quod ab* Aſia
„ *progreſſus*, *cepit* Perſas, Ægyptios & Ju-
dæos;

„ dæos; *sed in solitum impingens lapidem, ea*
„ *quæ* Quartæ Bestiæ *sunt*, *in* Tertiam *rejicit.*
„ Chiliastæ *& qui* Commentitium il-
„ lum *exspectant* Antichristum, *occasionem su-*
„ *mentes ex* XI. *cap. seq.* Tria illa Cornua
„ *exponunt de* Ægypto, Lydia *&* Æthiopia
„ *quæ* Antichristo *serviture* sunt. Rab. *Levi*
„ in hoc prudentius interpretatur, *quod*
„ Numeri religione *non constringitur*, *sed per*
„ Tres *Reges*, multos *intelligit*, *non in* sola
„ Triade *subsistens*, *alioquin* impius *&* va-
„ nus, *qui* Christianis *Imperatoribus* Blas-
„ phemias *&* Tyrannidem *adscribit*. *Rab.*
„ Saadias *in hoc* multò oculatior, Ismaë-
„ litarum Regno, *hoc est*, Mahumetico
„ *verè* Antichristiano, *illa convenire vidit*; *qui*
„ *etiam* Regna *prædicta pleraque occupavit.*
„ *Quin &* Papam *Romanum* Triplex illa Co-
„ rona *infamat*, *quasi prodens*, illum *esse*
„ Trium Regum Humiliatorem, *quam ta-*
„ *men* adulatores illius, *ut ipsum* Deum *fa-*
„ *ciant*, Potentiæ in Cœlo, Terraque &
„ Inferis symbolum esse palam *dicunt*. *Jam si*
„ transferre Imperium ex Oriente in Oc-
„ cidentem, ex Gallia in Germanos, &
„ contra, *non est* Humiliare Reges; *audire*
„ *velim*, *quid in hac re illi non conveniat. In A-*
„ *pocalypsi* Potestas Antichristi *perquàm obscu-*
„ *rè*, *&*, *ut ita dicam*, Σφιγγικῶς *proponitur*:
„ *quem* nodum *hoc loco* dissolvere *non inoppor-*

„ *tunum fuerit.* *De* Beſtia X. Cornuum (*quæ*
„ *juxta hunc Prophetam* Romanum Regnum
„ *eſt*) dicit unum de Capitibus ejus quaſi
„ occiſum in Mortem & plagam Mortis
„ curatam fuiſſe. *Quid ſibi vult*, Unum de
„ Capitibus quaſi occidi ? *Nonne hic* Tria
„ cornua *evelluntur* ? *Ubique* Romanæ Mo-
„ narchiæ *Scriptura* διαίρεσιν & Diviſionem
„ *minatur*, quam *factam eſſe* ſole meridiano
„ clarius *eſt*. *Meditatur igitur* Beſtia *illa* Re-
„ dintegrationem *&* plagæ *hujus* Curatio-
„ nem, unumque & Primum Caput, *hoc*
„ *eſt*, Monarchiam *attollere*, Sanatur *autem*
„ quodammodo *in* Antichriſto, *&* Mahu-
„ meto *&* Papa. *Uterque enim ſibi* Monar-
„ chiam *quaſi olim* Auguſto *vindicare ſtudet.*
„ Papa *enim ſe* Caput Eccleſiæ, *& ita* Ca-
„ put Orbis *putat*; *&* Mahumetus *ſe* non
„ viliorem *arbitratur*. Mahumetus *omnes* Le-
„ gi ſuæ *contradicentes occidi jubet*, *niſi* Tribu-
„ ta *ſolvant*. Papa *omnes* ſuis Conſtitutioni-
„ bus *non obtemperantes* Anathematis fulmi-
„ ne *percutit*; *unde* Monarchiam *palam exi-*
„ *gunt*. Eapropter *quæ ibi apud* Johannem
„ *ſubjunguntur*, ad ſequentia *ſpectare cenſeo*,
„ *dum ſeſe exponit*, quod viderit *aliam Beſtiam*
„ adſcendentem de Terra, & habentem
„ 2. Cornua Agni, & loquentem ut Draco-
„ nem. *Subdit enim*: Et Poteſtatem prio-
„ ris Beſtiæ omnem facit in conſpectu e-
jus,

„jus, & facit Terram, & habitantes in
„Ea adorare Beſtiam Primam, cujus pla-
„ga eis curata videbatur. *Videtis*, ô Reges
„& Principes, *in conſpectu veſtro*, veſtram
„Poteſtatem, *quæ non eſt* Spiritualis, *ar-*
„*ripit & facit* hæc Beſtia, *dominatur*, *belli-*
„*geratur*, *prædatur*, *ſtrages facit*, *ſeque* Mo-
„narcham *haberi cupit*. *Vult enim in ſeſe* Pri-
„mam Beſtiam, *id eſt*, Monarchiam, *quæ*
„*in* uno, *id eſt*, primo *ex illis capitibus* Julio,
„Auguſto, Nerone, Trajano, *& ſimilibus*
„*videbatur adorari*, & *ſic* plagam hujus
„Beſtiæ *reparari*. Septemcaſtrenſis *quidam*
„*Turcarum olim captivus in* libro de *Turcarum*
„moribus c. 5. *hunc locum* Apoc. 13. *expen-*
„*dens* probè *advertit*; Primam illam Be-
„ſtiam *eſſe* Perſecutionem ſub Romanis
„gentilibus, Cornuum Potentiâ armatis,
„Diadematum Coronis & Pompâ orna-
„tis, Capitum induſtriâ admirabilibus,
„Armis Externis contra cultum Dei ſæ-
„vientem: Secundam autem illam Be-
„ſtiam de Terra adſcendentem, terribi-
„liorem *reipſa* quàm *adſpectu*, etiam Armis
„Spiritualibus Divinum Cultum impu-
„gnare, & ad *Antichriſtum* ſpectare. *Et*
„*de his quidem* ille *benè diſſerit*. *Verùm* Anti-
„chriſtus *etiam* Cornutus *eſt*, *&* omnem
„Poteſtatem Prioris Beſtiæ *facit*: *& Prio*
„Dolis *ac* Blaſphemiis *non carebat*, *&* hæc

„ *non est* inermis. *Porrò* cap. X V II. *legimus*;
„ Decem illos Reges & Cornua *unum Con-*
„ *silium* habere, & Potestatem suam *Bestiæ*
„ tradere. *Quem locum si cum priore confers*,
„ *videbis illum benè à nobis expensum*. In con-
„ spectu sanè *Regum*, qui & ipsi *Impietatis*
„ *Amici* sunt, &, *ut Psaltes ait*, adversus
„ Dominum Christumque ejus, *Agnum*
„ scilicet, *aciem parant*. Bestia *igitur* X.
„ Cornuum *favet* Bicorni *seu* Cornu Parvu-
„ lo, *suam* Monarchiam, *Mahumetis sectam*
„ Orientis Principes; *Papæ Blasphemias*, Oc-
„ cidentales Proceres *approbant ac tutantur*,
„ Belluamque *Terrenam* Marinâ *adjuvant*.
„ Est autem *Terrena* Bestia, *Antichristus &*
„ *Pseudopropheta* idem. Post quod παράδοξον
subjungit: *Sic Tres illi Reges & secundum* Jo-
„ hannem, X. *Reges humiliantur*, *dum* Unum
„ Consilium *habent*, & Potentiam & Pote-
„ statem suam *tradunt* Antichristo. *Unde*
„ *etiam* Major *Illi* Autoritas *præ* Omnibus
Cornibus *&* Potestatibus *sociis*. Et in cap.
„ 8. §. 25. fol. 102. *Antichristum autem* non
„ pro una Persona *accipimus*, *sed si cuiquam*
„ *mortalium* id nominis *peculiariter* convenit,
„ *certè* Mahometi *vel* Papæ cuipiam *inter*
cæteros flagitiosissimo *competet*. Et ibidem
„ post pauca interjecta: *Mihi* Antichristus
„ *est*, *quisquis è nobis egressus*, *& in loco Dei se-*
„ *dens*, *nomen Dei blasphemat*, *Ecclesiamque*
Christi

„ *Christi persequitur, sive Romanus, sive Alexan-*
„ *drinus Episcopus sit.* O paraphrasin excellentissimam! Excellentiorem autem inter tales Spiritus (qualium familiam Hispani vocant *los Alumbrados*, cùm inter illos illud Apostolicum 1. Cor. 14. ℣. 30. quod in plerisque Synagogis aliis vulgò exulat, potissimum vigeat: *Quod si quid alii revelatum fuerit assidenti, prior taceat*) subministrari, ego impræsentiarum non indagabo, sed ad Mercurialem Harpocratis statuam aliquantisper respirabo & in via Christianæ parsimoniæ sancta regiaque è Jud. 9. ℣. 8 & seqqqqqqq. vociferationem *Jothami* de tribu *Jerubbahalis* Allegoricam in vertice montis Gerizzimorum contra *Abimelechum* fratricidam ad Sichemitas ruminabo: *Aliquando iverunt Arbores ut crearent sibi Regem, dixeruntque Olivæ*: Regna super nos. *Sed respondit eis Oliva*: Cogerérne desistere cum Pinguedine mea Ego, per quam honorantur Deus & homines; ut irem vagatum propter alias Arbores? *Tum dixerunt Arbores ficui*: Veni Tu, regnatum super nos. *Sed respondit eis Ficus*: Cogerérne desistere Ego cum Dulcedine mea,& cum reditu meo optimo; ut irem vagatum propter alias Arbores? *Tum dixerunt Arbores Viti*: Veni Tu, regnatum super nos. *Sed respondit eis Vitis*: Cogerérne desistere Ego cum Musto

meo, quod lætificat Deum & homines; ut irem vagatum propter alias Arbores? *Denique dixerunt Omnes Arbores Cynosbato*: Veni Tu, regnatum ſuper nos. *Tum Cynosbatus reſpondit Arboribus*: Si ſerio Vos creatis Me in Regem, venite obtectum vos Umbrâ mea; ſin minus, exeat Ignis ex Cynoſbato, & abſumat ipſas Libani Cedros. *Muhammedonem* quidem ſibi in religioſum Conſcientiarum ſuarum Regem cooptavit Natio Orientalis; *Pontificem* autem *Maximum Tiberinum* animabus ſuis præfecit Natio Occidentalis; quantum autem lucrifecerint utraque, non tantum jam olim præmonſtravit *Paulus* Apoſtolus 2. Theſſal. 2. ℣. 10. 11. 12. ſed etiam *Johannes* Theologus Apoc. 14. ℣. 10. 11. Uterque enim Pſeudopropheta eſt talis Mercator Abbadonicus, qualis præter cætera membra præ ſe fert oculos hominis & duo cornua Agni, ſed linguam Draconis & caudam ſcorpionis. O hypocritas hypocritarũ vulpinos ac pantherinos! Amat quidem Pontifex Romanenſium Animarum Maximus ſalutari *Servus ſervorum Dei*: Dei autem ſervis proteſtantibus, quotieſcunque in eos involare poteſt, taliter ſervit, qualiter de nepotibus Herodianis ex tribu Cain Chriſtus ſuis prædixit Joh. 16. verſ. 2. *Veniet tempus quum quiſquis vos interemerit, putet ſe Deo cultum*

tum præſtare. Præſtat autem in Hierarchico Beſtiæ Antichriſtianæ bello inter atroces minas & truces carnificinas trucidari, quàm in hac vita perbrevi cum illa Meretrice mercatrice mercari & poſt mortem ac reſurrectionem cum illa ad æterna Diabolorum omnium tormenta condemnari. Nunquam enim Draconem adorabunt animæ iſtæ virgineæ, quarum nomina verè inſcripta ſunt albo vitæ Agni. Agni quoque pediſequæ animæ ſuſque deque habent terriculamenta Vaticanorum Deorum negantium, cum *Antipapiſtis* (quos per calumniam *Hæreticos* vocant) non tantum non diſputandum, ſed ne aures quidem eis accommodandas, ne rationem fidei ſuæ proferant. Hinc *Lutherus*, quæcunque alii Interpretes ſuper Danielem in *Antiochum Epiphanem* detorquent, uberrimo verborum argumentoſorum flumine in Regnum Pontificium retorquet. Retorſio autem hæc (quâ ὀφθαλμοφανερῶς demonſtraverat; *Papatum non eſſe proſeminatum è Dei cælo, ſed ſubortum è Diaboli inferno*) hypocriticam multorum cæco morbo laborantium Papalium animalium rationalium Patientiam ita læſit, anxit, uſſit atque torſit, ut in furorem degenerarit & variis injuriis verbalibus vindicarit. Vindictam enim molitus eſt primipilus ille Pontificiæ mili-

tiæ Commilito *Cochlæus* qui anno cIɔ Iɔxx. dentatam edidit chartam, quæ inſcribitur *Septiceps Lutherus, Ubique Sibi Suis Scriptis Contrarius.* Conſimilium inſaniarum falſarum eſt, quod olim contra eundem Reformatorem ad *Franciſcum* I. Galliarum Regem Ambroſius *Catharinus* Politus ſic ſcripſit: *Omnis qui ſolvit Jeſum, eſt Antichriſtus.* Lutherus *autem Jeſum ſolvit, dum ſummum ſummi noſtri Hierarchæ Papæ Monarchiam Poteſtati Terrenæ ſubjicit. Ergò.* O miſerabilem Dialecticam! Dialectica enim pari liceret longè juſtius ſic inferre: *Dum totus antiquæ Eccleſiæ chorus inter cœnandum cantat:*

Sub diverſis ſpeciebus,
Signis tantùm & non rebus,
Sumit unus, ſumunt mille,
Tantum hic, quantum ille;

effrons Papa novus tanquam vulpes furax per feneſtram Concilii illabitur & calicem, quem Laicis ſuffuratur, in avidum ſolorum Clericorum ſinum inſinuat, atque ita Jeſum ſolvit. Ergo.

Denique apud *Bongum* Bergomatem in Myſteriorum Arithmeticorum libro (ſuper Apoc. 13. ℣. 18. ubi exſtat: Ὧδε ἡ σοφία ἐστίν· ὁ ἔχων τὸν νοῦν, ψηφιζάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου· ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου ἐστὶ, καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ χξϛʹ.) ſic legitur: *Itali quidam auſi ſunt affirmare; hanc Prophetiam adimpletam in impio illo* Martino Luthero, *quod hujus numeri*

meri in unum collati, conficiant 666. *Dividunt nim totum Alphabetum tres in Classes, quarum prima tenet Vnitates; secunda Decades; tertia Centurias.*

M	——	30	
A	——	1	
R	——	80	
T	——	100	
I	——	9	
N	——	40	
L	——	20	
U	——	200	
T	——	100	
E	——	5	
R	——	80	
A	——	1	
Facit		666	

Sedenim è regione habebatur hoc:

לוּלְתֶר:

ל	——	30
ו	——	6
ל	——	30
ת	——	400
ר	——	200
Facit		666

Verumenimverò hujusmodi vanitatis calumniatricis Cabalistæ non videntur agere candidè. Candidius autẽ agere videtur *Brocardus*, qui Mysterium isthoc Arithmeticum ad *Paulum* IV. Pontificem Romanensium animarũ Maximum non sine redditâ ratione probabili applicat. Candidissimè denique omnium agere videtur candidissimus ille Pontificiorum Theologus *Gagnejus*.

Hic enim noluit, quando ad iſtum Apoc. 13. locum explicandum pervenit, famam proximi cujuſpiam vel vivi vel defuncti honeſtam ſugillare, ſed maluit ſemetipſum abnegare. Habent enim ſic idioma Græ-
„ cum Latinè reddentis verba: *Hic eſt* Sa-
„ pientia, *qui habet* intellectum, *computet*
„ Numerum Beſtiæ; *Hominis* enim *Nume-*
„ *rus* eſt. *Quaſi diceret*; Nominari poteſt, *Ho-*
„ *minis* enim *Numerus* eſt, non *Dei*, cujus
„ ſapientiæ non eſt numerus; quanquam
„ ille ſe *Deum* mentiatur. Et numerus ejus
„ eſt IↃC LXVI. *Ego ſanè*, qui ſit iſte
„ Numerus, *planè me ignorare fateor*, & *nec-*
„ *dum* eâ *donatum* ſapientiâ, *quæ reperire id*
„ *poſſit*. Poſſent, ſi modò vellent, omnes iſti (qui noſtra ætate prius Commentarios tam in cæteros Veteris Novique Fœderis codices Canonicos quàm in Geneſin & Apocalypſin ſcribere connituntur, quàm ipſos οὐρανόθεν afflavit Flamen rectè interpretandi SS. Biblia θεόπνευστα) in iſthoc pectus Pontificæ animæ ingenuum tanquam in ſpeculum terſum inſpicere ad confuſionem & emendationem ſui uſque. Tunc enim procul dubio tot Commentariis ἰδίας ἐπιλύσεως Apocryphis (quos nihilominus *Divina Talenta* & *Editos ingeniorum ſuorum Partus* nuncupare non erubeſcunt) ipſi non omnia Bibliopolarum Europæorum plau-

plauſtra ita prægravarent, ut gemerent: ſed à Spiritu Apoſtolorum principali commemorato ita in omnem Veritatem Catholicam ducerentur, ut à talibus calumnioſis mendaciis omninò abhorrerent & abſtinerent, qualium unum portentoſum præter cætera *Didacus à Stella* ſic ſuo Commentario in Luc. 10. tom. 2. pag. 8. col. 2.
„ immiſcere auſus eſt: *Hæreſiarcha ille* Mar-
„ tinus Lutherus *cum ad Imp.* Carolum V.
„ (*qui Wormatiæ erat*) *veniret, in plauſtro de-*
„ *aurato venit, famulis ſtipatus, maximo comi-*
„ *tatu; lyram & diverſa Inſtrumentorum genera*
„ *ſecum ferens. At Chriſtus aliter prædicavit*
„ *Euangelium, multò aliter ſuos diſcipulos mittit.*
„ *Aut Lutherus errat, aut Chriſtus decipitur.*
„ *Sanctiſſimi Chriſti diſcipuli non in divitiis &*
„ *delitiis viventes, ſine ſacculo, ſine pera, ſine*
„ *pecuniis iter faciunt, Mundi illecebras & volu-*
„ *ptates vincentes, jejuniis caſtigando corpus, vi-*
„ *giliis inſtando, ſanctiſſimam caſtitatem ſervando,*
„ *nudi, afflicti, deſpecti, Crucis mortificationem*
„ *ſuis corporibus gerentes, Eccleſiam Dei plantâ-*
„ *runt, ſuo ſanguine illam irrigantes. Hic au-*
„ *tem Lutherus oppoſito modo nobis Eam vult de-*
„ *pingere, quæ cùm ſponſa ſit Chriſti, ejus lacte &*
„ *amplexibus nutrita; luxuriis, voluptatibus &*
„ *immunditiis Ipſam curat violare.* Conſimilia fere *Cornelius à Lapide* in *Calvinum Magnum* evomit. Sed quid faciamus hominibus, qui
 alibi

alibi habere videntur duo cornua Agni benigni, alibi verò loquuntur verba Draconis maligni? Reſpondet nobis jamdudum Doctor Doctorum: *Sinite illos. Quia ſunt cæci cæcorum Duces.* Duces autem hujuſmodi cæci cæcitati ſuæ inveteratæ nullum magis præſentanium collyrium invenient, quàm quod à ſemetipſis petent, niſi ipſos meretrices liberi ſui arbitrii vires, quibus niti ſolent, fallent. Quid quæris? Mihi non vacat hîc longum eſſe, ſed præſtat dulce aliquod dare Diſcurſui noſtro Panegyrico intervallum. Quippe ad dapes itur poſt inediam. *Muſæ* namque ſua ſibi honeſta laxamenta quæritant atque *Gratiis* in ſuo comitatu ſtipantibus triumphant, quæ ridere nonnunquam amant. Quid? quod vel ipſum *Siſyphum*, perpetui laboris damnatum, fabulantur ſuum ſaxum, *Orpheo* fidibus canente, ſuſpendere.

Suſpendamus igitur hîc ita Perſuaſionem Pontificis Romanenſium animarum Maximi, qui ſe geſtit cognominari עֶבֶד עַבְדֵי יְהוָה, ſeu ſeu *Servum ſervorum Dei*, ut ſuper ea ſuos ipſius filios committi ſpectemus.

Alii quippe eorum venerantur Hierarchicam Cathedræ Pontificalis magnificen-

tiam, mitram, purpuram & coronam: alii mirantur tantam ingenii Papalis prudentiam, quantâ ſuper intricatiſſimis quibuſque utriuſque Conſcientiæ caſibus poteſt expetenti Cæſareæ Auſtriæ, Catholicæ Hiſpaniæ, Chriſtianiſſimæ Galliæ aliiſque Mundi Regnis præſentiſſima ſuggerere conſilia; alii curioſo diſcruciantur animo, utrum Beatiſſimus Dn. Papa cum ſuâ pompoſiſſima Aula poſt mortem ſit ab Angelis atris abripiendus ad æternã Pſeudoprophetæ Apocalyptici paludem, an verò ab Angelis albis tranſportandus ad unã ex illis, de quibus manſionibus Propheta Prophetarum adpromiſit Electo ſuo gregi Joh. 14. ℣. 2. 3. *In domo Patris mei habitationes multæ ſunt; alioqui dixiſſem vobis: Proficiſcor paraturus vobis locum.* Cæli namque clavigeri ingenium eſt ſponte intromittere antiquorum Sanctorum ſimiles, excludere diſſimiles; cum nimirum ab eo panſopho vel eminus è ſuo quiſque vel charactere albicante vel charagmate nigricante facilè cognoſcatur, utrum pertineat ad agnos, an verò ad hircos. Intermiſce quod apud peregrinandi ſtudioſos jamdudum increbreſcat præfigurativum illud Palæſtinæ Muhammedanæ proverbium: *Il ne ſaut point aller brave en Jeruſalem.* Neminem enim ſuorum Chriſtus unquam legando *Paradiſis*

duobus

duobus donavit ; *uno* in hac vita, *altero* poſt hanc vitam. Quò procul dubio laudatus *Didacus* à *Stella* Pater Frater Minoritanus Regula ris obſervantiæ eâ hora quoque reſpexit, quâ in Luc. 10. tom. 2. p. 8. col. 2. ſcripſit: *Ovis adeò ſimplex natura eſt, ut tota ipſius gubernatio à Paſtoris ſoliciti cura dependeat, vi Pſ.23. ℣. 1.* Dominus regit me. *Numquid de hoc gloriari poterit Papa, Rex vel Imperator, aut aliquis Magnatum & Potentium Mundi? Nequaquam certè. Ii namque quantò plus habent, eò magis inſatiabili deſiderio & cupidine aguntur, grandique rerum neceſſitate laborant.* Nulla autem anima ſibimetipſi majus infligit nocumentum, quàm quæ tricipitem illum vitioſæ concupiſcentiæ ſuæ vermem mortalem reddit immortalem, dum illum in hac vita indulgentiæ, in qua ſola mortificari poteſt, mortificare negligit. Alii denique digladiantur ſuper Papæ divino Monitore, quovis mortis ſuccenturiato caduceatore & particulari præjudicio cæleſti de Ejus animâ in hora vitæ ultima; *Utrum fuerit vicarius Chriſti verus & ſucceſſor Petri ſincerus, nec ne? Utrum habuerit manſuetum & demiſſum Spiritum Chriſti pauperis, an verò Cacozeloticum & Phaëthontæum Spiritum Antichriſti divitis? Utrum fuerit præditus Spiritu Simonis Petri piſcatoris, qui quidem aurum & argentum non habebat, ſed miracula magna edebat, an verò*

adu'-

adulteratus genio Simonis Magi impostoris, qui Spiritum Dei, quo carebat, auro & argento emere & vendere volebat? Utrum intraverit in ovile Dominicum, ut lupus, vulpes, leo, fur aut latro, an verò ut talis pastor bonus, qualis vitam ponit pro ovibus? Atenim ille ego, qui isthæc jam in medium laudando attuli, novi hominem, super speciosis illis *Sanctitatis* & *Beatitatis Papalis* titulis sic è Plinio exclamantem: *O vana mortalitas & ad circumscribendum seipsam ingeniosa!* Ingeniosa videtur esse subsequens Petri Damiani narratio epist. l. 1. in ep. ad Summos Pontifices: *Ante annum in non longinqua ab hac regione villâ contigisse dicitur, quod quidam agricola vix erumpente crepusculo maturè surrexit, & enormis draconem magnitudinis vidit, quem quia lignum putavit, mox se super eum ad sedendum quasi in trabe composuit. Commota autem protinus bestia caput attollit, hominem cruento ore pervadit, sicque viventem sub momento rabidâ voracitate deglutiit.* Quotusquisque autem viatorum tam lynceus fuisset, ut in dormitabundo Dracone Trabem referente vel mortiferam bestiam quæsivisset, vel capitis periculum prævidisset? Ita prorsus hodieque non pauci (qui, dum summo Babylonis Europææ Throno insident, persuadent sibi, se in medio Angelicorum Cherubinorum ac Seraphinorum consistorio cleri-

cali

cali tutissimos præsidere) insident interea loci periculosè tanto Draconi, à quanto propediem deglutiendi sunt. Equidem notorium est non tantum illud Senecæ: *Inveterata difficilius curantur*; verum etiam illud Hippocratis: *Qui in gravi morbo dolorem non sentit, in illo spes sanitatis exigua est, aut propè nulla*; Tantum tamen abest, ut hodiè nos ulla ullius hominis, anima rationali nobilissima præditi, desperatio incessat, ut è contrario vestigio præsentaneum hoc ei inæstimabili describamus remedium è Ruffino & Pelagio Græcis scriptoribus: *Cum Arsenius adhuc in aula Arcadii & Honorii Impp. (quorum præceptor erat) degeret*, ardenter hoc unum θεόθεν petiit: *Domine, ostende mihi Viam, per quam possim salvari.* Eodem modo poterit, si voluerit, Papa Deo supplicare: *Domine! cum Ego jamdudum suspicer, hanc Cathedram mihi potius à Tua cælesti indulgentiâ indulgeri in iram quàm in gratiam; dignare quæso sic misereri mei propter Agnum Dei, qui tulit peccata Mundi, ut quantocyus ostendas mihi Viam illam æternam, per quam salvari queam atque ita hinc tanquam prædam eripiam meam unam unicamque animam, quippè quam à Filio tuo redmptam pluris facio quàm omnes Mundi magnificentias, divitias atque delicias Pontificias.* Quemadmodum autem Arsenius non frustra divinas divini Oraculi aures solicitavit,

sed

ſed ſuo tempore unum atque alterum reſponſum tulit, quorum hæc fuit ſumma: *Arſeni, fuge, quieſce, tace.* Ita etiam Dn. Papa à cæleſti Oraculo poſt ardentes orationis catenatæ inſtantias tandem auferet reſponſum non ingratum: *Fabi Chiſi! Noli per portam Antichriſtiani Mundi latam ad viam introire ſpacioſam, quæ multos Anteceſſorum tuorum abduxit in exitium, ſed ſummopere potius contende intrare per portam Crucis ac Lucis anguſtam ad viam vitæ ſtrictam, quam pauci illi Anteceſſorum tuorum tantùm invenire potuerunt, qui ſancta Chriſti & Petri veſtigia legerunt, quorum uterque, quantumvis diverſimodè, crucifixus diciturſcribiturque. Quapropter ſi ſeriò ſalutem animæ tuæ æternam amas, quamprimùm ſuperbam iſtam Romanæ Curiæ ac Curæ Cathedram derelinque, in pedes Apoſtolicos te conjice, curre, vola per mundum univerſum, prædicaturus Euangelium omni Creaturæ, & ſalutaturus quoſvis occurſantes Tyrannorum ac Tortorum apparatus:* Salvete enſes, ſecures, compedes, pectines, cruces, faces, ſcorpiones, virgæ, flagra; plumbatæ, ungulæ, forcipes, murices, equulei, culei, trochleæ, ſagittæ, ollæ, pelves, lebetes, ſartagines, tympana, torcularia, terebra, rotæ, crepidæ, ſerræ, craticulæ, ignes, rogi, chirothecæ, ocreæ, manicæ, ſellæ, ſubulæ, laminæ, lecticæ, galeæ, tunicæ, funeralia roſtra, pegma-

pegmata, terriculamenta & reliqua ingeniosæ crudelitatis instrumenta. *Quid juverit hîc animo consternari aut tergiversari? Viro forti quævis terra pro sepulchro est. Quare confide, Ego ero tecum. Satis Romanæ sedi præsedisti, satis Papali gloriæ vixisti, dum eò ætatis pervenisti, ut* ocyusve seriusve *oppetenda tibi sit mors. Mors autem Martyrum Heroica est tam gloriosa, ut emereatur privilegium rescribendi epistolam ex paradiso ad successores* : SEQUIMINI. Nolim adscribere illud Frontonis: *Malè est, eum imperare, sub quo nemini quicquam concessum sit; sed longè pejus est, sub eo vivere, sub quo omnibus omnia liceant malorum mala malis.* Malim subscribere: *Anaxarchus* Abderites Philosophus à nullis Cypri Tyranni Nicocreontis minis, & *Lygas* animosissima fœmina à nullis Romanorum militum tormentis expugnari potuerunt, etiamsi Ethnicæ ipsis animæ fuerunt: quantò magis Papa (si Apostolico Catholici Christiani Spiritu agitur) poterit incredibilia & aggredi & pati, juxta illud Augustini l. 8. confess. c. 11. ad antiquos utriusque sexus Martyres respicientis: *Tu non poteris quod* isti & istæ? *An verò* isti & istæ *in semetipsis* possunt: & non *in Domino Deo suo? Quid in te stas & non stas? Projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet ut cadas. Projiciet te securus, excipiet te, & sanabit te.* Valeat igitur & con-

conſeneſcat in ignavis *Vacuæ* Patronæ ſuæ tutelaris caſtris ille veteranus, qui Septicolli urbi non vult valedicere, ſed mavult ibidem è Proverbiis Salomonicis pro ſui propugnatione obducere: *Tam fortis excubat Leo cum leæna in deſerta illa* Martyrologici *itineris* Mihi *ignoti via antiqua, ut in medio platearum, ſi exirem, perirem.* Ego enim *cum Lino, Cleto, Clemente* I. *Anacleto, Euariſto, Alexandro* I. *Sixto* I. *Teleſphoro, Hygino, Pio* I. *Aniceto, Sotere, Eleutherio, Victore* I. *Zepherino, Calliſto I. Vrbano I. Pontiano, Anthero, Fabiano, Cornelio, Lucio* I. *Stephano* I. *Sixto* II. *Dionyſio Carmelita, Felice* I. *Eutychiano, Cajo Dalmata, Euſebio, Miltiade, Laurentio, Vincentio non*

Condidici perferre Crucem, ſed Mortis id à Me manibuſque pedibuſque armatis omne quod cruciat transferre & aliis quibusvis inferre, qui alibi Cælum occupare contendunt per violentiam, dum hîc ego Romæ ignavus Tityrus meam curo cuticulam. Antiquorum namq; Sanctorum atq; Sanctarum

Sanguinolenta meos animos veſtigia terrent.

Territi itaque agmen claudat illud Drexilianum cedro dignum: *Pudeat nos prætextus; nos tot & tanta non poſſe, quot & quanta potuerunt iſti & iſtæ*, ob illud Chriſti: *Credenti poſſibilia ſunt omnia.* Omnis autem Crucifuga eſt tali Fide præditus mortuâ, à quali præſervet nos Jehovah. Longius nolim

lim progredi, ſed malim eò regredi unde collibitum fuit digredi.

IV. Romani ægerrimè cuiquam ullam imperandi potentiam demandârunt, priuſquam aliis ſuperioribus bene parere combibiſſet. Facilè enim tales ἀνδρόπαιδες σφραγιδονυχαργοκομῆται (quales vernacula Belgici vulgi lingua vocat *Albi Panis filios*) inſoleſcunt, ſicubi prius provehuntur ad clavum tenendum, quàm ſubjiciuntur ad ſentinam exhauriendam, juxta antiquum creberrimæ veritatis adagium: *Heroum filii noxæ*. Enimverò non minimum cæli flagellum ibi ſæpè conſpicitur, ubi tales inexpertos Patritios exercitui alicui Deus ſecundùm glorioſam indulgentiam ſuam præficiendos curat Anteſignanos, Primipilos, Hecatontarchos, Tribunos, Legatos aut Duces ſummos, quales nunquam ad excubias inter milites ſteterunt gregarios. Sæpe quoque ibi Catholica naufragatur Eccleſia, ubi ipſa inter minaces Hæreticorum ſcandalorum Syrtes pariter atque blandas Schiſmaticorum ſcopulorum Sirenes gubernaculum clavigerum talibus imperitis Epiſcopis committit, qualium ſuo quiſque animo nondum ſatis imperare, neu cupiditates ſuas rite triumphare pollet, etiamſi alioqui de omnibus atque ſingulis quorumvis credendorum ac faciendo-

dorum Articulis tam acutè diſputare calleat quàm olim *Alexander Pontamarius* Gallus ex Italia redux de ſua ſuorumque popularium profectione his paucis aperti pectoris verbis: *Nous allons en Italie achepter avec une deſpence incroyable la ſeule ombre de la civilité, & nous en rapportons la maſſe entiere du vice. Ceux de* Milan *nous apprennent la Tromperie; le* Boulognois *nous enſeigne le Menſonge; le* Venetien *nous rend Hypocrite; le* Romain *nous plonge en un Ocean d' Atheiſme & d' Impieté: & le* Neapolitain *nous change en un Satyre, ou pluſtoſt nous fait un eſgouſt & un cloaque de toute laſciveté, molleſſe & paillardiſe. J'avois oublié les* Florentins *ennemis jurez de bonnes mœurs*; juxta illud Nicolai Machiavelli: *Nuſpiam minus vel pietatis, vel religionis quàm in Italia, & hominibus Romæ vicinis.* Porrò quemadmodum ex equo Græcorum Durateo non prodibat niſi armata Ilii Trojani pernicies: Ita non niſi ſecretæ Scholarum peſtes ſunt plerumque illi Præceptores, Rectores, Conrectores & Subrectores, quos favor familiaris prius Magiſtros creavit optimos, quàm eos ſufficiens diſciplina diſcipulos formavit bonos. Notum eſt illud Diotogenis: *Fundamentum totius Reip. eſt adoleſcentum educatio.* Quemadmodum igitur non omnis faber, qui vocatur ædificator, eſt tantus Vitruvius, ut

cuivis ædi vel urbi ſolidum poſſit ſubſtruere fundamentum: Ita quoque non omnis magiſter, qui ſalutatur Rector aut Præceptor, eſt tantus Mercurius Chriſtianus, ut puerilibus ingeniis *Radicem Sapientiæ*, quæ eſt *Reverentia Jehovæ*, dextrè implantare conſciat. Præſtantiſſimus Dn. *Tondentius* in arena ſcholaſtica jamdudum evadit tantus Florentius, ut multos hujus ſui ævi Pædagogos tales albis equis præcurrat, qualibus in ſua ipſorum cereâ juventute doctores tanti defuerunt, quanti puellæ ipſorum memoriæ virgineum illud divini Epicteti oraculum impreſſerunt: *Συνεχέστερον νόει τὸν Θεὸν ἢ ἀνάπνει.* Quippe

Quod nova teſta capit, inveterata ſapit.

Quocirca ſæpè tota viâ errant tales Dictatores, quales in hodierno Mundo connituntur prius malos ſeniores reformare per lictores & tortores, quàm in eodem reformaverint malos juniores per præfectos ipſis tales bonos moderatores, quales ad Chriſtianam commiſerationem uſque combiberunt illud Platonis: *ὁ δὲ παῖς πάντων θηρίων ἐστὶ δυσμεταχειριστότατον.*

——— *αἰεὶ γάρ τε νεώτεροι ἀφραδέουσι,*

ut Homerus de maxima Juventutis parte canit. Canunt cantiones in pulvere ſcholaſtico paternos & Triumphant ante tubam tam multi Hyperdidaſcali & Hypodidaſcali,

dascali, ut multa eximia inaurato Taciturnitatis peristromati involvam & nihil amplius è palæstra pædagogica evolaturus nisi illud Drexili adscribam; *Periti est addere, demere, cum judicio quo vulgus caret.* Caret quidem nequaquam vulgus Oeconomicum in re monetaria judicio discernendi numos probos ab adulterinis, & in re textoria, quod nunquam malus textor texturus sit egregium telæ lineæ pannum, cui subministratur stamen nullius bonitatis & subtegmen nullius utilitatis: sed nescit Juvenilem ætatem cum stamine & Virilem cum subtegmine ita conferre, ut hanc confessionem confiteatur: *Vbi parentes pueris non præficiunt probos præceptores, ibi* juvenes *evadunt mali,* viri *pejores,* senes *pessimi.* Hinc tot inconsolabilia passim videas Rerump. vulnera juxta illud Ciceronis in 5. Verr. *Qui non rectè instituunt atque erudiunt liberos, non solùm liberis, sed etiam Reip. faciunt injuriam.* Namque Præceptorum ferè mores in adolescentum migrant ingenia, & ab iis mutuantur, quod in omnem ætatem sic transmittunt, ut super illis congemiscas: *Horum præceptores fuerunt deceptores.* Deceptores quoque videntur esse illi Præceptores, qui discipulos suos nunquam condocent Græca cum Latinis, ob illud prisci Vatis:

Ὅς μὴ Ῥωμαϊκοῖς ἑλληνικὰ γράμματα μύξει,
οὐ δύναται φρονίμου τοὔνομα ἀνδρὸς ἔχειν.
Qui non Græca simul junxit documenta Latinis,
Ille viri docti nomen habere nequit.

Hinc namque quasi gradum quendam atque aditum ad Hypothecas Mathematicas & permulta alia condiscenda jactum intelligas. Intelligas enimverò hujus linguæ beneficio non tantum *Homerum* & *Platonem*, quibus Duumviris sat bene perceptis illustrissimus evadas *Politicus*; verumetiam Græcum *Novum Testamentum*, Græcos Jurisperitos, Medicos, Theologos, Philologos, Philosophos & cumprimis Thucydidem, Polybium atque Xenophontem, Historicos. Historicum quippe studium præter cæteros Mundi Hercules atque Atlantes plurimi fecit flos ille Regum *Alphonsus*. Alphonsus enim hic, teste Ænea Sylvio, in gravissimo morbo (quo Capuæ tam efflictim conflictabatur, ut adhibita docta doctissimorum Medicorum medicamenta ad unum omnia eluderentur) *Q. Curtii* historiam de *Alexandri M.* rebus gestis conscriptam cœpit legere lectioneque ejus sic animum suum elanguescentem reficere, ut insimul omnem morbi improbitatem superaret, & sanitati plene ac planè restitutus pristinæ, exclâmaret: *Valeat Avicenna, valeat Hippocrates & alii Medici, & vivat*

vivat Curtius restitutor sanitatis meæ. Mea quidem pace quævis aliæ artes, disciplinæ atque facultates illustrissimis floreant laudibus;

Nulla tamen doctam res utilitatibus æquat
Historiam, quæ à M. Tullio l. 2. de Orat. ad Q. Fratrem salutatur *Testis temporum, Lux Veritatis, Vita Memoriæ, Magistra Vitæ*, *Nuncia Vetustatis.* Historia namq; sacra pariter atq; profana, nisi forsitan hæc oculo Veritatis dextro fuerit læsa, nemini hominum propter Deum *Ventrem* supparasitatur, sed inter claudicantes tã in aula quàm in caula ὀρθοποδεῖν conatur. Ex pueris facit senes, ubi regnat; ex senibus verò pueros, ubi exulat, etiamsi quis magis longævus existat quàm *Hugno d' Acugna*, de quo legatur *Lopezii* Historia Indica. Si enim olim juvenem *Principem* secum convivantem & verò Latinè colloqui nescientem *Clemens* VII. Pontifex Romanensium animarum Maximus, præsente & inaudiente *Georgio Sabino* viro pereruditо, vocavit *pulchram bestiam*: quid nostra ætate de tali rationali animali mortali vel in Ecclesia, vel in Rep. vel in Schola dicas, quale ne Octo quidem Elementa Quadripartitæ cognoscit Historiæ; sine qua nemo quisquam unquam usquam cluet Prudens. Prudentiam quippe Historia quæ est alma rerum gerenda-

rum quaſi anima, ſuſcitat, fingit memoriam, judicium acuit, voluntatem format bonam, &, ut præclarè Thucydides laudatus ait, compendio tradit τὰ γιγνόμενα, καὶ ἀεὶ ἐσόμενα, ἕως ἂν ἡ αὐτὴ φύσις ἀνθρώπων. Hiſtorica namque lectio domi bellique juniores ſenioribus prudentiâ æquat & variam nobis felicitatem participat, dum natu majoribus innumera rerum experimenta ſubminiſtrat, privatos viros Imperio dignos efficit, Imperatores ob immortalem gloriam ad præclara facinora impellit, præſtabiliſſima quæque de faciendis æque atque fugiendis conſilia conſulto inconſultoque clienti omni citra ullam προσωποληψίαν, δωροφαγίαν ac invidiam ſuggerit & fidelius ac tutius Magnatibus omnigena exempla (quibus ſine ſuo ipſorum periculo periculis aliorum vel ſedentes evadant cautiores ac prudentiores) ex Theatro vitæ humanæ panegyrico proponit quàm ullus Orator palatinus, juxta illud Eraſmi Rotterodami: *Nullis ex libris plus utilitatis capi poteſt quàm ex eorum monumentis, qui res publicè privatimque geſtas bonâ fide poſteris prodiderunt. Ex bonæ enim fidei ſcriptoribus ſuper alias innumeras hæc præcipua capitur utilitas: quod non res æque vel bonorum Regum animos ad res cum laude gerendas accendit, vel Tyrannorum cupiditates cohibet ac refrenat, dum utri-*

utrique cernunt horum literis ſuam vitam omnem, mox in totius orbis, imò ſeculorum omnium Theatrum producendam: Et quicquid in abdito nunc vel patrant, vel adſcito fuco prætexunt, vel metu diſſimulari cogunt, verius quàm ignorari, paulò poſt clariſſima in luce ſub oculis omnium traducendum, quam jam metu pariter ac ſpe libera poſteritas, nec ulla corrupta ſtudio, magno conſenſu rectè factis applaudet parique libertate his diverſa explodet exſibilabitque. Hinc olim *Demetrius* Phalereus *Ptolemæum* Regem adhortari ſolebat, ut ſibi pararet Libros de *Regno*, deque *Militari Imperio gerendo* tractantes, eoſque evolveret; propterea quod talia, de qualibus amici neutiquam auſint admonere Reges, in Codicibus ſcripta exſtent; juxta illud Terentii: *Obſequium Amicos, Veritas Odium parit.* Hoc videtur ſic poſſe verti Teutonicè per Synecdochen: Wer zu Hoff mit der Wahrheit geigt/dem ſchlägt man die Geig auff den Kopff. Quid? quod in auguſto Hiſtoriæ ſpeculo contueri licet, quicquid Orbis habet ac habuit. Habuit autem varia in quibuſvis fortunæ humanæ viciſſitudinibus ingenia, vitas, res geſtas, omnigena Judicia divina atque humana, Comicos Tragicoſque eventus, Rerump. ortus & occaſus, fatales Imperiorum & Regnorum periodos; inducias, clarigationes, ſtationes, diribitoria, caſtren-

ses consultationes, bellicas expeditiones, velitationes, prælia, trophæa, manubias, victorias, Triumphos, ἀμνηστίας, pacificationes, juxta illud Poëtæ de laude Historiæ:

Hac quicquid sacræ testatur pagina famæ
Nos scimus prodente Ducum, Heroumque potentum
Nomina, fortunas, vires, & gesta tot usquam
Millibus annorum diversis partibus Orbis.
Hæc tumidum Xerxis flatum, pavidamque recenset
Tempestate fugam, Persas aciesque Darei,
Belleamque manum, Hannibalem, Tyriosque furores,
Romuleumque decus raptos ab utroque Triumphos
Littore Cæsaribus.

Cæsaribus autem inter cætera insignitè *Historia* Regina ancillatur, dum de fortissimo ac bellicosissimo illo *Alberto* II. commemorat, quod cum hostibus duodecies collatâ acie dimicaverit semper victor, & inter Europæos Principes veluti fulgentissimum sidus eluxerit prudentiâ, vigilantiâ & clementia nulli secundus; dum non tantum in vindictam nihil præceps, injurias facilè oblivifcebatur & patientiâ in inimicos summâ utebatur; sed etiam *tria* potissimum *hominum genera* mirabatur & amplexabatur: *I. Fœminas pudicitiâ claras illustres-*

lustresque. II. *Clerum devotum & religiosum, cui erat brevis lingua atque manus longa.* III. *Milites strenuos & fortes.* Homines autem tales bilingües, qualium fex in plerisque aulis aliis facilè toleratur, gravi odio prosequebatur, juxta illud Guerneri fasc. temp. ætat. 6. ad annum 1424. *Fuit vir utique totaliter virtuosus, & adeò pius, ut tota plebs diceret, quod Mundus esset Ejus præsidentiâ dignus.* Dignum quoque lectu est illud Flavii Vopisci narrantis, quod exactis Regibus tanta fuit Reip. Romanæ Majestas, ut summa quæque Imp. *Probus* ei permiserit his apertis verbis: *Mundi Principes estis, & semper fuistis, & in vestris posteris eritis.* O voces perfectissimas! Perfectioni enim earum nihil ferè poterit addi nisi tria hæc verba: *Si cælum annuerit.* Annuit jamdudum facilitas nostra adscribere, quod in scholis ferè tot conspicias puerorum ingenia, quot extra scholas conspexeris lactantia matrum ubera. Plures autem contuearis discipulos stupidos, tardos, ignavos, indociles, ferreos, feroces, ignobiles ac malignos quàm præcoces, veloces, dociles, vigilantes, obsequiosos, heroicos ac benignos. Quocirca *Apollonio* aliquo tali hîc opus erit, qualis in explorandis & tractandis tantæ varietatis ingeniis tam prudentem & patientem se virum præstet, ut majorem ex

virtute ſuâ pædagogica laudem conſequatur quàm Turcarum pædagogi, quos præ multis ſuorum ſic laudat laudatus Schweiggerus c. 31. Von den Kinder-ſchulen zu Conſtantinopel. mihi pag. 111. Die Kinder werden nicht in ſolcher harter Zucht vndt groſſer Furcht gehalten wie die Teutſchen / die mit bochen / boldern / ſchlagen vndt ſtoſſen den Kindern allen Luſt zum lernen nehmen. Sie beſtraffen zwar die Kinder auch / aber mit Beſcheidenheit/vndt können mit ihnen Gedult haben; welches dann die Fürnehmſte Tugend an einem Lehrmeiſter iſt / juxta illud Phocylidæ:

Πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίαι δ' ἀλεειναί.

Diſcipuli equidem caſtigentur caſtigatione digni; ſed abſit ira. Iracundus enim præceptor tantundem valet in Schola, quantum Hæreticus in Eccleſia & Tyrannus in Rep. Quicunque verò hæc nullus capit & in pædagogio ſimulare ac diſſimulare neſcit, fateatur ſe neſcire Juventuti imperare & Palladium diſciplinæ ſceptrum in iſthoc literario Regno ita moderari, ut imitetur Deum Juſtum & Miſericordem. Quia Deus ſæpe quidem legitur apparuiſſe in forma viri, nunquam ſub forma fœminæ. Fœminæ namque plerumque gaudent iracundiâ & vindictâ illictâ, nec non talia animalia rationalia, qualia quidem ἔξωθεν præ ſe ferunt virile mentum, ἔσωθεν verò gerunt fœmineam mentem, ut ad Juvenalis ſat. 13. notant notarum ſcripto-

ptores. Cujuſcunq; verò advigilantis patris ſoboles degeneravit ſubitò, poſteaquam eandem benè educavit, illi ſit conſolationi id quo olim Iſraëlitæ Samuelem Prophetam ſuum inculpatum interpellabant: *Filii tui non ambulant in viis tuis*. Tandem quicunque prius in publicum cooptari ambiit Magiſtratum quàm ſemetipſum aliquando privatum benè cognovit ſubditum, in illum non ſemel jactatum fuit illud Propheticum effatum: *Væ terræ cujus Rex puer eſt!* Eſt enimverò inidoneus in quovis Regno Philoſophico ad alios regendos, qui nihildum à ſua ipſius ratione tam rectè regitur, ut ſub præpotente Summi Dei palmâ demiſsè omnibus ſibi ſubjugatis regale Lumen ac mortale Numen fieri mereatur, ut olim *Titus Veſpaſianus*, qui *Humani generis deliciæ* cluebat. Cluet autem tali Imperarori Virtute regifica ſecundus nequaquam ille Rex, qui nondum ſerviles poſuit metus, & quævis diri mala pectoris, qui inſatiabilem ex ſemetipſo Avaritiam expugnare neſcit, cujus præcordiorum arci occupans ſuperbia ſuperciliofa inclementer imperitat, quem guloſa exquiſitiſſimi cibi potuſque appetentia indies ſub jugum mittit, quem minitabunda vindictæ iracundæ ſtultitia prodit, quem impatientia de ſtatu æquanimitatis dejicit, quem ca-

nina invidentia vincit, libidinoſa Andromanes triumphat, de cujus patria ſic catecheticus cecinit Poëta:

Maximus in Veneta Veneris grex urbe vagatur,
Cur fluxæ? Ratio eſt: Eſt Venus orta mari.

Notum eſt illud philoſophantis Juſti Lipſii: *An mihi Rex erit, cui muliercula imperat, cui pecuniola, cui gloriola, cui alii animorum Tyranni?* Notius eſt illud philoſophantioris M. Tullii: *Sapiens rectius appellabitur Rex quàm Tarquinius, qui nec ſe, nec alios regere potuit.* Notiſſimum eſt illud philoſophantiſſimi Eccleſiaſtæ Salomonis: *Melior eſt puer indigus & ſapiens Rege ſene & inſipiente, qui in poſterum prævidere*, ſeu *amplius admoneri neſcit.* Niſi illud Plauti ruminarem: *Memorem immemorem facit, qui memori memorat, quod memor meminit*; adſcriberem, quod frequenter quidem omnigenarum mercium pretia in menſes, dies, horas accenduntur; Divinorum autem Regum & Angelicorum Gregum fere ſemper viliſſima fuit annona, uſqueadeò uti adhucdum nemo ſectorum inveniatur, qui ipſam illam flagellet. Hinc *Ariſtonymus* ſuo aureo plenioris Libertatis ſeculo dixit: ἔοικεν ὁ βίος Θεάτρῳ. Διὸ πολλάκις χείριστοι τὸν κάλλιστον ἐν αὐτῷ κατέχουσι τόπον. Necnon *Verinus* verè ætate ſuâ argenteâ cecinit:

Infelix patria eſt, pueros ubi purpura veſtit,

Atque

Atque ubi præcedit dives honore bonos.

Licet autem jam fiscalis Mundus sit tam iracundus quàm erat olim illud ferreum ævum quo inaudiebatur hæc querela Thessalorum: *Quid autem si vox libera non sit, liberum esse?* Præstat tamen *Christum* Regem, constanter coram *Pilato* de Veritate testantem (qui vicit Orbem & Orcum infrementem, & ex Terentio occinentem: *Obsequium Amicos, Veritas Odium parit*) imitari quàm canes illos meticulosos, quibus olim ad gemmeas cælestis Hierosolymæ portas concursantibus responsabitur: *Permanete jam vos* Canes *omnes unà foris; quia in vita vestra nunquam audacter latrare voluistis, sed ibi semper, ubi vixistis, propter* Deum *vestrum* Ventrem *obmutuistis & cum quibusvis lupis, inter quos convixistis, tam Cosmopoliticè ululavistis, ut Mundus per totam vitam vestram vos dilexerit & convivia frequentia vobis condixerit, quippe cui vos à capite usque ad calcem conformâstis. Per portas igitur has mundissimas immundi vos hircum olentes & terram sapientes intrare non potestis, quia cunctis Electis Christi Sanctis & colore & odore & sapore toti adeò dissimiles estis, ut vos non cognoscamus neque sciamus, cujates vos sitis.* Hinc cum olim Imperator *Theodosius* Antiochenis (eò quod non tantùm novum vectigal, quod propter decretam bellorum sumptuosorum conti-

nuationem ipsis indixerat persolvere recusarent, sed etiam statuam *Placcilæ* Augustæ defunctæ ad terram darent & per totam civitatem raptarent) minitaretur; *Se velle nobilem eorum urbem deformare in ignobilem vicum*; non reformidabat sanctùs ille vir *Macedonius* emissarios Cæsareos sic interpellare: *O amici, dicite Imperatori: Non es Imperator solummodò, sed etiam homo. Noli itaque respicere solum Imperium, sed considera quoque Naturam tuam. Nam cum Sichemo, ejusdem naturæ hominibus cognosceris imperare; &, secundum imaginem divinam atque similitudinem, hominum creata natura est. Noli igitur crudeliter sævissimè Dei imaginem necibus subjugare. Irritas enim Creatorem, dum illius punis imaginem. Illud considera: Quia tu ipse tantùm propter æream contristaris imaginem. Quantum enim differat inanimata res animatæ viventi atque rationali, cunctis sensum habentibus est apertum. Insuper etiam illud consideret, quod nobis quidem facile est pro una imagine plurimas æreas præparare. At illi omnino difficile vel unum capillum restituere peremptorum.* Neque etiam reformidavit *Sannazarius* Poëta Pontificius Pontifici Romanensium animarum Maximo *Alexandro* XI. Epitaphium condere hujusmodi:

Fortasse nescis, cujus hic Tumulus siet:
Adsta Viator, *ni pæniteat.*

Titulum quem Alexandri *vides, haud illius*
Magni *eſt ſed hujus qui modò*
Libidinoſa ſanguinis captus ſiti
Tot Civitates inclytas,
Tot Regna vertit, tot Duces letho dedit,
NATOS *ut impleat ſuos,*
Orbem rapinis, ferro & igne funditus
Vaſtavit, hauſit, eruit:
Humana Jura, nec minus Cœleſtia,
Ipſosque ſuſtulit Deos;
Ut ſcilicet liceret (heu ſcelus!) PATRI
NATÆ *ſinum permingere;*
Nec exſecrandis abſtinere nuptiis,
Timore ſublato ſemel.
Et tamen in Urbe Roma *hic vel undecim*
Præſidet annis Pontifex.
I nunc Nerones, vel Caligulas nomina
Turpes, vel Heliogabalos.
Hoc ſat Viator; *reliqua non ſinit pudor:*
Tu ſuſpicare, & ambula.

Neque etiam religio Religioſo illi Carmelitæ *Baptiſtæ* Mantuano fuit Poëticam hujuſmodi confiteri Confeſſionem de Romana Simonia: Pontificibus Romanenſium animarum Maximis

——— ——— ——— *Venalia Nobis*
Templa, ſacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ,
Ignis, Thura, Preces, Cælum eſt venale, Deusq;.

Quod ſiquis nonnullibi gentium in tali mancipiorum ignobilium territorio vitam tolerat, ubi iſtiuſmodi παῤῥησία pia jamdudum

dum exulat & Spiritus Chriſtianæ Libertatis conſcientioſus adeò exſtinguitur, ut deligantur & diligantur tales Hiſtorici, quales poſteritati relinquunt plures Hiſtorias cæcas & ſuſpectas, quàm oculatas & rectas, juxta illud ἀξιομνημόνευτον Diodori Siculi: Προφῆτις τῆς ἀληθείας ἱστορία, τῆς ὅλης φιλοσοφίας οἱονεὶ μητρόπολίς ἐστιν: ille ſurſum ſuſpiret & Deum ſuum imploret, ut *Rationem Status* talem populo ſervili redonet ſub quali non tantum quivis hiſtoriæ mendacis fictor à ſcriptore hiſtoriæ veracis privilegiato graviter mulctetur, ſed etiam in priſtinum vigorem revocetur Chriſtianiſſima Chriſtiani illius Imperatoris *Theodoſii* ſanctio l. un. C. Si quis Imp. maled. *Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus improbo petulantique maledicto Nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus obtrectator Temporum noſtrorum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubjugari, neque durum aliquid vel aſperum volumus ſuſtinere: quod jam ſi ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt; ſi ex inſaniâ, miſeratione dignïſſimum; ſi ab injuria, remittendum.* Forſitan hæc Conſtitutio Cæſarea viguit in illa terra, ubi ſic ſcripſit ſcriptor ille Pontificiorum famoſus Marc. Anton. Cocc. Sabellicus lib. 10. c. 4. *Illuſit* Johannes VII. *Apoſtolicæ Sedi verius quàm Clero, qui cum mulier naturâ eſſet, ſexum mentita, Pontificiam*

ficiam dignitatem invasit, sed fœdus ille lusus & fraus omnis in eum conversa est. Etenim domestici hominis familiarissimique concubitu prægnans facta, cum forte Lateranensem Basilicam viseret, inter Amphitheatrum & Clementis ædem doloribus subitò obortis repentè partu soluta est, medioque nixu extincta. Extingueretur vox omnium silentio, si eloqui posset calamus quæ plerorumque volutat animus super architectonica illa Templi Salomonici ædificatione, de qua 3. Reg. 6. ℣. 7. sic commemoratur: *Neque mallei, neque securis, neque ullum instrumentum ferreum auditum est in illa domo quum ædificaretur.* Si cui vacat, Mysterium totum eruat; nostra indignitas vix hæc pauca expectorat: *Dum in hoc Mundo Babylonico victitamus, in profunda variæ servitutis latumia desudamus, strepitum & fragorem omnigenorum malleatorum assiduum auscultamus, sexcentos inquietis perpetuæ procuratores spectamus, sub speciosa* Libertatis communis *persuasione miserè suspiramus, & præ longa catenatarum adversitatum innumerarum serie comploramus: at illic in cælesti Hierosolyma ictus malleoli nullus, nullus gemitus, nil suspiriorum aut fletus audietur, sed quivis electorum in illa DEi Civitate gloriosa nonnisi Pace perfectissima, Libertate plenissima, Tranquillitate præstabilissima, Musica exhilarantissima & Voluptate summa per omnia infinitorum seculorum secula perfruetur.*

VI. Tam illachrymabilis est plerorumque bello captorum captivorumque sors, ut vel ipsi Mortalitati comparetur à *Dd. ad l.209.ff.de Reg.Jur.*dum partim à victore actutum trucidantur; partim sub corona in servitutem miserabilem sic venduntur, ut in orbem disponantur, quò facilius à sectoribus eorum indigis considerari possint; partim in publico spectaculo bestiis objiciuntur; partim in malam carceris mansionem compacti sic fame, siti, squalore, fœtore, compedibus & quæstionibus excarnificantur ut vita ipsis sit supplicium & mors solatium. Alexandro M. transcribitur laus Clementiæ; eo tamen mandante & inspectante *duo millia Tyriorum, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi per ingens litoris spacium pependerunt*, prout c. 4. l.5. Q. Curtius memorat. Memorat etiam Suetonius Tranquillus, quòd Octavius Augustus Imperator ac Victor *Prusiâ captâ trecentos è dedititiis electos utriusque Ordinis ad aram D. Julio exstructam, hostiarum more mactavit.* Occurrunt quidem hîc nonnulla difficiliora explicatu, quàm quod post Plutarchum & Diodorum Siculum Proclus & Marsilius Ficinus scribunt, inscriptum Minervæ templis apud Ægyptios fuisse aureis literis hoc apocryphum:

Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον·

Καὶ

Καὶ τ̀ ἐμὸν πέπλον ὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν.

Nihil autem facilius eſt intellectu, quàm omnes illos bellatores rectè ſapere, à quibus Victoriæ omnes ſoli Divinæ gratiæ ſic acceptæ referentur, ut ipſi inſimul illud Herodoti inter ovandum aut triumphandum ruminentur: Κύκλος τ̀ ἀνθρωπίνων ἐστὶ πρηγμάτων, περιφερόμενος δὲ ὐκ ἐᾷ αἰεὶ τὺς αὐτὺς εὐτυχέειν. Nullus dubito quin XXXVII. Imperator Romanorum, ſi iſthunc Philoſophicum Intelligentiæ raræ habitum habuiſſet, præcaviſſet, ut nullatenus talem indelebilem perennis infamiæ labeculam Triumphali ſuæ Coronæ adſperſiſſet, de quali ſic commemorat Pomponius Lætus l. 2. Roman. hiſt. *Diocletianus verò Romanorum Principum victorioſiſſimus divinos honores Imperatoribus Auguſtis habendos præcepit. Nam cum priores, ut* Conſules *ſalutarentur, primus ipſe voluit adorari, velut in eo eſſet cæleſtis Majeſtas* (Perſarum *iſte mos, quorum Princeps* Rex Regum *appellatur*) fratrem Solis ac Lunæ *ſe nuncupans. Imperatores antea manus exoſculandas* Nobilibus *præbebant, poſt ſuis manibus ſublevabant ad oris oſculum, Vulgus genua exoſculabatur.* Diocletianus *edicto ſanxit, ut omnes ſine generis diſcrimine proſtrati, pedes exoſcularentur; quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calciamenta auro, gemmis & margaritis,*

quod

quod fecisse antè C. Caligulam *memorant, eundem ornatum immiscuit vestibus, ut augustior esset, & cum contentus esse debuisset, quibus priores fuissent insignibus, quæ* Priscus Tarquinius *adcæpta ab Etruscis induxit, repperit ex ipso habitu, uti Deus haberetur, majoreque sumptu vanam* Arsacis *gloriam superaret.*

Enimverò longè melius sibi hic Lucifer elatus & inflatus cum omnibus sui æmulis, benevolo indignitatis meæ arbitrantis consilio, consuluissent, si semetipsos profundissimè abnegâssent, & (si quando ipsis adulatrix lingua palatina hanc Antiphonam accinuisset: *Vos omnes estis* אֱלֹהִים *& filii Altissimi*) hoc Responsorium succinuissent:

Nos sumus Anomiæ *cuncti de semine creti;*
Nil nisi bulla brevis, pulvis & umbra sumus.

Namque *Humilitas est clavis ad tantam Sapientiam veram, quantæ beneficio neq; ad dextram neq; ad sinistram aberratur, sed in media Resignatorum coronâ tutissimè ambulatur, quoadusque post hanc vitam ad æternam gloriam perveniatur*, ut Hugo à Prato Florido attestatur. Palmato Taciturnitatis paludamento involvo, quod allegatis Psalmi 82. verbis, quibus plerique

que Perſonarum Politicarum magnificè inter Chriſtianos hodiernos triumphant, olim *Conſtantinus* M. Imperator, teſte Euſebio Cæſarienſi l. 10. c. 2. inter alloquendum ſic Perſonas Eccleſiaſticas condecoravit: *Deus Vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem Vobis dedit de Nobis quoque judicandi, & ideò Nos à Vobis rectè judicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus judicari, propter quod Dei ſolius inter Vos exſpectate judicium, & veſtra jurgia quæcunque ſunt, ad illud Divinum reſerventur Examen. Vos etenim nobis à Deo dati eſtis Dii, & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt:* Deus ſtetit in ſynagoga Deorum; *in medio autem Deos diſcernit.* Cæleſtes Parcæ tandem aliquando ſolent tragicis fatis talibus tales Principes intricare inextricabilibus, quales malunt Θεομαχεῖν quàm virtutes Dei imitabiles imitari & benevolo Vatis ſuaſui morigerari:

Diſcite Juſtitiam *moniti, nec temnite Divos;*

ob illud Charondæ: οὐδενὸς ἀδίκου Θεὸς κοινωνεῖ. Quapropter plerique illorum, qui ſemetipſos in hac vita violenter fecerunt terreſtres Deos, poſt hanc vitam potenter torquebuntur inter infernales Diabolos, juxta illud tranſſumptivum Pelbarti à Themeſvar in Pomœrio Quadrageſimali: *Quot ſunt guttæ in pluvia, tot dabit Dominus impio Tormenta, ſecundùm omnia & ſingula ejus opera.*

VII.

VII. Mars & Mors ſunt communiter tales conjurati ſpiculatores ſeu carnifices, apud quales nonnunquam omnis exulat προσωποληψία & δωροφαγία flexanima, ut inter cætera cognoſcas ex Eſa. 13. ℣. 17. 18. ubi Deus Babyloniis ſic minatur: *Ecce Ego excito contra iſtos Medum, qui argentum non æſtimabunt, & ipſo auro non delectabuntur; ſed ipſorum arcus pueros allident, & fructus ventris non miſerabuntur, filiolis non parcet oculus eorum.* Talis Parcarum frater quoque videtur fuiſſe ille Marcelli miles, qui Syracuſis inter direptionem meditabundum illum Mathematicum maximum *Archimedem* gladio olim transfixit. Tales Parcarum ſtipendiarios quoq; Roma Prima intra ſua mœnia conſpexit, juxta illud Flori l. 1. c. 13. *Aderant interim Galli, apertamque Urbem primò trepidi, ne quis ſubeſſet dolus, mox ubi ſolitudinem vident, pari clamore & impetu invadunt. Patentes paſſim domos adeunt: ubi ſedentes in Curulibus ſellis prætextatos ſenes velut Deos Genioſque venerati: mox eoſdem, poſtquam eſſe homines liquebat, alioqui nihil reſpondere dignantes, pari vecordiâ mactant, faceſque tectis injiciunt: & totam Urbem igne, ferro, manibus, ſolo exæquant.* Exæquata ſolo quoque ferè cui fuiſſent 3. Id. Octo. CIϽ IϽC LIV. Delfica illa Batavorum Tempe ex Provinciali Armamentario pulveris ſulphurei pleno tam repente & impetuo-

petuoſè incenſo, ut ejus fragorem intonantem ipſimet eminus inaudiverimus & congemuerimus: *Quàm varia commonſtratur è cælo oculato cæcis ſecuriſque mortalibus ad mortem via, qui ibi multa magna concipiunt & moliuntur ut factis famam extendant, ubi punctum eſt quod vivitur.* Beati itaque qui tam alibi quàm ibi (ubi iſtiuſmodi Cyclopica pulveris nitrati periculoſi officina hoſpitatur) continenter vitæ ſuæ ſummam imponunt & ultimam rerum ſuorum lineam tanta pietate identidem præmeditantur, ut fatalem Mortis horam nunquam exhorreant, ſed benè præparati ſingulis eam momentis exſpectent. Namque Jus Rhadamanti nondum obſoleſcit, ſed magis magiſque invaleſcit juxta illud Apoc. 13. ℣. 10. *Si quis in captivitatem agit, in captivitatem abit; ſi quis gladio occiderit, occidi eum gladio oportet.* Quicunque verò hæc Apocalyptica non capit, nolit Apocalypſin aſpernari, ſed malit ſuper illa illud ruminari quod non nemo apud laudatum Euſebium c. 23. ſic audet profari: *Ego verò quantum ad meam ſententiam pertinet, ſpernere aut abiicere ſcripturas libri hujus nullatenus audeo, maximè cum multi ex fratribus ita mecum ſentiant, ſed hæc magis de eo judico, quod excedant atque emineant, quæ in eo ſcripta ſunt, humanæ auditionis modum, & ſit in eo arcanus quidam & reconditus atque admiran-*

dus

dus omnibus sensus. Quem & ego admiror & veneror, etiamsi non intelligo. Et ita sentio, quod divina aliqua Sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tam judicio meo discernens quàm fide credens. Et ideo non reprobo, quæ non intelligo, sed tantò magis admiror, quantò minus assequor: post hæc verò totius Libelli differens Corpus, & singula quæque discutiens atque evidenter ostendens; Nullo modo fieri posse, *ut secundùm* Literam *dignus in eo intellectus appareat.* Apparet autem ex Apocalypsi præter cætera rerum memorabilium argumenta facilè cuivis piæ animæ, quod Draco, Bestia & Pseudopropheta conspirantes, ducentur olim in Triumpho immisericorditer, qui jam de Ecclesia videntur triumphare Triumphum immisericordiæ insanum. Insano quidem hoc Immisericordiæ Triumpho quoque vana Judæorum Lusitanorum spes vehementer delectatur, dum in sua *Tephila Cotidiana* tam contra nos quàm complures alios hanc fidei mortuæ precationem precatur: *A los renegados no sea esperanza y todos los herejes y todos los malsines como punto seran perdidos. Y todos nuestros enemigos, y todos nuestros aborrescientes ayna seran tajados, y el Reyno de la Sobervia ayna arrancaras y quebrantaras y ateneras, y quebrantarlos haz ayna en nuestros dias.* Inclementius autem de istiusmodi inhumano humani Mundi Triumpho sibi jamdudum con-

congratulatur Romulæa illa Pſeudoprophetæ Synagoga, ut præter cætera apertè apparet ex illis literis, quibus anno cIↃ IↃ LXXII. Cardinalis Lotharingus poſt maximam Evangelicorum contrucidatorũ cædem è Gallia Romam(quò caput Admiralii erat miſſum) miſſis, Romanam plebem omnem reddidit ovantem & quamvis campanam triumphali ſonitu conſonantem & multiplicem Vulcani flammam interlucentem atque quamlibet bombardam triumphalia intonantem ac reboantem, juxta Prophetiam Prophetæ Prophetarum de *Triumpho Mundi* Joh. 16. ℣. 16. *Amen, Amen dico vobis: Vos flebitis & lamentabimini, Mundus autem gaudebit; & Vos quidem Triſtes eritis, ſed Triſtitia veſtra evadet in Gaudium.* Gaudium autem illud Pontificalium animalium rationalium Triumphale fuit tactis literis ſic expreſſum:

D. O. M.

Beatiſſimo Patri Gregorio XIII. *Pont. Max. ſacro illuſtriſſimo Cardinalium Collegio.*

Carolus IX. *Chriſtianiſſimus Francorum Rex, Zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, repentè, velut Angelo percuſſore divinitus immiſſo, ſublatis una occaſione propè univerſi Regni ſui hæreticis, perduellionibuſque tanti beneficii immemor nunquam futurus, conſiliorum ad eam rem datorum, auxiliorum miſſorum, duodecennalium*

nalium precum, ſupplicationum, votorum, lachrymarum ſuſpiriorumque ad D. O. M. ſuorum, & Chriſtianorum omnium planè ſtupendos effectus, omnino incredibiles exitus modis omnibus redundantem divino munere ſatietatem ipſe nunc ſolidiſſimorum gaudiorum affluentiſſimus gloriatur.

Tantam felicitatem quæ Beatiſſimi Patris Gregorii XIII. *Pont. initio non multò poſt ejus admirabilem & divinam electionem evenerit, unà cum Orientalis expeditionis conſtantiſſima & promptiſſima expeditione Eccleſiaſticarum rerum inſtaurationem, marceſcentis Religionis vigorem & florem certo protendere auguratur.*

Pro tanto beneficio conjunctis vobiſcum hodie ardentiſſimis votis abſens corpore, præſens animo, hîc *in Æde* S. Ludovici *avi ſui D.O.M. gratias agit quàm maximas utque ſpes hujuſmodi ne fallat, ejus bonitatem ſupplex deprecatur.*

Erat autem iſthoc Triumphi inhumani inſigne literis Romanis aureis cubitalibus deſcriptum, feſta fronde velatum ac lemniſcatum ſupra limen Ædis *S. Ludovici*, Romæ appenſum, ita ut congemuiſſes, ſi vidiſſes, ſecundum illud *Varronis* emendatum ex corrupto Nonio: *Signata ſacra eſſe deſierunt, poſtquam homines facti ſunt ſacri.* Rarius namque reperias inter Pontifices Romanenſium animarum Maximos hominem cælo peculiarem, quàm talem Orco communem, de quali *Origenes Adamantius* in

in epist *Pauli* ad Rom. cap. 14. lib.9. sic
,, exaratum abit : *Mens illa hominis* , *quæ*
,, Deo soli *segregata est* , *meritò* Munda *appel-*
,, *latur* , *quæ vero* aliena à Deo *est* , *quoniam*
,, *non ab* uno Spiritu immundo , *sed à* pluri-
,, bus *possidetur* , *idcirco talis* Homo Commu-
,, nis *appellatur* , *quasi qui* multorum , *vel* vi-
,, tiorum *vel* Dæmonum servus , *secundùm*
,, *illum* , *qui interrogatus* ; Quod tibi nomen
,, est? *respondit* : Legio. Multi enim sumus.
,, *Et secundum illud* , *quod à Salvatore dicitur* ;
,, Quia cum exierit *Spiritus immundus* ab ho-
,, mine , circuit *Loca Arida* , quærens *Re-*
,, *quiem* , & non inveniens redit , & inve-
,, niens *Domum vacantem & scopis mundatam* ,
,, assumit secum *Septem alios* Spiritus *nequio-*
,, *res* se , & intrant in eum. *Et sine dubio iste*
,, *talis* Communis *dicitur* , eorum *videlicet*
,, Servus *effectus* omnium Spirituum mali-
,, gnorum , *qui habitant in eo.*

Eo autem fine modò dixi, RARIUS; ut innuerem, à Catholica Fide & Charitate non esse dissentaneum, sed è Noctibus nostris facilè confici ; *Non omnes Papas fuisse* θεόθεν *prædestinatos ad æternas inferni maledicti tristitias* , *sed aliquos ad æternas cœli benedicti lætitias atque delicias*. Valeat itaque Poëta qui de Triumpho Mundi ad contristandam illam Reginam coronatam (cui simulatque pepererat masculum omnium Gentium

Regem incomparabilem, jamdudum ἐρχ-νόθεν duas *Aquilæ magnæ* alas concedi conſtat ex Apoc. 12. ℣. 14. quibus è conſpectu æmuli Draconis ſepticipitis valeat avolare in deſertum) ſic cecinit:

Sanguine ſubnata eſt Eccleſia, ſanguine crevit,
Sanguine præfloret, ſanguine finis erit.

Erit enim Triumphus Mundi non Comicus, ſed Tragicus illis ambobus penultimi & ultimi præliorum diebus quibus complebitur, quod jamdudum prædicitur partim Apoc. 19. ℣. 20. 21. *Et comprehenſa eſt* Beſtia, *& cum ea* Pſeudopropheta *ille*, *qui ediderat* Signa *in ejus conſpectu*, quibus *ſeduxit eos qui acceperant* characterem Beſtiæ, *& qui adoraverant* Imaginem ejus; *atque* vivi *conjecti ſunt* ambo *in ſtagnum Ignis ardens ſulphure*: & reliqui *occiſi ſunt* gladio ejus *qui inſidebat equo* prodeunte *ex ore ipſius*: & omnes aves *ſaturatæ ſunt carnibus eorum*; partim ex Ap. 20. ℣. 7. 8. 9. 10. *Poſtquam verò conſummati fuerint* anni ∞ *ſolvetur* Satanas è *carcere ſuo. Et exibit ut ſeducat* Gentes *quæ ſunt in* IV. *angulis terræ*, Gogum & Magogum; *ut congreget eos ad prælium*, *quorum* numerus *eſt* ſicut arena maris. *Adſcenderunt igitur* ſuper latitudinem terræ, *& circumiverunt* caſtra Sanctorum, & Urbem illam dilectam; *ſed deſcendit* Ignis à Deo *è cœlo qui devoravit eos. Et* Diabolus *qui ſeducebat eos*, *conjectu*

jectus est in stagnum Ignis & Sulphuris, *ubi erat & Bestia illa & ille* Pseudopropheta, *& torquebuntur* die ac nocte *in secula seculorum.* Vndt alßdann wirdß erst recht Friede auff Erden seyn / wann diese zu sammengeschworne 3. Ertz-Feindliche vndt Vnruhige Martialisten werden im Arrest gebracht seyn.

VIII. Nunquam *Mammon Injustitiæ* justius à Christianis pecunosis expenditur, quàm quotiescunque ad amplificandam Dei gloriosi gloriam & conciliandam proximi egeni amicitiam largiter impenditur, prout in *Tractatu* nostro *de Natura Persuasionum Humanarum* comprobavimus, juxta illud cæleste Christi edictum Luc. 16. ℣. 9. Ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ Μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας· ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς. Novit Italia gloriari, suum Pontificem Romanensium animarum Maximum *Gregorium* XIII. in vita sua se tam liberalem in clientes exhibuisse egentes, ut eidem à morte Senatus in Capitolio marmoream statuerit statuam, & in eam tales inciderit literas quales hodieque defuncti Euergetæ virtutem sic prædicatum abeunt: *Sestertium octingenties singulari beneficientia in egenos distributum*, hoc est, vicies centena millia aureorum, quos Galli vocant *deux millions d'escus*, Germani verò 2000000. Cronen / juxta illud Arithmeti-

corum : *Decem H·S seu sestertia seu duæ Libræ semissisque seu semistertii nummi mille sunt decem millia sestertiorum numorum : sed decies sestertium sunt decies centena millia numorum sestertiorum, quorum singula valebant mille nummos sestertios.* Sestertium *quippe* in neutro genere *ad libram Romanam (quæ &* Pondo *&* Mina *dicitur) habet eandem proportionem, quam numus sestertius ad assem seu ad libram æris gravis. In se enim duas libras Romanas semissemque continebant sestertia singula. Singulæ autem libræ drachmas* seu *denarios centum*, hoc est, *sestertios quadringentos.* Faxit autem S S. Trinitas, ut nostrates Protestantes cuncti capitalissimos quosque Antagonistarum suorum in publicis Christianarum beneficentiarum stadiis ac studiis tam certatim præcurrant, ut vel ex invitis eorum dentibus hoc Triumphale confessionis βραβεῖον gloriosè extorqueant : *Papizantes nostræ Synagogæ multa Supererogationis Opera deblaterant suis disputatricibus linguis; Protestantes autem Ecclesiæ tanta dilectionis Orthochristianæ Opera operantur operatricibus suis dextris, ut Spiritu munificentiæ principali cælitus confirmati omnia nostra vanæ gloriæ deliramenta de Congruo & Condigno meritoria reapse refellant, eludant, subvertant.* Oppidò invitus adscribo, quod Magnus ille Florentinorium Dux *Cosmus Medices* (quem Ludovicus Guicciardinus *Sapientem Nobilem*

lem cognominat) ſupra 40000. Ducatorum in Xenodochia, Templa & conſimiles pias cauſas expendiſſe atque intercedentibus ſuis de ſe dixiſſe dicitur: *Nunquam tam multa erogabitis, quin plura facultatum meliorum recepturi ſitis*; juxta illud Sapientiſſimi Iſraëlitarum Regis Salomonis oraculum: *Fœnore illud Jehovæ occupatur, quod à quopiam in egenos erogatur.* Proverbium hoc olim Ambroſius credens, credidiſſe creditur, & pro ſua liberalitate largiſſimâ eidem prius ipſe ſatisfeciſſe legitur, quàm aliis ſic præſcripſit: *Neceſſitates aliorum, quantum poſſumus juvemus, & plus interdum quàm poſſumus.* Quicunque autem iſtud Salomonis aureolum non perfectè credet, non rectè munificus evadet, ſed olim cum illis Hypocritis ſuam ſibi mercedem accipiet, qui inter Chriſtianos in hac vita ſub ſpecioſo cautæ parſimoniæ prætextu ex inveteraſcente idololatricæ avaritiæ ſuæ ſacco ſordido tam illiberaliter diſſeminant, ut poſt hanc vitam Meſſem divinæ compenſationis nullam metere queant. Multum quippe incredulus eſt, qui non credit, quod *Avaritia* ſit *Radix Omnium Malorum*: magis autem incredulus eſt, qui non credit, quod ***Liberalitas*** ſit *Radix Omnium Bonorum.* Inceſſit me faſtidium demonſtrandi, quod ita immiſericors Tenacitas ſit ſcala Nabalæa,

quâ deſcenditur ad Inferos, ut miſericors Liberalitas eſt ſcala Jacobæa, quâ adſcenditur ad Superos. Quia tam difficile eſt, tale ægrotans rationale animal mortale, quale jamdudum Mammonico Pecuniæ cadaveri immoritur, vel per Philoſophicas ſcriptiones, vel per Theologicas conciones ad Munificentiam excitare, quàm Æthiopem ſenem dealbare. Jer. 13. ℣. 23.

IX. Ut ſunt, qui perſpicaciſſimâ oculorum ſuorum acie vel in ipſo allucentiſſimo ſole poſſunt maculas deprehendere: Ita non deſunt tales Argi, qualibus nemo mortalium ad tantam terrenæ gloriæ præcelſæ majeſtatem valet conſcendere, quin nonnunquam vel nolens vel volens aliquantas mundi dicaculi injurias incurrat. Hinc talia nominum & cognominum veſtigia apud Hiſtoricos paſſim legas, ut præter alios alius ſummorum Principum appelletur *Darius Nothus*, alius *Claudius Tiberius Nero* cognominetur *Caldius Biberius Mero*, alius *Conſtantinus Copronymus*, alius *Conſtantinus Pogonatus*; alius *Leo* III. *Iconomachus* & *Theomachus*, alius *Fridericus Ahenobarbus*, alius *Carolus Calvus*, alius *Carolus* Junior *Craſſus*, alius *Carolus Simplex*, alius *Henricus Auceps*, alius *Henricus Claudus*, alius *Mauritius Avarus*, alius *Henricus Superbus*, alius *Henricus Niger*, alius *Henricus Rixoſus*, alius

alius *Michaël Traulus*, alius *Michaël Parapinaceus*, alius *Michaël Calaphates*, alius denique *Otto* III. *Puer.* Pueris igitur puerilissimis pueriliores sunt illi moderni Christianonymi, qui in tantos *majoram gentium Deos* inspicientes ne minimum quidem Mundi jocabundi Myćterismum in honorem Ducis sui crucifixi & omnigenâ Sarcasmorum amurcâ perfusi æquanimiter perferre exoptant sed extemplò ad sanguinolenta fratricidæ Cainis duella pugionibus & ignivomis siphonibus convolant & per omnes plateas ad ravim usque clamant: *Una famæ humanæ vena præstabilior est tota Arabici auri fodina.* Quapropter

Est vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ.

Quicunque enim *unam injuriam tolerat, continuò alteram invitat.* Enimverò olim Ecclesiis matutinis, qui affectabant multum crucis, Pater Luminum elargiebatur multum lucis: Jam verò Ecclesiis vespertinis, quæ concupiscunt parum crucis, offunditur plus hereticæ ac schismaticæ caliginis quàm catholicæ lucis, Esa. 22. ℣. 9. juxta illud Cassiodori: *Crux est cæcorum Lux.* Hinc in illis Ecclesiis variæ cruentarum Victoriarum coronæ conspiciebantur, nova Martyrum Triumphatorum cantica inaudiebantur, & multi lupi in agnos convertebantur; in his verò multi agni in tales

Antichriſtianos lupos (quales non omnia omnibus fiunt, ſed omnes, quæ ſua ſunt, quærunt & ſuo Deo *Ventri* offerunt) convertuntur & juſto Dei indulgentis judicio geminis illis Triumphantis Orci catenis victricibus, *Peccandi dulcore* & *Reſipiſcendi horrore* ſic conſtringuntur, ut nunquam Triumphalem illam Chriſtianorum vincentium coronam caſtrenſem conſequantur, quæ eſt vera animi reſignati Libertas.

X. Inter omnia alia (quæ incomparabilibus & ſublimibus perfectiſſimi, prudentiſſimi, Victorioſiſſimi & florentiſſimi Mundi Phœnicibus & Aquilis proximè nubes involantibus nunquam ſatis dici, nunquam ſatis diſci, nunquam ſatis ſcribi poſſunt) hoc non eſt poſtremum; Maximas quaſque regiarum deliciarum cedros quidem nonnunquam non tantùm in ſummis montium jugis excreſcere & pubeſcere, ſed etiam conſeneſcere, perrarò tamen ſolide ſolo ſuo coaleſcere, utpote quæ per vices plurimas impetuoſiſſimis quibuſque vulturnis tantoperè infeſtantur, agitantur & quaſſantur, ut ſubitò decacuminentur & tantam ruinam ruant, unde nunquam reſurgant. Quantâ maximâ magnificentiâ maximus ille Imperatorum omnium ac Dictator *M. Furius Camillus* olim triumphans victore cum exercitu

ercitu Urbem inierit, neminem unum ignorare puto ex Livio, qui lib 5. pag. 516. col. 2. de eo sic memorat: *Adventus quoque Dictatoris omnibus Ordinibus obviam effusus celebratior, quàm ullius unquam antea; Triumphusque omnem consuetam honorandi illius diei modum aliquantum excessit. maximè conspectus ipse est curru equis albis juncto Urbem invectus: parumque id non civile, sed humanum etiam visum Jovis Solisque equis æquiparatum Dictatorem in religionem etiam trahebant: Triumphusque ob unam maximè rem clarior quàm gratior fuit.* Fuit tamen gloriosissimus hîc Triumphator haud-ita multò pòst exul apud Ardeates; qui hospitii jure ipsum dignabantur. Quid dicam de *Eusebio Wenceslao Alberto* Fridlandiæ Duce? Huic namque generale imperium militare *per Mandatum absolutum cum Libera* (ut ICti loquuntur) in totum exercitum Austriacum commiserat & præter cætera, quæ non persequor memorabilia, ducalibus ejus auspiciis cumprimis victoriosum illum Suecorum Regem *Gustavum Adolphum* (quem *Crucius* pro suo in eum affectu præcipitato appellare solebat *Atlantem Libertatis Germaniæ*) in prælio ceciderat ad Lutzam anno CIƆ IƆ C XXXII. *Ferdinandus* II. Imperator; quàm miserè autem anno CIƆ IƆ C XXXIV. ipse ille florentissimus bellator *Wallensteinius* interem-

ptus sit pro reo Criminis læsæ Majestatis, petas è Drexelio, Brachelio & Floro Teutonico, juxta illud Crucii lib. 5. epist. ad Joh. Beverovicium anno cIↃIↃ C XXXIV. mihi pag. 440. & 441. *De tragico Wallestenii casu, quàm inopinatus hic rumor! Itané ab* AQUILA *discerptus graculus? & cui olim Germania pene tota fuit in prædam, præda nunc ipse factus est suis? O instabiles rerum vices! ô lubrica Aularum!*

——— ——— quàm nescit eodem
Stare diu fortuna loco, quàm quidquid in alto est,
Labitur, ingentemque trahit sors magna ruinam!

Miraris? non insolens hic fortunæ ludus est. Victimæ huic Reges, & Regum purpurati. Quidquid excelsum ferè in hoc Mundo, fabula huic stat, aut tragœdiæ pars cruenta; & gloriæ illius partem esse credas, sæviisse in Magnos, & sanguine tinxisse purpuram. Exempla obvia passim, & omni ævo. Ut mirum sit FORTUNÆ *alumnos, &* Sejanos *nostri temporis, qui manus, & spes ab Oriente ad Occasum mittunt, paratum sibi non videre uncum, si delinquant. Ut incendio propior est, qui igni; & præcipitio vicinior, qui jugis montium inambulat: ita quò quis sceptro propior, & solio Regum, hoc ruinæ est. Talium bracteata felicitas est, & non absimilis illis quibus in* Scena *personam* Agamemnonis, *aut* Priami *gerentibus,*

bus, ſceptra, & tiaræ porriguntur, ut elati ad tempus, & cothurnati incedant; ſed poſt unum alterumve actum exuendi, ut ad ſtaturam ſuam redeant. Itidem hîc, ubi reducta hoc vel illo die fabulæ quam agunt, cortina, cadunt, qui in ſolido ſtare viſi, & ut grande ædificium, mole ſua deſidunt. Cauſam quæris? Sapientem illum Romanum audi: Nihil, *inquit*, medium inter præcipitia, & ſumma, inter fortunam maximam, & ultimam. *Interim quis juſtum hîc Dei judicium non agnoſcat? Tyrannis ſi ſeræ, non tamen leves veniunt pœnæ: nec ſicca morte pereunt, & ſine ſanguine, qui ſanguinem aliorum fundere conſueverunt. Non aliter hæc ſacra conſtant, quoties ut clavus clavo, ſic malum malo pellitur. Hic factum. Sanguine, nefariæ crudelitatis ſuæ pœnas luit, & qui perfidia, dolo, alios credulos nimis, non ſemel oppreſſit, iiſdem nunc artibus circunventus opprimitur, iræ Cæſareæ victima. Tulit nempe quæ meruit, & quæ docuit, rediit in auctorem exemplum.* Quippe omnes Magnates (qui potius aguntur Spiritu Mundi terreſtri quàm Spiritu Chriſti cæleſti) ſolent eſſe tales nubes, quales in alios ſuaviter depluunt aureos imbres gratiarum Comicarum, in alios verò graviter ejaculantur tantos fulminares lapides irarum Tragicarum, ut inde enatum ſit adagium: *Procul à Jove, procul à fulmine.* Quicunque autem Humilitatis Honoratæ candidatus ſolum

Deum ſupra omnia ex toto corde diligendum uſque & uſque formidat, facilè tam terra marique quàm domi bellique quasvis inſidias, malevolentias & pericula formidabilia ad unum omnia tutus & ſecurus triumphat, juxta prælucens exemplum pii Regis Precatoris *David* qui quovis periculosâ inſidiarum ac formidinum tempeſtate intonante extemplò ſe ſub propugnatricem divinarum alarum umbram humillimè recipiebat atque tutiſſimus ſecuriſſimuſque ibidem pſallebat: *Ego cubui & dormivi, expergeſeci me, quia Jehovah ſuſtentat me; Non timebo à Myriadibus populi, quas circumdiſpoſuerint metatores contra me.* Plura ex Triumphorum obſoletorum cenotaphiis memorabilia *de Manubiis, de Qualitate Tyronum & Veteranorum differente, de Ordine Nobilitatis Equeſtris, de natura auxiliarium copiarum, de Neceſſitate & Utilitate excubiarum, de varietate Velitationum* & id genus aliis ſcitu jucundis eruerem atque in communem Eccleſiæ Militantis uſum conferrem, niſi tali cum primis Lectori αὐταρκεῖ, candido & benevolo (qualis jamdudum Deo proximus evadit uſque adeò uti pauciſſimis indigeat & ferè nihilo amplius niſi tali unione uno unicoque fortunas animæ ſuæ augeat, de quali poſt 2. *Pet.* 1. verſ. 4. vel *Hierocles* Alexandrinus ſic philoſophari ſcivit:

vit: Τέλος βίου, Θεὸν ποιεῖν ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, κατὰ τὸ δυνατόν.) duntaxat exiguum ſuper illis cereum mallem humiliter accendere quàm ſublimiter pharum attollere, cujus beneficio conſpiciantur omnia reliquâ, quæ jam à me nondum ſunt revelata & illuſtrata, juxta illud *Democriti* Polyſophi: Τὰς μὲν πόλεις ἀναθήμασι, τὰς δὲ ψυχὰς μαθήμασι δεῖ κοσμεῖν.

§. 4. Perpetua iſta in omnibus rebus ſublunaribus Lex eſt, ut quævis gloriarum mundanarum pompæ ad ſummum perductæ, tandem aliquando ad ſuam Primam Nihili Materiam, velocius quidem quàm adſcenderunt, relabantur, juxta illud Manilii:

Omnia mortali mutantur Lege creata.

Hinc perbene monuit præcellentiſſimus ille Poëta Joan. Douza:

——— ——— Cede Tempori
Deoque: rebus omnibus
Viciſſitudo debita: Hæc mori vides
Repente, at illa oririer,
Neceſſitati ut obſequare, te monent
Tot urbium cadavera.
Ferire viſa vertice ante quæ ſuo
Poli utriuſque cardinem:
Ubi illa imperare ſueta Regibus
Superba Septimontium?
Ubi Mycenæ? ubi incluta urbs Agenoris,
Corinthos, Argos, Ilium?

Minuta, magna, ſumma & ima reſpice,
Perenne ſub polo nihil.

Nihil itaque miri quenquam unquam inceſſat, quod *Hieronymus Oſorius* lib. 3. de Nobilitate Chriſtiana pag. 609. ſcribit: *Non ſolùm homines ipſos, verum etiam omnes humanas Artes atque Diſciplinas, omnes Nationes & Imperia mors inſequitur; omniaque tandem concidunt, & oblivionis tenebris obruuntur. Solum* Chriſti Regnum *eſt quod nullis hoſtium viribus exſcindi, nullis opibus labefactari, nullis inteſtinis ſeditionibus convelli unquam poterit.* Perſarum *opes corruerunt*, Græcorum *potentia funditus everſa eſt*, Romanum *Imperium eſt depreſſum atque comminutum; Omnia quæ ſunt, fuerunt, poſteave naſcentur, quoquomodo tandem interibunt*: Regnum *verò* Chriſti, *omnibus divinis ornamentis amplificatum floreſcet ſeculis infinitis, immortalique gloria atque ſempiterna circumfluet*, Dan. 7. verſ. 14. 27. Hinc nemo quoque demiretur, quod victorioſiſſimis quibuſque ævi noſtri bellatoribus nulli in Germania, Dania, Hollandia, cæteriſque Europæ Regnis Provinciiſque (quarum bona pars ſæpiculè tali hamo piſcantur aureo, ut in ſua bella quidem expendant expenſas multas, ſed è ſuis Victoriis tam paucas lucrentur prædas, ut omnes exhauſtorum ærariorum lacunæ illachrymarentur, ſi Triumphi decernerentur) decernantur

Trium-

Triumphi. Triumphandi enim mos solemnis jamdudum obsolescit, quippe qui non diutius tenuisse creditur nisi usque ad Imp. *Aurelium Valerium Probum*, utpote quem Triumphatorum ultimum Amplissimus Senatus Romanus in Capitolium ad summi sui Jovis templum usque deducebat; ubi more laudato & inveterato taurus albus mactabatur & reliqua pompa cuncta advocabatur, quâ Triumphus consummabatur, juxta notata ab Hypomnematographis ad illud Maronis:

Hinc bellator equus campo sese arduus infert,
Hinc albi, Clitumne, greges & maxima taurus
Victima sæpè tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa Deum duxere Triumphos.

Triumphum autem cum multis spectaculis hic Imperator Romam reversus edidit & speciosissimos *Cæsaris*, *Augusti* & *Patris Patriæ* titulos obtinuit, posteaquam præter cæteras res præclarè gestas percussores *Aureliani* & *Taciti* vindicaverat; Gallias cum LX. civitatibus à *Germanis* occupatas recuperaverat; *Blemios* superaverat; in Oriente omnia rebellantia compescuerat; in Thracia *Gothos* ita perterruerat, ut ipsos aut in deditionem aut in amicitiam reciperet; *Saturnium* diversis præliis non sine Heroica virtute devicerat; *Proculum* & *Bonosum* in Rhetia Imperatores oppresserat;

Cili-

Ciliciam & Isauriam latrociniis repurgaverat & tantâ felicitate castrensi reliquâ insuper floruerat, ut aliquando IX. Reges ad ejus pedes jacerent postrati offerentesque obsidum loco XVI. millia tyronum. *Notum* est Ipsius numisma, in quo apparet Currus Triumphalis, circumquaque variè exornatus, qui à IV. equis trahitur, & cujus pars media obtecta figuram solii refert. In eo autem tecto alius currus parvus cum IV. equis illi junctis conspicitur, cui Victoriola insidet, coronam Imperatori loricato & togato *in Curru* stanti, laurumque manibus ferenti, quasi impositura. Currum denique Triumphalem præcedit Blemiorum quispiam, in pectore oculos præferens, aliique fercula ferentes, cum inscriptione: TRIUMPH. ÆTHIOP. Infra: DE BLEMIIS. *Notius* est illud Flavii Vopisci: *Triumphavit de Germanis & Blemiis* omnium *gentium ferocissimis, ac* IↃ *homines ante Triumphum duxit. Venationem amplissimam in Circo dedit; ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale: Arbores validæ, per milites radicitus evulsæ, longe latéque trabibus affixæ sunt, terra deinde superjecta, totusque Circus ad sylvæ speciem consitus, gratiam viroris præbuit. Immissi deinde per omnes aditus Struthiones* 1000. *Apri* 1000. *Damæ & cætera animalia, quanta ali adinvenirique potuerunt.*

runt. Immissi denique populares, rapuit quisque quod voluit. *Notissimum* est illud Philippi Melanchthonis de ipsius militibus ocia, quæ pariant vitia, sectantibus & in Ipsum conspirantibus: *Cum Persis & Parthis pacem fecit, ac regressus ad bella magis necessaria, Sarmatica & Gottica, cum in Syrmio milites oneraret labore siccandi paludes, aliqui tumultuantes, seditionem adversus eum moverunt, & fugientem Probum Imperatorem in speculam interfecerunt. Reliquus exercitus dolens exstinctum esse Justum, Fortem, Felicem & Utilem Imperatorem, sepulchrum ei fecit, cum hac inscriptione:* HIC PROBUS IMPERATOR VERE PROBUS SITUS EST, VICTOR OMNIUM GENTIUM BARBARARUM, VICTOR ETIAM TYRANNORUM. *Quanquam autem excellens in eo Virtus fuit, & gubernatio felix: tamen Exemplum est non solum Inconstantiæ Fortunæ, sed potius Ingratitudinis, Levitatis & Furorum Vulgi, quod eum temerario impetu & seditiosè oppressit. Et ad Regulam congruit:* ὄχλος συνὼ ἀμαθία μέγιστον κακόν. *Item:*

Λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος.

Enimverò hoc est antiquum Mundi ingrati ingenium, ut optimo suorum cuiq; servorum militantium tandem serpentinum persolvat stipendium quod est, venenum lethiferum per incurabilem morsum. Valeat autem

autem qui in allegata opinione acquiescit & proximum quemque instruit; *Probum Imperatorem fuisse novissimum apud Romanos Triumphatorem.* Ταῦτα λέγω, οὐδαμῶς εἰς ἀντιλογίαν ἀφορῶν, ἀλλ' ὅτι μοι τὸ ἀληθὲς οὕτως ἐφάνη ἔχον. Δεῖ γὰρ τὸ ἀληθὲς] παντὸς προτιμᾶν ἀεὶ, inquit apposité. Alexander Trallianus ad hunc nostri scopi articulum in suo lib. 12. pag 676.

§. 5. Triumphâsse quidem præter cæteros (qui post *Constantinum M.* Constantinopoli & alibi gentium triumphârunt) legitur *Dagobertus* Gallorum Rex de Saxonibus; sed

quantum lenta solent inter viburna cupressi

frondosa sua culmina extollere, tantum magnificentissima pompâ pomposissimaque magnificentiâ omnes reliquarum nationum Triumphos Triumphi Monarchiæ Romanæ prisci tales antecellunt, qualium trecentos circiter & quinquaginta Urbs à Romuli tempestate usque ad *Justiniani* Augusti ætatem vidisse memoratur, atque apud *Plutarchum* exaratur, quod *Valerius Publicola* quadrigis quarum inventricem *Minervam* ferunt, primus in Triumpho sine invidia vehebatur.

§. 6. Tantum igitur aberat, ut Roma in participandis istiusmodi Regalibus Imperii sui Monarchici ornamentis ullos ferret æmu-

æmulos, ut ad mœſtitiam uſque indignaretur, quod *M. Antonius* Triumvir R. P. C. primus extra Italiam ante Conſtantinopolim conditam bellicoſum illum Armeniorum Regem *Artabanum* doloſâ proditionis arte potius quàm aperto Marte victum aureiſque catenis vinctum Alexandriam ad emerendam meretricis *Cleopatræ* Reginæ gratiam in Triumphum duxerat, atque ita Ægyptiis de tantis impertierat, quanta ſibi Urbs patria ſoli præter cætera *Sancta Sanctorum* incommunicabilia tranſcripſerat. Scribere pergeremus, niſi Brilæ anno CIƆ IƆ CLIV. de iſthac auguſta Materia plura ſcripſiſſemus in noſtro *Generali Triumpho Belgarum Perpetuo*; prout eo die quo in lucem emittetur, conſpicietur. Conſpicietur quoque in eodem præter cætera ὑπερφυῶς Draconis, Beſtiæ & Pſeudoprophetæ Triumphus. Triumphalibus etiam Martyriorum incruenorum Coronis coronari talibus ibidem aliquammultos Chriſtianos noſtrates hodieque videas, de qualibus legas, partim apud Gregorium: *Mori à perſequente Martyrium in aperto eſt, ferre verè contumelias & odientem diligere, Martyrium eſt in occulta cogitatione.* partim apud Hieronymum: *Qui vult vivere ſecundum Euangelium, tota vita ejus Martyrium eſt.*

§. 7.

§. 7. Nihil ultra reſtat, niſi ut ſic peroremus: *Omnis* Medicus *laude inſigniſſimâ triumphat* & *immortalia victricis artis ſuæ Machaoniæ Trophæa uſque & uſque collocat, qui* CITO, TUTO & JUCUNDE (*ut ſua nobis feneret* Aſclepiades *Adverbia*) *deſperatiſſimos quoſque morbos, peſtilentias, fiſtulas, puſtulas, podagras, manias, carcinomata, vulnera & ulcera per Subtractionem Additionemque medicari callet.*

Omnis Juriſconſultus *famâ inclytâ triumphat, qui* ſub octonario Pythagoræ ſigno *domi bellique in reverentia Jehovæ ſecundùm Corpus Juris Juſtinianæum honeſtè vivit & neminem lædit, ſed ſuum cuique ſemper tam ſecundùm Conſcientiam quàm ſecundum Actita & Probata tribuit.*

Omnis Theologus *immortali gloriâ triumphat, qui flagrantiore flagrat zelo reformandi populum illuſtriſſimis Converſationis Sanctæ exemplis extra Templum, quàm eloquentiſſimis concionis doctæ documentis intra Templum.*

Omnis denique Diſcipulus Scholaſticus *ac* Academicus *nobiliſſimo* Studioſi *nomine verè pariter atque glorioſè triumphat, qui ſub umbroſâ humilis reverentiæ roſa Deo ſemper adhæret* & *quibuſvis neceſſariis perdiligenter ſtudet, juxta illud* Thucydidis: Κράτιστόν ἐστιν ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις παιδεύεσθαι. Enimverò *ubi inter Cives Academicos & fratres Scholaſticos diſciplina ægro-*

ægrotat, Minerva dormitat, Ceres ſacrificat, Bacchus propinat, Venus excubat, Vacua buccinat & *Rhamuſia pugnat; ibi Diabolus oppugnat, ſuperat, triumphat.* Quapropter in Chriſtianis Militantis Eccleſiæ caſtris omnes atque ſingulos

Eſſe decet vigiles in ſtatione pios.

Quippe talpa cæca viridarium ſubruens, facile ſuum inſidiatorem invenit hortulanum attentum, à quo capiatur: homo autem ſecurus (qui nil niſi terrena ſapit, capit & rapit) ſuum quoque habet inſidiatorem, à quo oculato occæcatus ſæpe capitur, antequam ſe captum ſentiat, juxta illud Auguſtini: *Inimicus ut occidat, ſemper vigilat ſine ſomno, & nos ut cuſtodiamus nos, nolumus evigilare à ſomno. Ecce tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos, & omnes vias noſtras variis replevit decipulis ad capiendas animas noſtras. Et quis effugiet? Laqueos poſuit in divitiis, laqueos poſuit in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in ſomno, & in vigilia: laqueos poſuit in verbo & in opere & in omni vita noſtra.* Vereor itaque ne multi illorum ſe iſtiuſmodi Tartareis retibus cæcis cæci adhucdum irretiant, qui è Pſalte jamdudum cantant:

Strick iſt entzwey /
Vndt wir ſind frey.

Sub hæc jamdudum inclamatur, ut abeuntes

tes hinc, fontem fontium inexhauſtum, (ex quo omnes gratiarum cæleſtium terreſtriumque Nili atque Euripi derivantur) humillimâ grati animi pietate piè coronemus, hoc eſt, noſmet ipſos totos abnegemus & Patrem noſtrum cæleſtem ſolum (ſine Quo *Nihil* ſcimus, *Nihil* poſſumus, *Nihil* ſumus) ſic glorificemus:

Gloria Tota Deo, Gloria Nulla Mihi:
Gloria Nulla Mihi, Gloria Tota Deo.

Quapropter ambobus his Pentametris Latinis nihil appendicis appendimus niſi illud Lutheri Teutonicum tom. 5. Jen. in Pſalm. 111. fol. 116. lat. 2. Wo ſind ſie nun / die gern Ehre hätten / vndt wiſſen doch den Griff nicht darzu? Suchen immer vnd finden nichts. Wiltu Ehre haben / ſo laß alle Ehre Gott allein / vndt behalt du nichts dann Schande für Ihm. Verachte dich ſelbſt vndt laß dein thun nichts ſeyn / ſo heyligſtu Gottes Nahmen vndt gibſt Ihm allein die Ehre. Siehe! ſo bald du das thuſt / ſo biſtu ſchon voller Ehren / die gröſſer iſt dann aller Könige Ehren / vndt bleibet Ewig. Dann Gott ehret vndt zieret dich mit ſeinem Nahmen / daß du muſt heiſſen Gottes Diener / Gottes Kind / Gottes Werck vndt ſo fortan. Waß ſoll dir nun Gott mehr thun / der dir ſo viel Zeitlicher vndt Ewiger Güther / darzu auch den Höchſten / ja ſein ſelbs Nahmen vndt die Ewige Ehre gibt? Digna certè verba quæ religioſâ recordatione *Templo Memoriæ* æterno conſecremus, juxta illud Humberti: *Humilitas illa, quæ amat latere atque abſcondi, Cinis Virtutum eſt.* Eſt enim jam olim à *Chriſto* Doctore Doctorum docta, oblata

&

& commendata hæc omnibus ſuis doctrina diſcipulis: *Diſcite à Me, quia Ego ſum Mitis & Corde Humilis.* Omnium igitur poſtremò adhuc loci ſubdamus duo: Duobus potiſſimum illi naucleri (qui ex longa eaque periculoſa peregrinatione reduces incolumes vel portui appropinquant vel jam in portu navigant) Lætitiæ ſignis ſe ſuis manifeſtant, nimirum *Clangore Tubarum* & *Sonore bombardarum.* Ita pro nobis hîc noſtram navigationem ad *Promontorium Bonæ Spei* de Salute publica tutum per ſcopuloſum Triumphalis Materiæ fretum Rhetoricam finientibus hæc *Bernhardus* è ſuo ſerm. 13. in Cant. Tubâ ſuâ Theologica receptui canat: *Fidelis reverà famulus es, ſi de multa gloriâ Domini tui, etſi non exeunte de Te, nil tuis manibus adhærere contingat:* Bombardam autem philologicam ſic diſplodat *Crucius* ex ſuo l. 4. epiſt. ad *Erycium Puteanum* mihi pag. 397. §. Nec meherclè injuria. *Nihil enim æque Literaturæ Dignitatem adulterat, quàm fatalis illa imperitiæ pediſequa,* Animi elatio, *quà quod videri quiſque vult, hoc & eſſe credit, & fidem aliis facit.* Hunc *tamen* affectum, *ſeu potius* animi morbum, *ægrè multi adduci poſſunt ut ejurent, etiam qui* Sapientiæ ſtudium *profitentur: Ita ferè melioribus ingeniis ſuaviter obrepere ſolet* amabilis *hæc* inſania. *Quam ridere Te ſcio, & cordatos*

omnes

omnes Tecum. *Quid enim* Scire *nostrum, secretum à* Sapientia, *nisi* Scientiæ *deliquium & umbra? quid Eruditionis nostræ splendor, quid literarum? nisi eam dux & imperatrix vitæ mortalium* Bona Mens *fulciat? qui si desit, desit Colosso basis, ædificio fundamentum, & omnis doctrinæ moles, arrogantiæ & fastus turbine, tantò fœdius corruit quanto celsius se attollit. At contra* Humilitati *&* Modestiæ *superstructa perennat. quia fundus illa, & fundamentum est omnis* veræ Literaturæ; *quæ non quid adsit, sed quod desit: attendit, nec de quæsito secura, sed de quærendo sollicita est.*

DIXI.

